COMPENDIUM
PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ

VOL. II

COSMOLOGIA et ANTHROPOLOGIA

Florentiae, 1912 — Ex Officina Typographica Dominiciana.

COMPENDIUM

PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ

AD MENTEM S. THOMÆ AQUINATIS

a Fr. JOANNE LOTTINI

ORDINIS PRÆDICATORUM

EDITUM

St. Albert's College Library

EDITIO III

AB AUCTORE DILIGENTER REVISA ET NOTABILITER AUCTA

IN TRIA VOLUMINA DISTRIBUTA

AD BIENNIUM ET AD TRIENNIUM ACCOMMODATA

VOLUMEN II

COSMOLOGIA et ANTHROPOLOGIA

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

FRIDERICUS PUSTET
Pontificalis Bibliopola
RATISBONÆ — ROMÆ — NEO-EBORACI
1912

102
L57
v.2

APPROBATIONES

Nihil obstat

Florentiæ die 15 Maii 1912.

Fr. LUDOVICUS FERRETTI
S. Theologiæ Lector et Univers. Florentinæ Doctor
Censor deputatus.

Fr. CONSTANTIUS SIMONETTI
S. Theologiæ Lector, Censor deputatus.

Imprimatur

Romæ die 15 Maii 1912.

Fr. HYACINTHUS M. CORMIER
Magister Generalis Ord. Præd.

Imprimatur

Fr. ALBERTUS LEPIDI
O. P. S. P. Ap. Magister.

FRANCISCUS FABERI
Vic. Urbis adsessor.

Editionis jura Auctori reservantur.

COSMOLOGIA

Caput I.

Natura atque divisio metaphysicae specialis et Cosmologiae traditur.

1. **Ratio capitis.** — His quae ad metaphysicam generalem pertinent expositis ad ea quae metaphysicam specialem spectant gressum facere oportet. Igitur quia Cosmologia inter metaphysicae specialis partes primum locum obtinet ideo ab ipsa incipimus. In praesenti capite ejus natura sicut ejus distinctio ab aliis scientiis determinatur atque in suas praecipuas partes dispescitur.

2. **Notanda generalis et essentialis differentia inter metaphysicam et experimentales scientias.** — Inter veritates quae in scientiis experimentalibus et in philosophia seu in metaphysica sive generali sive speciali, cosmologia non excepta, concluduntur, haec praecipua generalis et essentialis differentia notanda et prae oculis semper habenda est, quod veritates scientiarum experimentalium rebus singularibus applicatae, sub sensibus, ut ita dicam, cadunt aut cadere possunt, dum e contra veritates in

philosophia sive in metaphysica conclusae sub sensibus cadere nullo modo est possibile.

3. **Metaphysica generalis et metaphysica specialis.** — Metaphysica *generalis* ens transcendentaliter sumptum, ejus proprietates et ea, in quae ens generalissime dividitur secundum universales rationes considerata, pro objecto habet. E contra metaphysica *specialis* ens in aliquo genere vel in aliqua specie seu in sua natura determinatum respicit, neque ab ejus existentia praescindit, sed vel ipsam supponit per se evidentem et manifestam, vel ex ejus operationibus seu effectibus per aliam scientiam jam demonstratam.

4. **Multiplex objectum metaphysicae specialis.** — Objectum igitur metaphysicae specialis multiplex est atque magnam diversitatem importat; vel enim est ens secundum se omnino abstractum a materia et habetur metaphysica specialis nobilissima, altissima atque excellentissima et dici potest metaphysica simpliciter (cf. I., n. 361); vel est ens quod includit materiam ita tamen ut ei applicentur et de eo concludantur quae mens omnino abstracta a materia concipit et in metaphysica generali pertractantur, et tunc habetur metaphysica specialis, quae si placet, dici poterit metaphysica *secundum quid* ut a priori distinguatur; et quae est ipsa philosophia naturalis antiquorum. Metaphysicae specialis objectum ad triplex revocatur nempe ad Deum, ad hominem, ad mundum.

5. **Metaphysicae specialis divisio.** — Res ergo de quibus metaphysica specialis agit tres sunt nempe: *Mundus, homo,* qui est nobilissima pars atque, ut ita dicam, epilogus mundi, et *Deus;* hinc divisio metaphysicae specialis in *Cosmologiam*, quae de mundo agit, in *Anthropologiam,* quae agit de ho-

mine, et in *Theologiam naturalem,* quae agit de Deo. Metaphysica specialis si consideretur prout Cosmologiam et Anthropologiam complectitur optime philosophia naturalis dicitur sicut ab antiquis dicebatur, qui tamen etiam physicam in ea comprehendebant (1).

6. **Cosmologiae etymologia et significatio.** — Cosmologiae nomen duobus nominibus graecis constat quae sunt *κόσμος* (cosmos) et *λόγος* (logos). *Κὸσμος* (cosmos) latine *mundus, λόγος* (logos) vero

(1) Philosophiae naturalis nomine ab antiquis intelligebatur scientia illa cujus objectum est ens mobile, seu natura corporea ita scilicet ut omnia quae de ente mobili possent scientifice investigari ad philosophiam naturalem pertinerent. Unde et physica et mathesis etc. partem philosophiae naturalis constituebant, quia ob parvum et fere nullum earum progressum scientiae experimentales scientiae rationem non habebant, atque proinde sub philosophia ut ad ipsam pertinentes coordinabantur. Nunc vero quia experimentalis cognitio ita progressa est ut non solum rationem scientiae a philosophia distinctae consecuta sit, sed etiam in plures scientias dividi necesse fuerit, ideo limites philosophiae naturalis statuere oportuit, propriumque ejus objectum determinare. Haec tamen primatum supra omnes scientias experimentales tenet utpote supremas causas corporalis naturae investigans. Unde merito metaphysica idest supra physicam (eo quod haec specialem rationem scientiae distinctae a philosophia sortita est) appellatur et inter partes metaphysicae specialis recensetur cum ipsa et post physicam tradi conveniens sit utpote ad altiora et difficiliora adsurgens et supra physicam omnesque alias scientias experimentales sit constituta. In duas autem partes dispescitur: in *Cosmologiam* et *Anthropologiam,* vel etiam ut aliis placet in *Cosmologiam* et in *Psychologiam.* Philosophia naturalis non dicitur metaphysica eo stricto sensu quo ab antiquis scholasticis metaphysica accipiebatur pro scientia scilicet quae exclusive objectum abstractum ab omni materia respicit, sed quatenus objectum ob ejus universalitatem omnino abstractum a materia rebus materialibus applicat ipsum in ordine ad illas considerando.

sermo vertitur. Unde si etymologia nominis spectetur Cosmologia idem est ac *sermo de mundo*. Verum quia latine *mundus* aut ad designandam naturam corpoream aut spiritualem aut ad utramque simul adsumitur, ideo ne confusio aut aequivocatio contingat nos in praesenti exclusive naturam corpoream seu materialem, non vero spiritualem nomine mundi intelligere animadvertimus.

7. **Cosmologiae objectum et divisio.** — Quamvis natura corporea sit materia circa quam Cosmologia versatur, ad Cosmologiam tamen non pertinet ea omnia quae ad naturam corpoream spectant examinare. Colligere enim facta in experientiis posita atque ad leges horum factorum universales assurgere primo et per se ad physicam atque ad alias scientias, quas experimentales vocant, pertinet; neque ad ipsam leges numerorum expendere aut eas materiae corporeae applicare spectat; hoc enim officium mathesis est. Cosmologia ergo adinventis experimentalium scientiarum utens intimiora atque altiora quaerit; proprium enim ejus est corporum examinare naturam, investigare causas, originem, proprietates, leges quibus in finem universalem conspirant. Cum enim philosophia sit cognitio rerum per altiores causas (log. n. 1), Cosmologia importat in suo objecto formali cognitionem altiorem causarum ipsius mundi. Unde de causa efficiente materiae corporeae seu mundi erit sermo, de causa finali de causa formali et materiali (cf. *Ontol.*, n. 741); tamen secundum generaliores et supremas rationes (1).

(1) Unde neque ad geologiam pertinet mundi causam aut originem, neque ad chymiam corporum vel materiae investigare et determinare naturam ut ipsi naturalistae fatentur. Ad rem faciunt ea quae habentur in fasciculo: *Scienza e religione,*

Sed natura corporea vel est vita expers aut vita praedita; quo circa agendum est 1.° de natura corporea generatim a vita praescindendo, 2.° de natura corporea vita experte, 3.° de natura corporea vita praedita. Haec tertia pars a quibusdam extra Cosmologiam ponitur quasi propriam et specialem scientiam constituens, et vocatur *Biologia* vel *psychologia generalis*. A nobis tamen placet intra Cosmologiam eam concludere quia ejus objectum ex immediata et generalissima divisione naturae corporeae habetur.

---

apud Desclée, a. 1906, edito: « La geologia, ait egregius auctor, si assume l'incarico di spiegare il modo con cui si è formata la terra che abitiamo. Tracciando la storia del globo terrestre essa risale ai tempi più lontani, descrive l'aspetto che dovea presentare il mondo centinaja, migliaia ed anche milioni di anni or sono; ma per quanto ci trasporti nei secoli trascorsi parte da un fatto preciso: l'esistenza della materia. Donde viene questa materia? Nasconde essa in se stessa sufficiente ragione della sua esistenza, o tale esistenza ha ricevuto da altri? La geologia non risponde; abbandona questa cura alla *filosofia*. La chimica penetra nell'analisi delle sostanze corporee. Mentre la fisica si limita allo studio dei fenomeni superficiali dei corpi, essa scruta il loro fondo intimo, ed arriva così a costatare che l'universo materiale è il resultato delle diverse combinazioni di circa settantacinque corpi semplici. Qual'è la natura di questi corpi? Differiscono essi nella sostanza o unicamente nella proprietà. Un famoso chimico il Sig. M. Henry professore emerito dell'università di Lovanio risponde categoricamente: « Tocca ai filosofi pronunziarsi in proposito; le più ingegnose concezioni dei pensatori sono dal *nostro punto di vista* assolutamente sterili ». Fasc. 33, pag. 6.

Caput II.

De essentialibus characteribus substantiae corporeae seu mundi.

(Zigliara, *Cosmologia,* lib. I. cap. I, art. I-II; Lepidi, l. c., cap. II; Liberatore, *Cosmol.*, cap. I, art. II; Hugon, *Cosmol.*, tract. I, qu. I, art. I, § VI, art. II).

8. **Ratio capitis.** — Agentes de mundo corporeo ab ipsa natura corporea seu materia generatim considerata prout a viventibus et non viventibus praescindit eisque communis est incipimus methodum syntheticam (cf. log., n. 116) secuti. De natura autem corporea sic considerata rationem seu causam efficientem ejus existentiae, causam finalem et causas essentiae constitutivas investigabimus. His omnibus tamen praemittendum utile censemus caput praesens de essentialibus caracteribus substantiae corporeae satis obviis atque facilibus quasi viam ad veritatem quam quaerimus inveniendam.

9. **Existentia mundi corporei.** — Mundum seu massam materiae corporeae cum suo ornatu realiter existere post ea quae contra subjectivismum statuta seu demonstrata sunt tum in logica (n. 273), tum in Ontologia supponimus. De coetero nulla scientia existentiam sui objecti demonstrat, sed vel eam supponit demonstratam ab alia scientia vel per se evidentem; quod contingit in Cosmologia; nam mundi corporei existentia ineluctabiliter menti exhibetur: unde merito inter veritates primas quae demonstratione seu probatione non indigent, et ex quibus omnis nostra cognitio atque cognitionis valor pendet recensenda est ita scilicet ut sine nota stultitiae

negari non possit. Et si ipsa negetur nescio an quidquam, tum in ordine realis existentiae, tum in ordine cognitionis jus maneat intactum relinquendi. Unde et difficultates quae contra mundi existentiam moventur nonnisi uti captiosa et putida sophismata, a priori considerari debent (cf. varias respons. in Ontolog. positas, n. 394-399). Imo tam ineluctabili evidentia mundi existentia apparet ut merito atque jure a Sacra Scriptura homines qui ex mundi existentia Deum ipsum intelligere non valent *vani*, ac *insipientes* vocentur (1). A fortioni ergo nescio quomodo a stultitiae ac insipientiae nota absolvi possit qui serio mundi existentiam negat.

10. **Recensentur characteres essentiales substantiae corporeae.** — Characteres essentiales substantiae corporeae sunt sequentes 1.ª omnimoda compositio, 2.° finitas, 3.ª essentialis dependentia et subjectio, 4.° contingentia. Et quidem quoad compositionem omnimodam nullum dubium esse potest; patet enim corpus quodlibet ex actu et potentia constare, ex partibus integrantibus, ex materia et forma, ex substantia et accidentibus, ex essentia et existentia etc. Alii vero caracteres peculiaribus conclusionibus probandi sunt.

---

(1) Haec enim habentur (Sap. c. XIII-I) : « Vani autem sunt *omnes homines* in quibus non subest scientia Dei, et de his quae videntur non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt qui esset artifex ». Et (Job., c. XII, 7-9) : « Interroga jumenta, et docebunt te, et volatilia coeli et indicabunt tibi. Loquere terrae et respondebit tibi ; et narrabunt pisces maris. Quis ignorat quod omnia haec manus Domini fecerit ? » Et (psal. III-1) : « Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus ». Unde Conc. Vaticanum (Const. Dogmat., c. IV, canon. II. n. 1) anathemate percutit eum qui negat ex mundo Deum non posse certo cognosci.

11. **Conclusio I.** — *Quodlibet corpus sive quaelibet massa materiae corporeae est quid finitum tum* 1.° *quoad essentiam, tum* 2.° *quoad extensionem.*

Prob. 1.ª *pars :* Quodlibet corpus sive quaelibet massa materiae corporeae est quid compositum intrinsece et essentialiter includens potentialitatem, mutabilitatem et ideo imperfectionem. Ergo quaelibet massa materiae corporeae seu quodlibet corpus est finitum quoad essentiam. — *Antec. patet. : Prob. conseq.:* nam si non esset finitum secundum essentiam esset secundum essentiam infinitum et perfectissimum et simplicissimum quod est impossibile (cf. *Ontol.*, n. 592).

Prob. 2.ª *pars :* Si corpus vel massa materiae corporeae esset quid infinitum secundum quantitatem, haberetur multitudo et magnitudo actu infinita. Atqui repugnat multitudo et magnitudo actu infinita (cf. I, n. 473 et 690). Ergo corpus vel massa materiae corporeae non est quid infinitum secundum quantitatem.

12. **Conclusio II.** — *Corpori seu materiae corporeae convenit essentialis dependentia et subjectio.*

Prob. 1.°: Quod in sua essentia potentialitatem importat essentialiter ab alio dependet et ei subjicitur. Sed corpus seu massa quaelibet materiae corporeae in sua essentia potentialitatem importat, cum materia sit essentialiter transmutabilis et reduci possit de uno in alium actum vel statum. Ergo corpus seu quaelibet massa materiae corporeae essentialiter ab alio dependet et ei subjicitur. — *Confirmatur :* Materia potest moveri et dividi ab aliquo agente, quod non esset si ipsa dependentiam et subjectionem ab aliquo extrinseco non haberet.

2.° Omnis motus, et ideo omnis operatio materiae vel substantiae corporeae ab alio dependet. Ergo et ipsa materia ab alio dependet omnino : nam si quoad

esse non dependeret ab alio, oporteret quod aliquam operationem haberet independenter ab alio, cum ad esse sequatur naturaliter aliqua operatio. — *Prob. antec.:* Omnis operatio materiae vel est motus, vel pendet a motu. Atqui omnis motus dependet ab alio, nam quaelibet pars motus, cum incipiat esse et desinat esse, ab alio pendet a quo est, secus daretur effectus sine causa (*Ontol.*, n. 738); et ideo tota series motus ab alio pendet. — *Prob. antec.:* Si motus non dependet ab alio, hoc est vel ratione alicujus suae partis, vel ratione quarumdam partium, vel ratione omnium partium collective sumptarum. Sed independentiam non habet ratione alicujus suae partis, nam quaelibet pars incipit et desinit esse; non ratione plurium partium, quia etiam plures partes incipiunt et desinunt esse, quod autem incipit et desinit esse ab alio est et ab eo pendet (*Ontol.*, n. 738); non ratione omnium partium collective sumptarum 1.° quia multae partes motus adhuc non sunt, et ideo saltem tales ab alio pendent. Insuper, cum quaelibet pars independentiam excludat singillatim sumpta et includat dependentiam intrinsece, per hoc quod alteri parti unitur nihil acquirit de ratione independentiae, imo potius ipsa ratio dependentiae augetur sicut augetur motus; unde sicut si unus caecus alteri caeco addatur non aufertur caecitas et necessitas directionis seu ducatus sed potius augetur; ita si tertia pars motus et quarta etc. et etiam si infinitae partes addantur praecedentibus non aufertur sed augetur dependentia.

13. **Conclusio III.** — *Substantiae corporeae essentialiter convenit contingentia.* — Haec conclusio potest imprimis considerari ut corollarium praecedentium, nam ens necessarium est ens independens et infinitum (*Ontol.*, n. 593 et 610).

Prob. 1.°: Sicut ens necessarium dicitur illud quod vere et proprie non potest concipi sine actuali existentia, ita ens contingens illud dicitur quod sine absurditate potest concipi sine actuali existentia (572). Atqui substantia corporea vel massa quaelibet materiae corporeae sine absurditate potest vere ab intellectu nostro concipi sine actuali existentia. Ergo substantia corporea seu massa quaelibet corporea est ens contingens et ideo ei convenit contingentia. Quamvis minor sit evidens ex dictis in ontologia (n. 451), tamen potest ostendi 1.° ex eo quod si negetur aliquam partem materiae existere vel plures partes et ideo etiam omnes, nullum sequitur absurdum, sicut absurdum sequitur, si negetur circulum esse rotundum; 2.° natura corporea dicit entitatem participatam et finitam; sed nullum absurdum sequitur si negetur esse entitatem participatam et finitam. Ergo potest intellectus sine absurditate concipere corpus non habere actualem existentiam; 3.° natura corporea ut quid essentialiter compositum menti exhibetur; nullum autem absurdum sequitur si ponatur compositum non esse.

2.° Quod in se non habet rationem suae existentiae est contingens in suo esse. Sed corpus non habet in se rationem suae existentiae. Ergo corpus seu massa materiae corporeae est ens contingens. *Prob. minor:* Corpus seu massa materiae corporeae includit intrinsece et essentialiter potentialitatem. Sed ratio existentiae non potest esse in potentialitate: nam existentia dicit actualitatem, cujus ratio non potest esse potentia (cf. *Ontol.*, n. 436).

3.° Corpus importat essentialiter compositionem et divisibilitatem. Sed omne compositum et divisibile contingentiam importat et necessitatem excludit. Ergo substantia seu natura corporea contingens est omnino.

Caput III.

De ratione existentiae mundi

(Zigliara, *Cosmol.;* lib. I; Lepidi, *Cosmol.,* lib. III. sect. I, cap. I, § II; Liberatore, *Cosmol.*, cap. I, art. II-III; Hugon, l. c., a. I; Lorenzelli, Mancini, Germano, C. Willems in suis respectivis *Cosmol.;* Ausonio Franchi, *Critica*, Garrigo-Lagrange, *Les preuves de Dieu*).

14. **Ratio capitis.** — Determinatis naturae corporeae essentialibus characteribus, est dicendum de ipso mundo idest de composito quod ex collectione seu ex unione omnium corporum resultat. Ipsum enim compositum totale omnium mundus dicitur, qui definiri potest: *Complexus omnium corporum vel substantiarum creatarum in unum finem communem conspirantium.*

15. **Quaestio.** — Quaestio a nobis in praesenti definienda haec est: Mundus corporeus habet ne in seipso rationem suae existentiae, quasi existat per se et a se, quin ab aliquo alio a se distincto fuerit productus: vel e contra ab alio ente habet esse, et ab eo sicut a vera sui causa fuit productus?

16. **Sententiae.** — Materialistae qui nonnisi materiam existere arbitrantur, pantheistae, qui mundum et omnia quae sunt in mundo esse Deum effutiunt, monistae qui esse ponunt unicam substantiam ex cujus evolutione omnia contingant quasi modificationes accidentales ipsius, adseverant mundum non habere in alio rationem suae existentiae, sed in semetipso; et ideo non esse ab alio productum idest non esse a Deo, sed imo esse ipsum Deum. Quatuor ergo docent ipsi: 1.° mundum esse ens a se et non esse

ab alio productum; consequenter 2.° materiam esse improductam; 3.° mundum esse ipsum Deum; 4.° unicam existere substantiam a mundo et a Deo indistinctam realiter, id est ipsam materiam (aut mentem juxta subjectivistas et idealistas, ut infra dicetur), quae successive evolvitur et varias formas induit accidentaliter diversas. Haec doctrina, quae unitatem substantiae admittit, *Monismus* dicitur. — Materiam improductam admisit etiam Plato, quamvis Deum omnino a mundo distinctum profiteretur, imo nonnisi ab ipso Deo esse posuit ordinem, ornatumque qui in mundo reperitur. Haeckel, Buchner et alii praeter materiam admittunt vires materiae improductas.

17. **Conclusio I.** — *Mundus non est a seipso.*

Prob. 1.°: Nullum contingens existit a seipso, sed ab alio est productum (*Ontol.*, n. 573). Sed mundus est contingens (cf. n. 13). Ergo mundus non existit a seipso, sed ab alio est productus. — *Minor* quamvis sit supra probata (n. 13), tamen sic potest ostendi: Illud merito dicitur *contingens* ex cujus negatione vel remotione nullum absurdum seu impossibile sequitur; et ex opposito necessarium illud est, ex cujus negatione sequitur contradictio, seu impossibile, seu absurdum; sicut e. g. ex negatione hominis virtuosi nullum sequitur impossibile vel absurdum, et ideo hominem esse virtuosum est contingens; e contra ex negatione circuli rotundi, aut hominis rationalis sequitur absurdum, et ideo necesse est circulum esse rotundum, et hominem esse rationalem. Atqui ex negatione mundi nullum absurdum, nulla impossibilitas, nulla contradictio sequitur. Ergo mundus est ens contingens. — *Prob. minor:* 1.° mundus est quoddam compositum ex partibus resultans; hujusmodi autem

partes optime concipi possunt segregatae; e contra homo sine rationalitate non potest concipi; 2.° quaelibet pars mundi corporei optime potest concipi sine *unione* cum alia parte.

18. **Conclusio II.** — *Materia non potest esse improducta.* — Haec conclusio potest considerari ut corollarium praecedentium probationum, quae adhiberi possunt ad probationem hujus, sicut etiam veluti corollarium eorum quae in *Ontolog.* (n. 606-610) statuta sunt, ubi ostendimus ens improductum seu *ens* a *se* esse necessarium, immutabile, simplicissimum, quae et simul et singillatim sumpta materiae repugnare manifestum est. Nihilominus:

Prob. conclusio speciali argumentatione: Si materia esset improducta 1.° esset finita et infinita quoad essentiam, 2° esset finita et infinita quoad quantitatem, 3.° non esset neque in motu neque in quiete. Atqui haec tria pugnant cum recta ratione. Ergo materia improducta esse non potest. — *Prob. major:*

1.° *Materia improducta esset finita et infinita simul secundum essentiam.* — Finita quidem; nam materia in sui essentia includit potentialitatem, etenim ipsa est subjectum mutationum, ut patet, et ideo ipsa potest magis vel minus perfici; consequenter ipsa finita est in sua essentia, cum non includat omnem perfectionem, imo cum multis perfectionibus careat. Insuper infinitum est illud quo nihil majus cogitari potest, et nobilius; posse autem cogitari aliquid nobilius ipsa materia nonnisi demens negare potest. — Esset infinita quia si esset improducta, nullam in se potentialitatem includeret, nam si includeret potentiam in sui natura, sequeretur quod talis potentia esset improducta, idest potentia esset vi sui; nam quod est improductum est vi sui, seu per se et a se; et

ideo potentia materiae esset actus, idest materia esset totaliter actus, videlicet actus purus, idest ipsum esse per se subsistens ; et ideo esset infinita in sua essentia.

2.° *Esset simul finita et infinita quoad quantitatem.* — Et primo esset finita, quia quantitas actu infinita repugnat (*Ontolog.,* n. 690); sed esset simul infinita quoad quantitatem ; nam materia quantum est de se indifferenter se habet ad hanc vel illam quantitatem vel extensionem habendam, non enim ex sua natura postulat ut sit in illa vel alia quantitate ; potest enim sine adsurditate concipi materia multiplicabilis aut capax diminutionis : natura enim materiae semper salvatur. Igitur si materia quantum est de se indifferenter se habet ad hanc vel illam quantitatem, si ponatur improducta, nullam determinatam quantitatem habet, sed quantitate indeterminata donatur : idest aut nulla, quod est contra hypotesim et ideo absurdum, aut quantitate vere infinita donatur. Erit ergo finita simul et infinita, si materia improducta ponatur.

3.° *Materia improducta non esset neque in motu, neque in quiete.* — Materia quantum est de se indifferens est ad motum et ad quietem ; potest enim moveri et quiescere quantum est ex sua natura, et ideo in sua intrinseca natura seu per se neque motum importat neque quietem. Unde scientiarum experimentalium cultores legem inertiae agnoscunt qua scilicet materia motum ex se habere aut motum ab alio in se receptum modificare non possit ; imo hac lege tota scientia mechanica innititur. — Atqui illud quod ponitur improductum nonnisi ex sua natura habet id quod habet vi suae improductionis. Ergo materia improducta vi suae improductionis et existentiae non haberet neque motum

neque quietem, idest non esset neque in motu, neque in quiete, quod plane absurdum est (1).

19. **Conclusio III.** — *Mundus non est a seipso quoad vires materiae, hoc est vires materiae nequeunt esse improductae.*

Prob.: 1.° Vires materiae non possunt habere aseitatem et improductionem. Ergo mundus non potest esse a seipso quoad vires materiae. — *Prob. antec.:* 1.° Vires materiae nequeunt habere *perseitatem;* ergo a fortiori nequeunt habere *aseitatem :* ens enim *a se* a fortiori est ens *per se,* quia est ens absolutum et independens ; 2.° Vires materiae nequeunt habere esse separatum a materia et materiam uti proprium subjectum supponunt, ut patet de vi *vegetativa,* de vi *sensitiva ;* de coetero si materiam non supponunt atque ea non indigent frustra materiae conjunguntur : at materia non habet *aseitatem,* ergo neque vires materiae.

2.° Ens *a se* importat immutabilitatem, aeternitatem, durationem *infinitam, actualitatem* etc.; et haec omnia fundata in proprio ipsius *esse,* quod proinde etiam *aseitatem,* necessitatem aeternitatem etc. et ideo infinitatem secundum se habere debet. Atqui *esse* secundum se infinitum importat actualitatem infinitam sicut et perfectionem infinitam. Ergo si vires materiae asei tatem haberent, *esse* ipsorum haberet actualitatem et perfectionem infinitam simpliciter et absolute. Atqui actualitatem et perfectionem infinitam tribuere viribus materiae est omnino absurdum ; cum hae secundum *esse* proprium limitationem omnimodam includant. Nam et vires pure corporeae omnino li-

(1) Circa impossibilitatem improductionis materiae plura habet Moniglia O. P. *dissert. contro i materialisti* etc., par. I, sez. III et p. II, sez. I.

mitatae sunt tum secundum propriam rationem, cum non includant vires vegetativas, et hae similiter cum non includant vires sensitivas et intellectivas; omnes autem vires, intellectivis comprehensis prout rei materiali alligatae manifestantur, omnimoda limitatione donantur circa proprium objectum, et insuper aliquem determinatum gradum perfectionis intrinsece exhibent. Unde asserere infinita actualitate et perfectione eas gaudere absonum rationi et experientiae, atque omnino absurdum est. Ergo vires materiae aseitatem excludunt.

3.° Vires materiae juxta materialistas jugiter transformationem subeunt: ergo aut aseitas et improductio convenit eis quoad earum transformationem aut secundum quod ab earum transformatione praescindunt: utrumque autem absurdum est utpote iisdem inconvenientibus, quibus *aseitas* et *improductio* mundi et materiae subjicitur, obnoxium; nam transformatio vel ab evolutione dependet et in ipsa fundatur, vel est ipsa evolutio atque variabilitatem sicut mundi ornatus importat; evolutioni autem, variabilitati et mundi ornatui *aseitas* et *improductio* omnino repugnant, quippe haec omnia substratum aliquod veluti fundamentum supponunt. Si autem vires considerentur praescindendo ab earum transformatione cui jugiter subiiciuntur sunt aliquid vagum, indeterminatum, potentiale etiam sine esse determinato; unde eis repugnat aseitas et improductio, aeternitas intrinseca etc. (cf. *Ontol.*, n. 607).

4.° Insuper vires hujusmodi sic acceptae idest prout sunt substratum, in ipsa transformatione aut manent secundum tale esse *substratale* (parce benigne lector huic vocabulo; *absurditas* hypothesis materialistarum et positivistarum nos cogit ad ipsum adhibendum) aut non manent; si manent tunc quae-

rimus unde eis adveniat *novum illud esse* quod vi transformationis jugiter acquirunt, non enim sibi dare a semetipsis possunt aut sibi superaddere, cum ipsum non habeant; si autem non remanent, tunc ergo per transformationem *totaliter esse novum* habetur cum annihilatione praecedentis esse praesuppositi; unde in transformatione habetur jugiter annihilatio et nova omnino creatio idest continua destructio *esse* praecedentis et *productio* totalis novi esse seu totius esse novi, neque adsignatur imo excluditur causa illius destructionis et novae productionis. Hoc autem esse absurdissimum etiam lippis apparet.

20. **Objectio de aequivalentia solvitur.** — Adversarii hanc responsionem opponunt: In transformatione virium habetur aequivalentia; unde esse subsequens aequivalet esse antecedenti; ponere autem aliquid novum esse aequivalens vi transformationis in viribus nullum est absurdum.

Resp. 1.° Imprimis haec responsio nullam vim adimit argumento allato sed ipsum confirmat; aequivalentia haec fortasse admitti potest data et praesupposita causa quae vere transformet ipsas vires; sed hac causa a viribus distincta subtracta vel negata, absurditas manifeste apparet talis transformationis cum aequivalentia effectus novi omnino, ut ponderanti factam a nobis argumentationem manifestum est.

2.° Haec aequivalentia absurde omnino asseritur utpote vero progressui opposita, sicut ab ipsis positivistis ponitur. Nam ipsi positivistae et materialistae docent materiam ita evolutionem subiisse, et similiter vires materiae, ut per gradus ad vitam vegetativam, inde ad sensitivam et tandem ad intellectivam processerit; nunc autem mundum seu materiam, prout diversos praefatos gradus vitae importat et

St. Albert's College

prout nunc habetur, *aequivalere* materiae aut viribus illis materiae informibus in se ipsis consideratis aut ante evolutionem aut in quocumque momento evolutionis acceptis omnino absurdum est; imo est etiam legibus quas ipsi statuunt perennis progressus contrarium et repugnans. Breviter dicam: materia ut quid potentiale, vagum, indeterminatum, imperfectissimum proclamatur aequivalens mundo cum suo ornatu et variis atque multiplicibus imo indefinitis et semper novis perfectionibus exornando!!!

21. **Argumenta confirmativa trium praecedentium conclusionum.** — 1.° Cum aseitas non possit competere mundi ornatui, motui, evolutioni quia haec tria conceptum aseitatis et improductionis intrinsece et essentialiter excludunt, sequitur quod si mundo aut materiae aut materiae viribus aseitas sit attribuenda hoc esse non potest nisi quatenus mundus seu materia seu vires materiae considerantur in statu summae potentialitatis, imperfectionis et indeterminationis; idest consideratis sine omni ornatu et motu. Atqui omnino absurdum est et repugnans concedere aseitatem et improductionem enti omnino potentiali, vago, indeterminato sine ulla perfectione. Ergo omnino absurdum est mundo seu materiae concedere aseitatem et improductionem. — *Prob. minor:* 1.° Ens a se est fundamentum et ratio omnium quae sunt aut esse concipiuntur idest omnium perfectionum, activitatum, motuum etc.; est autem absurdissimum ponere ens *ex se se* imperfectissimum, vagum, indeterminatum esse causam seu rationem et fundamentum omnium perfectionum motuum etc. 2.° Ens *a se* habet proprium esse, fixum, stabile, aeternum etc. determinatum ex se se hoc est ex ipsa sua natura et quidem ab aeterno: hoc autem asserere de ente potentiali, vago, indeterminato

et determinabili est omnino absurdum. 3.° Ens *a se* ex hoc ipso quod est a se, habet *esse* idest actualitatem et perfectionem vi sui idest non ab alio et quidem aeternaliter, idest, non dependenter a tempore, aut ab aliena virtute et potestate, atque proinde immobiliter, immutabiliter habet *esse* quod habet vi aeternitatis suae ab alio non mutuatae; ergo neque tempori, neque mutationi, neque alienae virtuti subjicitur; unde neque proficere in actualitate aut perfectione sua potest. Haec autem asserere de ente potentiali, vago, indeterminato inconcepibile et omnino contradictorium est.

2.° Ens a seipso et improductum habet aeternitatem idest *durationem infinitam,* quae scilicet semper fuit, et quidem a *seipso;* unde talis duratio habet fundamentum in *proprio esse.* Atqui attributum infinitum non potest nisi in esse infinito fundamentum habere. Ergo *esse* illius entis quod est improductum debet esse infinitum secundum se. Atqui *ens* secundum se, hoc est secundum esse suum infinitum importat actualitatem infinitam quamlibet potentialitatem excludentem. Ergo ens a se seu ens improductum excludit quamlibet potentialitatem et est actus purissimus, est simplicissimum, compositionem et materiam excludens; et ideo tale ens non est mundus et a fortiori non est ipsa materia aut materiae vires. Mundus ergo nullo modo est a seipso.

22. **Conclusio IV.** — *Ponere materiam uti unicam substantiam; insuper ponere ipsam non divisam vel saltem non divisibilem in plures substantias est omnino contra rationem.* — Prima pars uti corollarium post ea quae diximus sequitur; nihilominus ob rei gravitatem:

Prob. 1.ª *pars:* 1.° Materia est ens contingens, compositum, finitum, mutabile, potentiam essentialiter

includens. Atqui omnino contra rationem est ponere solummodo quasi unicum ens et unicam substantiam ens contingens, compositum, finitum, mutabile, potentiam essentialiter includens; nam ens contingens supponit ens necessarium, a se omnino distinctum, in quo fundamentum et a quo originem habeat, et similiter ens compositum supponit simplex, finitum infinitum, mutabile immutabile, potentia supponit actum (cf. *Ontol.,* 572-610). Ergo omnino contra rationem est et absurdum ponere materiam uti unicam substantiam.

2.° Si materia ponatur uti unica substantia, tunc ex ipsa materia essentialiter *indifferente* et legi inertiae obnoxia omnia quae per evolutionem habentur et ipsa evolutio, derivanda et explicanda erunt; hoc autem est impossibile et absurditatibus plenum. — Si autem praeter materiam ponatur vires a materia distinctas *aseitatem* habere, tunc imprimis hoc esse absurdum ostendimus; secundo, ergo materia *non est unica substantia*, quia vires materiae utpote *aseitatem* habentes veram et propriam substantialitatem idest perseitatem habent; tertio, circa unionem *materiae* cum viribus illis plura explicanda remanent, quae non solum inexplicabilia sed etiam absurda in facta hypothesi manifeste apparent: e. g. unio sine causa efficiente sive ponatur temporanea sive aeterna, et consequenter ratio talis unionis absurda est sive necessaria sive contingens, an aseitate praedita, aeternitate etc. ponatur; sicut etiam ponere materiam atque illas vires vinculo dependentiae colligatas est absurdum tum propter *aseitatem* quae omnimodam independentiam importat qua tum materia tum vires illae praeditae dicuntur, tum propter legem *inertiae* materiae intrinsece convenientem; et similiter est absurdum ponere materiam et vires illas nulla depen-

dentia mutua colligari cum de facto inveniantur mutuo colligatae. Haec colligatio est ne temporanea, est ne aeterna? est ab intrinseco et essentialis, vel accidentalis et a principio extrinseco? Haec omnia, quaeso, explicent sine absurditate materialistae, positivistae etc. Sed ipsi ex his omnibus se expediunt negando contra sensum communem metaphysicam, principium contradictionis etc.

Prob. 2.ª *pars :* 1.° Nomine substantiae intelligitur res cui competit esse independenter a subjecto inhaesionis (*Ontol.*, n. 625). Atqui multae sunt res materiales non una tantum quae habent esse distinctum, vel possunt habere independenter a subjecto inhaesionis, e. g. sol, luna, stellae, planetae, aqua, aer, homo, equus etc. imo quaelibet pars materiae si separetur a toto acquirit esse distinctum, quod quidem esse est independens a subjecto inhaesionis. Ergo non una tantum existit materia indivisa aut indivisibilis habens rationem substantiae, sed multae existunt materiae propriam individuationem habentes utpote divisae ab invicem, habentes quaelibet propriam substantialitatem. Ergo omnino contra rationem est et contra evidentiam ponere unicam substantiam materialem.

2.° Mundus coalescit ex materia et ex materiae viribus ex quibus habentur modificationes variae; unde in sua substantia consideratus non importat nisi materiam et vires ejus. Atqui materia mundi non est una sed multiplex, saltem secundum suas partes considerata, et similiter vires materiae plures sunt secundum pluralitatem materiae aut partes in quas materia divisa et distincta esse concipitur. Ergo neque mundi substantia est una tantum sed multiplex est aut multiplicata, aut multiplicabilis. Unde licet sit unus mundus tantum ex pluribus

materiae partibus constans, quia tamen materia aliquid substantiale importat, ideo sicut ipsa multiplex est et multiplex vere concipitur, etiam plures substantiae in mundo sunt et vere esse concipiuntur.

3.° Ponere mundum esse unam substantiam tantum et non constare ex pluribus substantiis distinctis imo et diversis 1.° est contra sensum communem; 2.° est destruere libertatem; 3.° est destruere moralitatem. — Est contra sensum communem a quo spontanee et ineluctabiliter agnoscitur et semper agnita est pluralitas substantiarum omnino inter se distinctarum tum viventium tum non viventium; est destruere libertatem, quia haec non mundo quasi unicae substantiae convenit atque tribuitur, sed homini qui si non est substantia vera licet partialis in mundo, non potest esse nisi modificatio et accidens quoddam totius mundanae substantiae; atque proinde ipse dominium verum suae actionis habere non potest; est destruere *moralitatem*, quia haec in libertate fundamentum habet; insuper imputabilitas actionum non homini sed ipsi mundanae substantiae in hypothesi exclusive tribuenda est, ipsa enim ponitur sui juris, non autem homo.

Caput IV.

De distinctione mundi a Deo.

(Cf. auctores citatos cap. praeced. l. c. respectivis).

23. **Pantheismus.** — Pantheistae docent mundum et omnia quae in mundo sunt esse ipsum Deum. Unde nomen, quo ipsi denominantur, eorum doctrinam indicat manifeste; dicuntur enim pantheistae a vocibus Graecis *παν* (omne) et θεός (Deus). Ipsi ponunt unicam substantiam atque existentiam quae

iugiter evolvatur atque fiat omnia. Ex qua doctrina finitum et infinitum identificari in unitate substantiae inferunt, Variae sunt species seu deliramenta pantheismi: unde distinguitur Pantheismus realisticus seu spinozisticus, Pantheismus idealisticus, Pantheismus psychologicus.

24. **Pantheismus spinozisticus.** — Pantheismus realisticus dictus est Spinozisticus a Spinoza, quia sub forma scientifica sub qua proponitur ab ipso Spinoza expositus est. In eo autem consistit quod ponitur unica realis substantia universalis cogitatione et extensione praedita, quae ratione extensionis est corpus, ratione cogitationis spiritus. Haec substantia omnium entium realitatem constituit; varia entia autem non sunt nisi modificationes unius ejusdemque substantiae; non enim, juxta Spinozam, potest esse nisi unica substantia, quia ut ipse ait, *substantia* nihil est aliud quam *id quod nulla alia re indiget ad existendum.* — Haec substantia est ipse Deus et est etiam ipsa natura, quae dicitur *natura naturans*, prout est causa et ratio omnium determinationum, dicitur *naturata* prout est actu modificata in suis manifestationibus. Licet Spinoza primus pantheismum sub forma scientifica proposuerit, tamen ipsum in pantheismo assereńdo plures praecesserunt, videlicet Eleatenses, Stoici, Neoplatonici, Scotus Erigena, Almaricus Canutensis et tandem Jordanus Bruno.

25. **Pantheismus idealisticus.** — Quidam philosophi Germani ex doctrina subjectivistica Kantii pantheismum idealisticum intulerunt. Tales sunt Fichte, Schelling, Hegel, qui praeter subjectum cogitans nihil existere posuerunt. Posita enim subjectivistica doctrina, omnia quae a mente nostra concipiuntur esse subjectiva consequitur, reale et ideale

idem esse; unde *realitas* ipsa inter categorias subjectivas recensetur a subjectivistis (cf. log. n. 255, pag. 205). Ideo subjectum cogitans idest *ego,* et *mundus* aliquid ideale sunt sicut et eorum distinctio; idest a mente seu a cogitatione ipsa omnia originem ducunt. Igitur *Fichte* concludit: *τὸ ego* habetur quatenus esse concipitur seu quatenus esse affirmatur vel per ipsam intellectionem ponitur; unde fit propositio: (Ego cogito). *Ego sum — ego sum ego — ego = ego* — et sic habetur *thesis* quae est positio sui ipsius. — Et sicut per affirmationem seu per positionem idest per simplicem et primam cogitationem habetur *ego* — ita per negationem *τοῦ ego* remanente cogitatione in secundo momento ipsius habetur *τὸ non ego,* idest *τὸ ego* negatum, quod vi negationis apparet ut quid distinctum ab *ego* et ut quid *objectivum,* et sic habetur *mundus : Antithesis.* In primo statu *τὸ ego* ut quid indeterminatum, quasi solitarium se ponit, sed per hoc quod (in secundo statu) coram *τὸ non ego se* sistit determinationem accipit et distinctionem, et ideo fit aptum ad hoc ut *τῷ non ego* uniatur et (in tertio statu) de facto unitur; unde *Synthesis* quaedam habetur inter utrumque. — *Schelling* vero ponit *τὸ* absolutum in quo omnia opposita sine ulla oppositione praeexistunt, non tamen actu, sed in potentia, idest objectum et subjectum, natura et spiritus etc.; unde omnia habentur ex evolutione absoluti quod fieri potest et fit omnia, idest *τὸ ego* et *τὸ non ego,* subjectum et objectum, natura et spiritus etc. Absolutum autem est ipse Deus, implicitus quidem ante evolutionem idest in statu principii, explicitus autem in statu finis. — *Hegel* nonnisi *ideam* agnoscit quam *τὸ fieri,* in quo identificat esse et non esse (cf. log. n. 205 et 315), vocat; eam evolutioni dicit esse subjectam

et tres gradus seu status vel effectus in ipsa distinguit: 1.° statum idealem purum, et sic est objectum logicae, 2.° statum naturae, antithesis, quatenus ipsa se exhibet ut aliquid distinctum a subjecto cogitante seu a se ipsa cogitante, et sic habetur mundus exterior seu natura; idea accepta in hoc secundo statu est objectum philosophiae naturalis, 3.° statum *mentis* seu spiritus, qui constituitur vi evolutionis per quamdam synthesim quatenus idea redit ad se et percipit se percipere mundum vel etiam mundum esse ipsam.

26. **Pantheismus psychologicus.** — Quidam recentiores Deum cum conscientia ipsa nostra confundunt atque identificant. Ponunt enim quamdam conscientiam universalem a nostra indistinctam eamque Deum dicunt, omnia vero alia esse phaenomena seu phantasmata quibus Deus manifestatur, affirmant; ita Krause inter alios; unde a nostro ego repetitur omne scientiae principium atque omnis divinitatis manifestatio. Hinc modernistarum error et confusio circa revelationem divinam et manifestationem seu revelationem quae per nostram conscientiam habetur. Ad Pantheismum psychologicum revocatur pantheismus a Schopenhauer inductus a quo ponitur unica et perversissima voluntas quae sit causa et essentia omnium rerum, quae non sunt nisi voluntatis actus objectivati. Hartmann praeter voluntatem addit ideas inconscias quibus producitur universus.

27. **Conclusio I.** — *Pantheismus sub quacumque forma consideretur est omnino absurdus.*

Prob. 1.°: Pantheismus sub omnibus formis consideratus hoc commune habet quod ponit aliquid unum (licet variis nominibus designatum puta *substantiam, absolutum, fieri* etc.) infinitum et *potentiale* evolutioni subjectum et quod habeat aseitatem et

varie imo multipliciter determinetur, juxta multiplices et indefinitas, imo et contradictorias mundi determinationes et perfectiones, sine causa extrinseca in ipso mundo agente et ipsum determinate. Atqui omnino absurdum est ponere *aliquid* unum habens *aseitatem*, quod sit infinitum potentiale, evolutioni subjectum et determinabile per varias multiplices indefinitas et contradictorias modificationes, quod se determinet sine causa extrinseca in ipso agente et ipsum determinante. Ergo pantheismus sub quacumque forma spectetur est omnino absurdus et rejiciendus. — *Major* patet ex expositione pantheismi in suis formis. — *Minor* in cujus veritate stat tota vis argumenti etiam patet tum ex se se, tum et ex iis quae supra contra materiam improductam atque vires mundanas statuimus, (n. 18 seqq.); verum ob rei gravitatem breviter probanda et confirmanda est.

Prob. Itaque *minor* 1.° ex eo quod illud infinitum quod ponitur a pantheistis evolutioni atque modificationibus subjectum, vel putatur esse vere infinitum secundum proprium *esse* et secundum perfectiones, et tunc nonnisi absurdissime ponitur evolutioni subjectum et absurdissime dicitur *potentiale*, absurdissime dicitur subjici atque perfici modificationibus mundi; nam tale *ens* est omnino actuale, immobile, atque cujuscumque determinationis incapax in se ipso acceptum; vel dicitur infinitum non in ordine ad perfectiones quas actu habeat, sed in ordine ad eas quas non habet quatenus in potentia ad infinitas determinationes et perfectiones acquirendas constituitur; et tunc talis naturae *secundum se* esse oportet ut in maxima indigentia actualitatis, hoc est perfectionum ponatur; unde nullum esse determinatum secundum se, hoc est secundum suum esse absolutum importare potest et quidquid habet determinationis

est aliquid acquisitum ei superveniens seu superadditum. Atqui illud quod ex se nullum habet esse determinatum, in maxima indigentia et potentialitate positum absurde ponitur aliquid sibi addere posse, absurdissime ponitur sibi addere posse infinitas, seu indefinitas perfectiones; sicut *pauper* et *miser* ex se se, si solus ponatur in maxima potentialitate, privatione et indigentia, ex propria miseria exire non potest. Ergo absurde ponitur *illud ens* secundum se *indeterminatissimum* et maxime potentiale sibi addere novas et novas perfectiones, praecipue quia haec indigentia et privatio est non in aliquo ordine sed simpliciter et absoluta in ratione essendi.

2.° In qualibet forma pantheismi Deum, hoc est ens a se, cui competit ratio et fundamentum omnium quae sunt aut esse possunt, ponitur esse aliquod objectum secundum se acceptum existendi incapax. Atqui omnino absurdum est ponere Deum hoc est ens a se, fundamentum et rationem existendi omnium, esse aliquid existendi incapax. Ergo pantheismus sub quacumque forma spectetur est omnino absurdus et rejiciendus. — *Minor* patet, quia illud quod est existendi incapax est nihilum. — *Prob. major:* Nam in qualibet forma pantheismi Deus hoc est ens a se quod consideratur uti basis, fundamentum, ratio omnium, ponitur aliquod objectum vagum, indeterminatum, potentiale, infinitum seu potius indefinitum atque indefinibile non quidem ob multas atque infinitas perfectiones quae ei actu conveniant, sed ob deficientiam omnium perfectionum, determinationum seu modorum essendi; haec enim omnia *illud ens* non ponitur habere secundum se acceptum sed progressivo tempore vi evolutionis; unde non pertinent ad *esse intimum ipsius* prout dicitur

et supponitur aseitatem habere (cf. supra n. 21). Atqui hujusmodi objectum secundum se acceptum, praecisum scilicet a suis determinationibus est incapax existendi. Ergo pantheismus in quacumque forma accipiatur ponit Deum, hoc est ens a se cui competit esse fundamentum et rationem omnium quae sunt aut esse possunt, aliquod objectum existendi incapax — idest *nihilum absolutum*.

3.° Mundus praesens constituitur ex variis imo ex multiplicibus perfectionibus successive acquisitis ut patet et ut confirmatur per scientias naturales ex quibus ea quae ad actualem complexam mundi perfectionem pertinent in simpliciora elementa primitiva ex quibus corpora praesentia costant, resolvuntur; sed praecipue per geologiam quoad viventia modus progressivus procedendi manifestatur ita ut ex imperfectissimo et, ut ita dicam chaotico statu ad praesentem ordinem legibus pulcherrimis atque ordinatissimis constantem tum in non viventibus, tum vel maxime in viventibus factus fuerit transitus. Atqui omnino absurdum est haec omnia explicare per pantheismum in quo nonnisi ens vagum, indeterminatum, imperfectissimum ponitur aseitatem habere et veluti fundamentum et ratio prima omnium. Ergo pantheismus sub quacumque forma proponatur est intrinsece absurdus et rejiciendus.

28. **Objectio.** — In iis quae apud nos viventia dicuntur habetur processus ex imperfecto ad perfectum; ita ex semine habetur planta, arbor etc.; ex ovo vel ex semine habetur animal, ipse homo etc.; unde nedum absurdus est processus ex imperfecto ad perfectum, sed rationi maxime consetaneus. Ergo optime per pantheismum processus mundi explicatur.

Resp.: Haec objectio nullam vim aufert nostrae argumentationi, imo eam mirifice confirmat si intime

spectetur; nam 1.° progressus ex imperfecto ad perfectum in viventibus nonnisi absurdissime explicatur *solum* per id quod uti imperfectum asseritur, idest per *solum semen*, aut per *solum ovum*: etenim utrumque supponit principium generans bene determinatum et perfectum ex quo semen aut ovum, et inde animal descendit; e contra mundus prout a pantheistis ponitur uti explicatio et principium omnium perfectionum et evolutionum infinitarum quibus successive subjicitur non supponit aliud principium extrinsecum a quo sit, a quo impulsum habuerit; 2.° semen aut ovum, de quo loquitur objectio, et ex quo habetur vivens est bene, imo optime elaboratum a principio a quo procedit, bene distinctum, determinatum et etiam actuatum, determinatis legibus in ipso existentibus subjectum a quibus infallibiliter dirigitur etc.; unde ex variis seminibus varia viventia habentur; ex semine plantae, e. g. nonnisi planta, ex semine animalis nonnisi animal, ex semine plantae aut animalis determinatae speciei, puta mali nonnisi *malus*, ex semine pyri pyrus, ex semine canis nonnisi canis etc. habetur aut haberi potest; e contra principium potentiale pantheistarum nihil determinatum, nihil elaboratum, in se continere ponitur; ad summum dicitur evolutioni subjectum; sed evolutio modo omnino indeterminato sumitur, nulla lege dirigi dicitur, sed solummodo casu; unde nullus terminus ad quem tendat determinate adsignatur aut assignari potest, idest assignatur motus et evolutio abstracta ab omni termino!!! 3.° Ad explicandum progressum ovis aut seminis ad statum animalis aut viventis praeter praedicta, alia agentia exteriora omnino distincta imo et diversa inducuntur et induci debent, sine quibus nonnisi absurdissime quis praedictum pro-

gressum explicare conaretur. Unde requiritur aer, calor etc. et ea omnia quae calorem, aerem etc. supponunt; e. g. *sol, materia* ex quibus nutriuntur, quae sunt omnino extra ipsa. E contra pantheistae nonnisi *aliquid* indeterminatum, vagum, imperfectum ponunt ex quo omnem progressum absurdissime explicari dicunt. Unde pleno jure ex iis quae habentur in objectione concludimus quod si etiam supponatur existere aliquod principium omnino indeterminatum quod sit in potentia ad omnes evolutiones et perfectiones, manifestationes, dispositiones, ornatus, quae acciderunt et accident in infinitum multiplicanda, urget ratio ponendi aliquod principium activum mundo extrinsecum, proportionatum illis infinitis variationibus, quod non sit potentiale, sed maxime actuale, motui non subjectum, principium omnis motus; atque in sua activitate et actualitate seu in suo esse et perfectionibus infinitum.

29. **Animadversiones circa singula pantheismi formas.** — Circa formam Pantheismi Spinozistici inter alia hoc animadvertendum occurrit quod absurde ponitur substantia unica, infinita extensione et cogitatione praedita; nam haec duo in uno eodemque subjecto, nisi ponatur ex principiis contrariis et oppositis constans, esse non possunt quippe cogitatio in suo conceptu importat aliquid simplex et inextensum. Insuper infinitas repugnat substantiae spinozisticae, nam infinitas simpliciter et in ratione perfectionis sumpta excludit nedum extensionem sed quamlibet potentialitatem (cf. *Ontol.*, n. 591 et 607); infinitas autem actu secundum magnitudinem extensivam aut secundum multitudinem non solum non probatur, sed ejus impossibilitas et absurditas ostensa est (cf. *Ontol.*, n. 473, 690). Similiter si cogitatio adsumatur prout mani-

manifestatur in re sensibili puta in homine de qua exclusive, ut videtur, vi systematis, loquitur Spinoza nonnisi absurde dicitur infinita; quippe cogitatio *infinita* ad omnia objecta et existentia et possibilia se extendere debet. Si autem Spinoza supponat substantiam mundanam in qualibet parte suae extensionis esse cogitatione praeditam tunc inauditum absurdum a sensu communi totius generis humani reprobatum quin dicam ridiculum incurrit. — Multo magis incurrit absurdum ponendo cogitationem in materia infinitam; repugnat enim cogitationi infinitas extensionis quinimo ipsa extensio; et multo magis repugnat ei infinitas intensionis in systemate spinozistico. — Aliae pantheismi formae in doctrina subjectivistica absurditatibus plena fundamentum habent, atque ipsius sunt logicae vel etiam illogicae illationes, quippe in subjectivismo logicum et illogicum affirmatio et negatio objective spectata idem sunt! Unde contra has pantheismi formas valent ea quae contra subjectivismum statuimus (cf. log., n. 194, 236-262 et 312-316, *Ontol.*, n. 376-405, et 612-621). Et ut ad particularia breviter descendamus circa formam pantheismi Fichte sufficiat animadvertere absurditatem qua docetur ex negatione τοῦ ego — procedere mundum exteriorem! quare non ponitur potius simili absurditate *το ego* provenire ex *non ego?* — At non minus absurda est positio *absoluti* Schellingiani in quo contradictoria identificari dicuntur, quin tamen determinetur quid sit illud *absolutum!* — Hegel ad suum systema sustinendum negat principium contraddictionis ut absurditates quas incurrit tegere aut dissimulare possit (cf. log., n. 315 et nostram Introduct., p. I, c. III). Non minus absurdus est pantheismus Krause aut modernistarum ponentium conscientiam universalem iden-

ticam cum nostra esse Deum ; aut Schopenhauer et Hartmann qui ponunt mundum in sua realitate et objectivitate esse vel a sola voluntate universali perversa cum voluntate ipsa nostra identificata vel simul ab ideis quae a nostris non distinguuntur ; conscientia enim universalis illa, perversa voluntas atque ideae positae ad instar vel loco divinitatis monstruositates atque chimerae sunt. En deliramenta ad quae admittenda coguntur ii qui *Deum* et *verum* et *vivum* sicut ponendus est negant !

30. **Conclusio II.** — *Mundus est a Deo omnino distinctus imo et diversus.*

Prob. 1.° : Mundus est contingens, mutabilis, compositus, finitus, ab alio etc. (cf. n. 12-17 et *Ontol.*, n. 573). Atqui Deus est ens omnino necessarium, immutabile, simplex, infinitum, a se (cf. *Ontol.*, n. 610). Ergo mundus est a Deo omnino distinctus, imo et diversus.

2.° Si mundus esset Deus oporteret materiam esse improductam. Atqui materia improducta omnino repugnat. — Ergo mundus a Deo omnino distinguitur.

3.° Ponere mundum esse Deum est Deum negare, est contradictoria affirmare et est immoralitati omnimode locum et ansam praebere. Atqui haec tria tolerari nullo modo a recta ratione possunt. Ergo omnino absurdum est adserere mundum esse Deum. — *Prob. maj.* quoad suam triplicem partem.

1.° *Adserere mundum esse Deum idem est ac Deum negare.* Nam adserere mundum esse Deum, ut pantheistae adserunt, est negare Deum qualem ab omnibus communiter esse intelligitur. Atqui negare Deum qualis communiter intelligitur est vere et proprie negare Deum. Ergo adserere mundum esse Deum idem est ac Deum negare. — *Prob. maj.* : Nomine Dei communiter intelligitur ens omnino a mundo distin-

ctum, videlicet intelligentia infinita et voluntate praeditum, factor ipsius mundi.

2.° *Adserere mundum esse Deum est contradictoria affirmare.* Nam mundus est ens omnino contingens quod non in se sed in alio habet rationem suae existentiae, est ens finitum, compositum et potentiale idest vicissitudini et mutabilitati subjectum, uti patet ex dictis (n. 11); Deus autem est ens necessarium, infinitum, simplex, actuale, immutabile, aeternum, a se. Atqui contingens, esse ab alio, finitum, potentiale, mutabile, compositum contradictionem includunt si comparentur cum necessario, cum esse a se, cum infinito, cum actuali, cum mutabili, cum simplici. Ergo adserere mundum esse Deum est contradictoria affirmare.

3.° *Adserere mundum esse Deum est immoralitati omnimodæ locum dare, imo est ipsam moralitatem destruere.* Nam si mundus Deus est, et non est alius Deus praeter mundum, quaelibet pars mundi Dei pars erit, et pars nobilissima mundi erit pars nobilissima Dei. Atqui homo est pars nobilissima mundi. Ergo homo erit pars nobilissima Dei; et proinde homo nulli legi moralitatis erit subjectus, sed ipse erit sibi lex in moralibus: nullum ergo legislatorem supra se habebit, nullum praemiatorem, nullum vindicem; ac proinde datur locus omnimodae immoralitati: imo ipsa moralitas destruitur, nam si nullus legislator supra hominem existit, nulla lex moralitatis ab homine supponitur, et ideo nulla moralitas permanebit (1).

31. **Solvuntur difficultates.** — *Obj.* 1.ª Non potest existere nisi una substantia. Sed mundus est

(1) Cf., Rosselli, Summa philos., pars. IV, quaest. VII, art. I; Gatti, Instit. Apolog.-Polem. l. I, tract. I, diss. I, c. II, De Spinozismo concl. I. Cf. etiam Revue Thomiste N. 1 a 1911. pag. 25.

substantia. Ergo solus mundus existit, qui proinde non est ab alio, et Deus est. — *Prob. maj.* : Substantia est id quod per se est et per se intelligitur. Sed quod per se est, et per se intelligitur non potest esse nisi unum. Ergo non potest existere nisi una substantia.

Resp.: Nego maj.; ad prob.: *Dist. maj.:* Substantia est id quod per se est, et per se intelligitur, si *per se* sumatur prout excludit independentiam a subjecto inhaesionis *conc.;* si *per se* sumatur prout excludit causam productionis seu causam existentiae, idest prout idem est ac *a se*, *nego.* Et *contrad. min.:* Quod existit *per se....* idest independenter a subjecto inhaesionis non potest esse nisi unum *nego;* quod existit per se, idest independenter a causa existentiae, non potest esse nisi unum, *conc.* Et *nego conseq.* (cf. n. 625-626).

Obj. 2.ª Quod unico conceptu concipitur non potest esse nisi unum et unicum. Sed substantia unico conceptu concipitur. Ergo substantia non potest esse nisi una.

Resp. Dist. min.: Substantia generice sumpta prout menti per abstractionem intellectus objicitur, *unico conceptu* concipitur *conc.;* substantia in species divisa, imo et in individua, prout est a parte rei, unico conceptu concipitur, *nego.* Et *nego conseq.* — Nam a parte rei sunt variae et multae species substantiarum, ut *angelus, homo, animal, brutum, arbor, sol* etc., quae in sua determinata natura nonnisi per varios conceptus concipiuntur.

Obj. 3.ª Substantia divina quam ponimus est infinita. Atqui praeter infinitum nihil esse potest. — Ergo sola substantia divina existit.

Resp.: Dist. min.: Praeter infinitum nihil est quod sit infinitum et a se, *conc.;* nihil quod sit fini-

tum et ab alio, *nego.* — Ex principio in objectione absumpto potius oppositum probatur; nam si substantia divina est infinita, oportet ut etiam activitate sit praedita, et ideo ut habeat rationem causalitatis in actu primo respectu entis producendi ab ipsa.

Obj. 4.ª *Subsumes:* Atqui praeter substantiam infinitam nulla alia substantia, esto finita et ab alio, dari potest. Ergo etc. — *Prob. antec.:* Si daretur substantia finita, haec simul cum substantia infinita efficeret aliquid majus. Sed hoc est absurdum. Ergo praeter substantiam infinitam nulla alia, esto finita, datur.

Resp.: Nego minor. subsumptam. Ad probat.: Respondeo *negando* suppositum. Supponitur enim quod substantia finita addi possit substantiae infinitae ad efficiendum aliquid majus, quae suppositio absurdissima est. Nam ea quae sunt diversae rationis non possunt intelligi simul conjuncta ad efficiendum aliquid majus, non enim lux fit major, si addatur ei aliquid quod lux non sit; imo etiam ea, quae in ratione generica conveniunt, non possunt intelligi simul unita ad efficiendum aliquid majus si unum horum plurimum distet ab alio: e. g. si luci solis addatur lux carbonis ardentis, non propterea lux major habetur, sed lux carbonis obscuratur; multo ergo minus dici poterit haberi aliquid majus, si addatur finitum infinito, quod additionis aut diminutionis capax non est. Mathematici demonstrant in quantitate finitum additum infinito tanquam nihil computari; quanto ergo magis hoc verificatur de eo, quod undequaque infinitum est? — Quidam concedunt per additionem finiti ad infinitum haberi aliquid majus non intensive et intrinsece, sed extensive et extrinsece, quatenus scilicet habetur nova entitas; sed quia finitum tamquam nihilum ad in-

finitum comparatur et infinitum capax additionis non est, ideo potest simpliciter negari fieri aliquid majus, sicut non fit aliquid majus in ratione longitudinis si punctum lineae addatur, cum sit alterius rationis.

Obj. 5.ª Si plures extarent substantiae distinctae, aut differrent per attributa essentialia seu substantialia, aut per attributa accidentalia. Atqui non possunt differre per attributa accidentalia, neque per attributa substantialia. Ergo nullo modo possunt differre. — *Prob. minor* ex eo quod differre per diversa attributa accidentalia non importat diversitatem substantialem, et ideo non importat diversitatem substantiae; differentia vero per attributa substantialia facit rem differre ab aliis in eo quod ipsa est subsistens, et ideo aliae ab ipsa differentes non sunt per se subsistentes, neque proinde sunt substantiae, et ideo ipsa sola est substantia.

Resp.: plures substantias differre non per attributa accidentalia, sed per attributa substantialia non quidem considerata sub ratione generica substantialitatis, cum sub hac ratione omnia attributa substantialia conveniant, sed sub tali ratione idest specifica talis substantialitatis; sicut *homo animal* differt a bruto animali per hoc, quod *aliud animal* est homo et *aliud animal* est brutum; non autem differentia attenditur in eo praecise quod homo est animal, sed in eo quod homo est animal *rationale,* quamvis in homine idem sit *animal* et *rationale:* idest differentia *animalis* quod est *homo* attenditur ob rationalitatem praecise, quamvis realiter rationalitas sit animalitas hominis. Unde et una substantia differt ab alia propter differentiam specificam, quae a substantia realiter non distinguitur, sed ratione tantum, et ideo est attributum substantiale vel essentiale talis substantiae.

Obj. 6.ª Cum Deus sit infinitus, oportet ut in se omnes mundi perfectiones, et ideo ipsum mundum contineat. Ergo perfectiones mundi et mundus ipse sunt perfectiones Dei et ipse Deus.

Resp. : Dist. antec. : Oportet ut Deus in se contineat perfectiones mundi etc. virtualiter et eminenter *conc. ;* formaliter et entitative seu identice, *nego.* Et *nego conseq.* — Deus certe in se habet omnes perfectiones possibiles et ideo etiam perfectiones mundi; sed ex hoc non sequitur quod eas omnes formaliter in se contineat, et multo minus sequitur quod contineat identice : sed sequitur quod eas contineat eo modo, quo effectus existit in sua causa (n. 565). Calor e. g. qui ab igne alicui corpori communicatur, continetur in igne non identice, sed virtualiter et aequivalenter et per excessum, neque ignis fieret magis calidus per additionem caloris alicui corpori ab eo communicati (1).

Caput V.

De mundi origine.

(Zigliara, l. c., cap. II, art. I, II; Lepidi, cap. I, § III; Liberatore, l. c., art. IV, prop. 1, 2 et 3; Mancini, Schiffini, Germano, Hugon, Willems in suis respectivis Cosmol.).

32. **Ratio capitis.** — Statuta ratione existentiae mundi de ejus origine remanet esse dicendum. Agentibus autem de mundi origine duo sunt determinanda idest causa seu principium ex quo mundus ortus est et originis tempus. Circa primum quaeri potest et

(1) Pro aliis diff. cf. Gatti l. c.

determinandum est an mundus habuerit originem ex evolutione fortuita atomorum, vel per per emanationem a divina substantia vel per creationem.

33. **Quaestio.** — Si mundus non est ens a se, ut ostendimus in praecedenti capite, originem habuisse fatendum est; proinde quaeritur in praesenti de mundi origine, ad quam explicandam tres sunt philosophorum sententiae. Prima sententia docet mundum originem duxisse ex evolutione materiae informis; sed quia materia ex atomis resultans consideratur, ideo quidam originem mundi ex fortuito atomorum concursu repetunt. Secunda vero adserit habuisse originem per emanationem a divina substantia. Secunda haec sententia Neoplatonicis tribuitur, quos secuti sunt medio aevo Scotus Erigena, Avicenna et alii. Ab hac doctrina non recedere videntur Jordanus Bruno, Baader, et alii, sed praecipue Ekkehardus quem quidam mystici sequuntur. Tertia tenet habuisse originem per creationem. At prima quatenus adserit mundum esse ex fortuito atomorum concursu, et secunda sententia falsa et omnino absurda est, et quamvis possit id patere etiam ex dictis nihilominus duas conclusiones statuimus.

34. **Conclusio I.** — *Omnino absurdum est adserere mundum habuisse originem ex fortuito atomorum concursu.* — Ante probationem conclusionis advertendum est eos, qui adserunt mundum habuisse originem ex fortuito atomorum concursu, ponere hujusmodi atomos esse increatas, et cohaerenter; nam si ponerent creatas ex nihilo, sequeretur quod atomi quidquid habent, sicut et proprium esse, haberent per creationem seu ab alio, non a se, puta quod sint in illo vel alio loco, quod moveantur vel non moveantur circa illam vel aliam directionem, quod habeant vim attractivam etc.: et ideo mundus proprie

habuisset originem a principio extrinseco et distincto ab atomis illis. Unde haec conclusio probata manet ex dictis.

Prob. conclusio : 1.° Si ponatur mundum habuisse originem ex fortuito atomorum concursu, necesse est adserere quod atomi illae, ex quibus mundus conflatus est, sint improductae. Sed omnino absurdum et contradictorium est ponere atomos improductas. Ergo omnino absurdum est ponere mundum habuisse originem ex fortuito atomorum concursu. — *Prob. minor:* 1.° Quia secus ponenda esset materia improducta, quod esse absurdum demonstravimus (n. 18). 2.° Atomi ex sua natura sunt indifferentes ad hoc quod sint in illa vel alia parte spatii, quod sint in motu vel in quiete, quod moveantur in illam vel aliam directionem, quod sint finitae vel infinitae, in numero hoc vel illo determinatae. Atqui quod est improductum oportet ut vi suae improductionis sit determinatum vel ad motum vel ad quietem, ad hanc vel illam determinatam partem spatii etc. Ergo omnino absurdum est ponere atomos improductas.

2.° Atomi quocumque modo sumantur ex sua natura non habent ut se moveant et multo minus ut se moveant in hanc vel illam directionem, cum sint omnino indifferentes. Ergo multo minus ex sua natura habent ut simul uniantur ad efficiendum mundum tam mire ordinatum (1).

Dices : Per attractionem habent ut sibi ad invicem occurrere possint.

Sed contra : Ut corpora vel atomi se invicem possint attrahere, necesse est ut in determinata distantia reperiantur, et in determinato loco. Atqui atomi

---

(1) Cf. Rosselli, *Summa Philosoph.*, pars IV, quaest. VII, art. II et IV.

ex sua natura non habent ut sint inter se in determinata distantia, neque ut sint in determinato loco. Ergo neque habent ex sua natura ut per attractionem ad invicem occurrere possint. — *Prob. minor* ex eo quod atomus ex sua natura indifferens est ut sit in illa vel alia distantia, in hoc vel illo loco.

3.° Si autem mundi mirificus ordo prae oculis habeatur, assertio originis mundi ex fortuito atomorum concursu absurdissima apparebit ita ut uti stultus haberi debeat non solum qui certo retinet id factum esse sed etiam qui dubitat. Et revera: si quis inveniat paucas litteras unitas atramento vel alio modo impressas ad unum verbum efformandum non dubitat illas ab homine, non a bestia vel natura, vel casu esse; imo ab homine aliqualiter instructo unitas fuisse pro certo habet. Quid si inveniatur pagella ex combinatione plurimarum litterarum? Quid si poema aliquod, et praecipue si pulcherrimum? Quid si inveniatur liber de scientiis philosophicis, mathematicis, de scientiis naturalibus optime disserens? Fortasse ea omnia mire nostris diebus adinventa, scriptis consignata casu scripta putanda sunt et ideo an vera vel falsa sint est dubitandum? Atqui ordo et pulchritudo universi in infinitum superat ordinem etc. cujuscumque poematis. Ergo adserere vel etiam dubitare non ab aliqua intelligentia sed casu ex fortuito atomorum concursu esse factum universum idem est ac valedicere rationi (1).

---

(1) « Supposons, ait D.r Poisson, quae trouviez 10 lettres formant le mot ABSOLUMENT. Ici, vous n'hésitez plus et vous affirmez *sans crainte d'erreur* que l'auteur de cette juxta position savait lire et a voulu former le mot français quae vous lisez... Le calcul montre qu'il y a 3628800 à parier contre et en faveur de votre conclusion.... Il a suffi d'augmenter un peu le nombre de lettres qui forment l'arrangement remar-

35. **Conclusio II.** — *Absurdum omnino est adserere mundum ortum esse per emanationem a divina substantia.*

Prob. 1.°: Cum emanatistae docent mundum ortum habuisse a divina substantia aut intelligitur mundum esse ipsam divinam substantiam, quasi in seipsa emanatam et expansam, ut ita dicam; aut intelligitur esse novam substantiam a divina substantia effluentem, ab ea realiter distinctam, aliquid tamen continens de ipsa substantialitate divina. Atqui utrumque absurdum est. Ergo absurdum omnino est adserere mundum ortum esse per emanationem a divina substantia. —

---

quable pour passer d'une probabilité ordinaire à une certitude pratique ». Cf. P. Hugon, *Cosmol.*, pag. 19-20, ex quo haec verba transcripsi, et qui hoc argumentum optime evolvit. Cf. Willems, *Cosmol.*, pag. 166-168. — Cf. etiam fasciculum 33, *Scienza e Religione*, Roma, apud Desclée ed. a. 1906 ubi hoc argumentum diffuse et sapienter pertractatur. Inter alia cl. auctor notatu digna haec scribit: « Se si tentasse di calcolare il numero degli atomi contenuti nel solo globo terrestre (circa 30 milioni per millimetro cubo) e il numero delle loro possibili combinazioni, tutti gli edifizi conosciuti nelle cinque parti del mondo non basterebbero per contenere i manoscritti necessari ai calcolatori. E se aggiungiamo che il nostro globo non è che un punto infinitamente piccolo nell' immensità dei cieli, possiamo concludere che il numero totale delle combinazioni degli atomi dell' universo può venire praticamente considerato come infinito ». *Scienza* e *Religione* l. c. pag. 46-47 ubi citatur Farges, *l'Idea di Dio* p. 171. — Si vero ad haec addatur quod quaelibet *atomus* indifferens est ut sit in hoc vel illo puncto spatii, ut uniatur cum qualibet omnium aliarum atomorum, et fortasse etiam pluribus et multis modis et quod indifferens est ut moveatur in hanc vel illam directionem juxta scilicet lineas omnes, certe infinitas, quae a qualibet ipsa atomo veluti a centro quaquaversus deduci possunt, judicetur quaeso an possibilitas aliqua remanere possit nedum ad ordinem actualem, sed etiam ad aliquem mundum efficiendum, nisi ponatur aliquod principium extrinsecum determinans et dirigens.

Prob. minor ex eo quod si ponatur mundum esse ipsam divinam substantiam in seipsa expansam, habetur pantheismus realisticus seu spinozisticus in capite praecedenti ut absurdus refutatus ; si autem mundus ponatur a divina substantia distinctus, aliquid tamen ad divinam substantiam pertinens, habetur quod divina substantia in partes discerpatur; et ideo divina substantia erit composita, imo materialis et imperfecta, quod est absurdissimum.

36. **Objectio.** — Mundus et ea quae sunt in mundo, sunt participationes divinae substantiae. Sed participatio importat emanationem. Ergo mundus et ea quae sunt in mundo, sunt per emanationem a divina substantia.

Rcsp. : Dist. maj. : Mundus etc. sunt participationes etc. per modum partis *nego,* participationes per modum similitudinis, *conc.* Et *contrad. min.*. Participatio, quae attenditur secundum partem, importat emanationem *conc.,* vel *transeat ;* participatio, quae est per modum similitudinis, importat emanationem *subdist. :* Proprie dictam juxta datam supra explicationem, *nego ;* emanationem improprie dictam, *conc.* Et *nego conseq.* — Aliqua res dupliciter potest dici participari ; 1.° secundum partem, sicut cum pars ejus substantialis accipitur ; 2.° per modum similitudinis, cum scilicet ab ipsa producitur aliquid ad similitudinem ejus, quamvis ejus substantia secundum partem non adsumatur, sed producatur aliquid omnino novum. 1.ª Participatio dici potest emanatio proprie loquendo ; 2.ª vero nonnisi improprie vocatur emanatio.

Caput VI.

Mundi origo determinatur.

(S. Th., p. I, qu. XLV cum comm. Cajet., Bannes etc.; lib. II, c. g.; qq. disp. de Potentia; et nostram theol., p. I, a. II; Zigliara, l. c., art. III, IV, V; Lepidi, l. c., cap. I, § III; Liberatore, l. c., prop. 4 et 5; Gatti, De Deo creatore, diss. I, c. I; Mazzella, De Deo Creante; Hugon, l. c.; Willems, l. c.).

37. **Notio, possibilitas et factum creationis.** — Creare quandoque sumitur pro facere, sicut cum dicitur aliquis creari episcopus; quandoque vero sumitur stricte et significat facere vel producere aliquid ex nihilo: unde *creatio* stricte et proprie loquendo est *eductio* seu *productio totius rei ex nihilo sui et subjecti.* Creatio hoc sensu accepta distinguitur a *generatione,* quae est productio rei ex nihilo sui sed ex subjecto aliquo praeexistente, e. g. ex *materia* aliqua; sicut pater generat filium ex sua substantia. Unde creatio et generatio in hoc differunt, quod generatio est productio rei ex nihilo sui, non autem ex nihilo subjecti; nam generatio est ex aliquo, puta ex materia: creatio vero est productio rei ex nihilo sui et ex nihilo subjecti, idest ex nullo subjecto praesupposito, hoc est productio totius rei non ex aliquo.

38. **Quaestiones.** — Duo ergo quaeruntur in praesenti: 1.° An creatio sit possibilis; 2.° an mundus habuerit esse per creationem. Multi tum antiqui tum recentiores philosophi erraverunt circa has, quas agitamus quaestiones; ipsemet Aristoteles solutionem harum quaestionum nescivit, ejus enim mens dubio haesisse videtur: contra quos omnes sit:

39. **Conclusio I.** — *Creatio non repugnat, sed est possibilis.*

Prob. 1.°: Causa prima quae est Deus, est causa universalissima. Atqui causa universalissima totum ens producibile seu totum ens finitum producendum respicit, secus non esset universalissima. Ergo creatio, quae est productio totius rei ex nihilo non repugnat.

2.° Quanto agens aliquod est efficacioris virtutis tanto paucioribus mediis indiget ad agendum, vel ad producendum effectum. Ergo agens infinitae virtutis nullo medio indiget, neque ipsa materia, et ideo ex nihilo effectum producere potest. Atqui Deus est infinitae virtutis. Ergo Deus potest ex nihilo aliquid producere; et ideo creatio non repugnat.

3.° Ens finitum non repugnat esse, ut patet, cum multa entia finita existant. Atqui ad ratiónem entis finiti pertinet ut totaliter producatur ex nihilo. Ergo productio totius rei ex nihilo, et ideo creatio non repugnat. — *Prob. minor* ex eo quod si ens finitum in sui ratione non importaret totaliter produci, sequeretur quod in eo esset aliquid improductum et a se et ideo aliquid infinitum, necessarium (cf. *Ontol.*, nn. 574, 605, 610); consequenter finitum in sua natura includeret infinitum, necessarium etc., quod est absurdissimum.

40. **Conclusio II.** — *Mundus habuit esse per creationem.*

Prob. 1.°: Mundus est ens contingens (n. 11), et ideo ab ente necessario, idest a Deo existentiam accepit (*Ontol.*, n. 574). Atqui non ita accepit existentiam a Deo quasi ex praejacente improducta materia (n. 18), neque ex ipsa Dei substantia (n. 25, concl. II). Ergo per creationem.

2.° Mundus est ens finitum (n. 11). Sed ad rationem entis finiti pertinet ut totaliter, et ideo ex ni-

hilo per creationem producatur; (arg. 3 praec. concl.). Ergo mundus habuit esse per creationem.

3.° Ens improductum est ens per essentiam et ipsum esse per se subsistens, et importat consequenter plenitudinem essendi. Atqui mundus non est ens per essentiam, sed est totaliter ens per participationem, non est ipsum esse per se subsistens. Ergo mundus est totaliter, et ideo ex nihilo, productus. — *Prob. minor:* Ens per essentiam, ipsum esse per se subsistens continet in se plenitudinem essendi, omnem potentialitatem excludit, et ideo est infinitum (I, n. 451 et n. 609.) Haec autem omnia mundo repugnant (1).

41. **Solvuntur difficultates.** — *Obj.* 1.ª Creatio ab intellectu comprehendi non potest. Ergo creatio est absurda.

Resp. 1.°: *Dist. antec.:* A nullo intellectu, *nego;* ab intellectu humano, *subdist.:* Non potest *comprehendi,* idest non potest plene naturali virtute cognosci, *conc.;* non potest *comprehendi,* idest non potest ullo modo neque imperfecte *intelligi, nego;* et *nego conseq.* — Creatio a nobis non potest plene cognosci propter debilitatem intellectus nostri, et propter altitudinem actionis creativae, quae est ipse Deus, active spectata; sed potest sufficienter cognosci et distingui ab aliis actionibus et ab aliis entitatibus, et ideo non est inintelligibilis. *Resp.* 2.°: Etiam dato quod non esset ab intellectu humano intelligibilis, non sequeretur ipsam esse absurdam.

Obj. 2.ª Ex nihilo nihil fit. Sed creatio est productio rei ex nihilo. Ergo creatio est absurda.

Resp.: Dist. maj.: Ex nihilo, idest ex nulla praeexistente causa, nihil fit *conc.;* ex nihilo, idest ex

---

(1) Cf. S. Th., l. c., qu. XLIV, a. I.

nullo praeexistente subjecto, *subdist.:* per causam finitae virtutis, *conc.;* per causam infinitae virtutis, *nego.* Et *contradist. min. nego conseq.*

Obj. 3.ª Infinitam distantiam non est pertransire. Sed inter ens et nihilum est infinita distantia. Ergo ex nihilo nihil produci potest.

Resp.: Dist. min.: Inter ens et nihilum est infinita distantia proprie loquendo, quasi scilicet nihilum sit *extremum* quoddam comparabile cum *ente*, sicut cum alio *extremo, nego;* est infinita distantia improprie loquendo, idest in hoc sensu quod ad producendum ens ex *nihilo* requiratur virtus infinita, *conc.* Et *nego conseq.*

Dices: Per creationem res extrahuntur unde sunt? sed tunc non habetur creatio, quia res supponuntur. Extrahuntur unde non sunt? sed hoc est contradictorium et absurdum; quid enim absurdius potest concipi quam quod res extrahantur unde non sunt?

Resp.: Per creationem res neque extrahuntur unde sunt, neque unde non sunt; sed per actionem causae universalissimae et infinitae virtutis producuntur, sicut animal in generatione neque extrahitur unde est, neque unde non est; sed per actionem generativam producitur (1).

42. **Quaestiones quae a philosophis moventur circa subjectum potentiae creativae.** — Non sunt praetereundae duae quaestiones, quae moventur a philosophis circa subjectum potentiae creativae. Quaerunt enim an potentia creandi sit solummodo in Deo, vel etiam sit vel saltem esse possit in aliqua creatura, in qua vere virtus agendi reperitur (I, n. 763),

---

(1) Pro aliis difficultatibus Cf. S. Thom. P. I. I. qu. XLV, a II, et qu. III De creatione inter disput. de potentia Dei a. I.; — Cf. etiam Gatti, l. c.

quamvis participata. Sed advertendum est virtutem agendi alicui posse competere dupliciter : uno modo ut causae principali, alio modo ut causae instrumentali (I, n. 751), et ideo sub utroque respectu quaestio est solvenda. Quaeritur ergo : Virtus creandi potest ne participari a Deo suae creaturae ut principali agenti ? 2.° Potest ne Deus uti creatura tanquam instrumento in opere creationis ?

43. **Sententiae.** — Avicenna posuit quod prima substantia separata creata a Deo aliam creat, non virtute propria, sed virtute ipsius Dei ; et quod substantia orbis causet materiam inferiorum corporum. Et secundum hunc modum ad modum instrumenti Magister docuit quod Deus potest creaturae communicare potentiam creandi, ut creet per ministerium, non propria auctoritate.

44. **Conclusio I.** — *Solus Deus potest creare ut causa principalis.*

Prob. : Oportet universaliores effectus in universaliores et priores causas reducere. Atqui esse est universalissimum inter omnes effectus. Ergo esse reducitur in primam et universalissimam causam immediate, quae Deus est ; et ideo a solo Deo producitur. Atqui esse simpliciter et absolute, non inquantum est hoc, vel tale, est proprium opus creationis. Ergo solus Deus potest creare (1).

45. **Conclusio II.** — *Nulla creatura potest esse instrumentum in opere creationis.*

Prob. : Instrumentum, si est verum instrumentum, debet habere aliquam virtutem propriam, qua agat dispositive ad effectum principalis agentis ; frustra enim adhiberetur ad agendum si nihil ageret, et

(1) Cf. S. Th., p. I, qu. XLV, a. V. cum comm. Cajetani et Bannes.

ideo non esset instrumentum ; securis e. g. habet acumen proprium. Sed in opere creationis creatura non potest agere dispositive ad effectum producendum. Ergo creatura non potest esse instrumentum in opere creationis. — *Prob. minor :* Si effectus producitur ex nihilo, sicut contingit in creatione, nihil potest disponi; et ideo dispositive creatura agere non potest in opere creationis (1).

46. **Ultimus finis creationis.** — Cum omne agens agat propter ultimum finem, non absonum erit determinare quinam sit ultimus finis creationis : et ideo sequens conclusio statuitur :

47. **Conclusio.** — *Ultimus finis creationis est ipse Deus.*

Prob. 1.° : Finis vere habet rationem causae (*Ontol.,* n. 800), imo finis est causa nobilior coeteris speciebus causarum, simpliciter loquendo; ergo finis ultimus est nobilissima omnium causarum. Atqui Deus est nobilissima omnium causarum. Ergo Deus est finis ultimus creationis.

2.° Ultimus finis creationis est ultimus finis omnium rerum. Sed nonnisi Deus est ultimus finis omnium rerum. Ergo Deus est ultimus finis creationis. — *Maj. patet* ex eo quod omnia tandem habent esse per creationem, cum ex nihilo sint a Deo producta. — *Prob. minor :* Ultimus finis omnium rerum est summum bonum; nam cum finis habeat ex sua intrinseca natura rationem boni, quanto magis aliquid habet rationem finis, tanto magis habet rationem boni. Atqui solus Deus est summum bonum. Ergo solus Deus est ultimus finis omnium rerum (2).

---

(1) Cf. S. Th., ib.

(2) Cf. S. Th., p. I, qu. XLIV, a. IV, et e. g., l. III, c. XVII et XVIII.

48. **Corollaria.** — I. Ultimus finis Dei in creando est ipsa bonitas divina, non quidem *acquirenda* vel *perficienda*, nam secus Deus non esset summum et infinitum bonum in sua essentia, imo nullo modo esset summum bonum ; igitur ultimus finis Dei est sua bonitas aliis *communicanda*.

II. Ex hoc quod Deus suam bonitatem communicat, ipsa bonitas divina creaturis participatur, et in creaturis manifestatur, quae proinde ex tali manifestatione excitantur ad laudandum seu ad glorificandum Creatorem ; et in hoc sensu dici potest quod gloria Dei est finis creationis.

III. Creatio rerum non est ad aliquam perfectionem seu emolumentum, sive utilitatem ipsi Deo conferendum, cum Deus sit perfectissimus in se, nullo indigeat et nullo extrinseco perficiatur. Unde summa liberalitas in opere creationis manifestatur, ideoque nullus egoismus, ut quidam impie et stulte blaspemantes blaterant.

CAPUT VII.

De divina libertate in opere creationis mundi.

(S. Th., p. I, qu. XIX, a. III, cum comm. CAJET., BANNES, JOANN. A S. THOMA, GONET, BOMPENSIERE, SATOLLI, etc.;
Cf. etiam nostram theologiam, p. I, c. XXV ; SUAREZ, dissert. metap. ZIGLIARA, Cosmol., lib. I, cap. III, art. I ; GATTI, l. c., c. III ;
GOUDIN, tract. II, *De voluntate Dei*, qu. I, a. II et III ;
BILLUART, De Deo, diss. VII, a. III et IV ; et scholasticos recentiores pluries citatos).

49. **Quaestio praeambula.** — Antequam proponatur et definiatur quaestio de tempore mundanae creationis, solvendam esse censeo quaestionem de divina libertate in opere creationis. Quaeritur ergo imprimis an Deus *libere* mundum creaverit vel necessa-

rio. Negant phanteistae et emanatistae mundum libere a Deo processisse; sicut etiam negant proprie loquendo mundum fuisse per creationem productum. Alii etiam praeter pantheistas et emanatistas Dei libertatem in mundi creatione negant, quos inter recensetur Victorius Cousin, professor Vera etc.; sed et Rosminius ipse agnoscit quamdam necessitatam moralem in hujusmodi opere, ut videre est in una propositionum ejus (18.ª) quae ab Ecclesia damnatae sunt. Leibnitz sicut etiam Wolff Deum nonnisi mundum inter possibiles optimum potuisse creare docuit.

50. **Multiplex consideratio creationis.** — Creatio dupliciter sumitur, *active* et *passive*. *Active* sumpta est ipsa *actio* Dei in se considerata ut entitas est, ex qua mundus processit; et hoc modo accepta non distinguitur realiter ab ipsa essentia divina, sed est ipsa, ipse Deus; et ideo creatio *active* accepta, ut est entitas divina, aeterna et necessaria est, et quidem habet rationem actus; nam in Deo nulla potentialitas est aut concipi potest, cum Deus sit actus purissimus. Creatio *passive* accepta est relatio in creatura existens ad Deum creatorem, imo est ipsa creatura prout importat essentialem dependentiam ab *actione* divina. Potest autem considerari *creatio* prout est actio divina formaliter, ut importat ordinem, seu relationem rationis ad creaturam: nam actio producens effectum formaliter accepta non potest concipi nisi cum ordine ad effectum cujus est productiva, et qui actualiter ab ipsa producitur. Actio creativa sic considerata ab essentia divina distinguitur non realiter, sed virtualiter, seu secundum mentis considerationem.

51. **Punctum quaestionis.** — Quaeritur ergo an essentia divina, quae realiter est ipsa actio creativa, vi sui ut essentia est, importet ordinem ad mun-

dum, quatenus est ab ea productus, vel non vi sui praecise, ut essentia est. Si essentia divina vi sui, ut essentia est, importet ordinem ad mundum ab ea productum, sequitur quod necessario sit ipsa actio creativa formalitate sumpta; et ideo ipsa actio creativa divina, ut importat ordinem ad mundum productum, erit necessaria, sicut ipsa essentia in se: si autem essentia divina non importet talem ordinem ad effectum vel mundum productum vi sui ut essentia est, sed ex aliquo facto contingenti, tunc sequitur actionem creativam formaliter sumptam non esse necessariam, sed liberam. His positis sit:

52. **Conclusio.** — *Actio creativa Dei est essentialiter libera.*

Prob. 1.°: Actio creativa Dei est ipsa essentia divina non praecise in se spectata, ut entitas est, sed ut importat ordinem, seu relationem ad mundum productum, vel ad effectum. Ergo necessitas *actionis* creativae non est sumenda ex ipsa essentia divina, sed ex tali ordine rationis ad effectum seu ad mundum productum; ita scilicet ut si talis ordo est necessarius, et necessario absolute concipiatur in ea, sit dicenda necessaria, si autem non necessario, non sit dicenda necessaria. Atqui ordo ad effectum seu ad mundum productum non est essentiae divinae necessarius, neque in ipsa essentia divina necessario concipitur. Ergo actio creativa Dei non est dicenda necessaria, et ideo libera omnino est. — *Prob. minor:* Ordo in essentia divina ad effectum seu ad mundum productum non est realis, quasi perfectio, vel entitas essentiae divinae, sed est rationis, idest est conceptus a nostra mente ex fundamento reali, quod est relatio dependentiae ipsius mundi ad Deum, a quo productus est. Atqui tale fundamentum cum sit mundus ipse, non est necessarium sed est quid

contingens, ut supra probatum est (n. 11). Ergo et ordo qui concipitur in essentia divina ad effectum seu ad mundum productum non est necessarius; et ideo actio creativa divina formaliter sumpta non necessaria est, sed libera.

2.° Actio creativa Dei, quae est actio (volitio) voluntatis divinae non potest dici libera eo modo, quo dicitur libera *actio* voluntatis humanae, quasi scilicet actio voluntatis divinae possit esse et non esse: sed potius dicitur libera in ordine ad mundum producendum, eo ferme modo, quo ipsa voluntas (attende quod paritas non tenet quantum ad omnia, puta ad rationem potentialitatis, nam voluntas nostra ab actione actuatur, completur et perficitur, sed actio creativa Dei, quae est actio voluntatis divinae non actuatur, non perficitur a mundo) humana idest ipsa facultas dicitur libera in ordine ad actum liberum, qui ab ipsa procedit. Atqui voluntas humana vere et proprie dicitur et est libera per ordinem ad actum liberum, qui ab ipsa procedit, quamvis ipsa habeat esse fixum, nullaque relatio realis ad effectum liberum, idest ad actionem liberam quam producit, in ipsa concipiatur ab eadem actione distincta. Ergo ipsa entitas divina et ipsa actio optime dicitur et est libera in ordine ad mundum productum, propterea quod mundus est contingens, quamvis in ipsa nulla relatio realis sit ad effectum productum.

Confirmatur: Actio Dei entitative considerata cum sit essentia divina, et ideo completissima, magis *soluta* est et independens ab effectu quem producit, quam ipsa voluntas humana ab actione volitiva propria. Atqui voluntas humana dicitur libera circa propriam volitionem producendam; quia ipsa volitio est quid contingens respectu voluntatis. Ergo a for-

tiori actio divina creativa seu productiva debet dici libera respectu mundi, qui contingens est.

3.° Libertas est nobilissima perfectio intellectualis naturae seu agentis per intellectum et voluntatem; et eo perfectior est, quanto perfectior est intellectualis natura. Atqui Deus est intellectualis naturae perfectissimae et infinitae. Ergo in Deo est summa libertas in agendo, et ideo Deus mundum libere condidit.

4.° Quod ex necessitate a Deo idest ab ente a se producitur habet esse ex necessitate prima et absoluta. Sed quod est tale necessario existit et est ens necessarium, mundus autem est ens contingens (cf. n. 11). Ergo non ex necessitate sed ex libertate Dei processit.

53. **Conclusio II.** — *Deus ita libere hunc mundum condidit ut perfectiorem potuisset etiam condere.*

Prob.: Repugnat existere mundum omnium possibilium optimum. Ergo mundus a Deo productus non est omnium optimus. — *Conseq. patet. Prob. antec.:* Mundus omnium possibilium optimus importat summam participationem essentiae divinae. Sed repugnat summa participatio essentiae divinae. Ergo repugnat mundus omnium possibilium optimus. — *Major. prob.* ex eo quod mundi infiniti sunt possibiles, quorum unus sit altero major et perfectior, cum essentia divina participata per productionem unius mundi possit etiam per perfectiorem participari et iterum per perfectiorem usque in infinitum; ratio est quia essentia divina est infinita, et ideo infinite participabilis. — *Prob. minor:* Si daretur effectus qui esset summa participatio essentiae divinae sequeretur 1.° quod exhauriretur potentia productiva Dei; 2.° quod daretur effectus infinitae perfectionis,

nam distaret in infinitum in perfectione ab effectibus finitis seu ab aliis mundis possibilibus; haec autem absurda sunt (1).

Dices : Nihil potest fieri sine ratione sufficienti. Atqui ratio sufficiens producendi mundum inter omnes possibiles non potest esse alia quam bonitas mundi major prae caeteris. Ergo quia mundus est optimus inter omnes, a Deo productus est.

Resp. : Dist. maj. : Nihil potest fieri sine ratione sufficienti ab agente creato, *conc. ;* ab agente increato, *subd. :* Sine ratione sufficienti, quae sit extra ipsum Deum et a Deo distincta, *nego ;* quae sit in Deo et sit ipse Deus, *conc. Nego min.* et *conseq.* — Voluntas divina non habet causam, nam ipsa voluntas Dei est prima causa rerum et ab omnibus rebus absoluta et omnino independens, et ideo perfectissime libera. Unde quod Deus hunc mundum prae coeteris produxerit nulla alia ratio adsignari potest quam voluntas divina; secus voluntas divina non esset prima causa. Principii ergo rationis sufficientis applicatio a Leibnitio voluntati divinae facta est omnino absurda (2).

54. **Mundus praesens perfectus est.** — Ex eo quod mundus actualis non est perfectissimus inter omnes possibiles minime sequitur ipsum non esse perfectum; non solum enim perfectus est sed imo perfectissimus, perfectione tamen non absoluta sed relativa, idest in ordine ad finem ob quem Deus ipsum condidit. Deus enim determinatum suae gloriae gradum manifestare intendit; et talis gradus

---

(1) Cf. Moniglia, tom. II, p. III, sez. III, p. IV, sez. IV; et nost. theol. vol. I, LVI.

(2) Alias difficultates invenies solutas apud Roselli, Summi phil. I, II, qu. III. a. II. notis.

aptius quam per mundum praesentem per nullum aliud medium obtineri potest; est enim Deus sapientissimus qui aptiora imo aptissima media novit et accipit ad finem consequendum quem statuit. — Unde Angelicus scite ait: « Universum, suppositis istis rebus, non potest esse melius propter decentissimum ordinem his rebus attributum a Deo, in quo bonum Universi consistit. Quorum si unum aliquod esset melius corrumperetur proportio ordinis sicut si una chorda plus debito intenderetur corrumperetur citharae melodia » P. 1, qu. 25, a. 6., ad 3.m.

55. **Difficultates contra I concl.** — *Obj.* 1.ª: Deus eodem actu vult propriam bonitatem et alia quae ejus bonitatem participant, idest creaturas. Atqui actus, quo vult suam bonitatem est necessarius. Ergo etiam actus quo vult alia a se, necessarius est: et ideo alia a se Deus necessario vult.

Resp.: Dist. maj.: Deus eodem actu.... et *eadem ratione* seu et *eodem modo* vult.... *nego;* et diversa ratione seu *diverso modo conc.; conc. minorem.* Et *dist. conseq.:* Actus quo.... est necessarius, ut entitas est, *conc.,* ut dicens ordinem ad creaturas, *nego.* — Actus quo Deus vult bonitatem suam et creaturas dupliciter considerari potest: 1.° in *se,* ut entitas est, et ita est necessarius, quia est ipse Deus et ipsa bonitas divina; ex quo sequitur quod talis actus sit etiam necessarius respectu bonitatis divinae cum qua identificatur; 2.° potest considerari ut dicit ordinem ad creaturas, a quibus realiter distinguitur et a quibus est omnino independens, cum ipse sit entitas increata, completissima et actualissima, et ideo sit omnino solutus a creaturis, et non importans nisi ordinem rationis ad eas; et hoc modo consideratus est omnino liber.

Instabis : Deus vult alia a se inquantum vult suam bonitatem. Atqui vult suam bonitatem necessario. Ergo et alia a se vult necessario.

Resp. : Dist. maj. : Deus vult.... inquantum vult suam bonitatem praesuppositive, *conc. ;* formaliter, *subdist. :* Inquantum vult suam bonitatem in se consideratam *nego ;* ut communicandam de facto, *conc. Et contrad. min. :* Vult necessario suam bonitatem in se consideratam, *conc. ;* ut de facto communicandam, *nego.* — Deus non indiget communicare suam bonitatem cum sit in se perfectissimus et absolutissimus; et ideo sua bonitas esse potest quin communicetur: unde Deus non vult alia a se ex necessitate, sed libere.

Obj. 2.ª Libertas importat indifferentiam, quae est potentialitas. Sed in Deo nulla est potentialitas. Ergo in Deo non est libertas.

Resp.: Dist. maj : Libertas in actu secundo et in suo exercitio considerata importat *indifferentiam nego.* Libertas considerata antecedenter ad exercitium, *subdist. :* Importat indifferentiam, quae est potentialitas, in creatura *conc. ;* in Deo *nego. Conc. min.* et *nego conseq.* — In Deo libertas est indifferentia actus purissimi se habentis eodem modo omnino ad effectum producendum vel non producendum ; non autem est indifferentia potentiae ad actum, a quo ipsa compleatur et perficiatur, sicut est in nobis ; indifferentia autem actus purissimi se habentis eodem omnino modo ad effectum producendum vel non producendum non est potentialitas quaedam, ut patet, sed indifferentia facultatis operativae ad actum proprium eliciendum, a quo ipsa perficitur et completur, est potentialitas quaedam.

Dices : Si actus voluntatis divinae entitative sumptus, ut est actus purissimus, omnino indifferenter se

habet, quantum est de se, ad effectum producendum vel non producendum, undenam est quod effectus sequatur potius quam non sequatur? et quod hic effectus potius quam alius? nam ex indifferenti nihil sequitur.

Resp. 1.°: Haec difficultas nulla, imo absurda ex debilitate intellectus derivatur. Eadem, imo major est difficultas in explicanda libertate humana, et tamen de ipsa non ambigitur; et revera; voluntas humana indifferenter se habet quantum est de se ad producendum actum volitionis aut nolitionis circa hoc vel illud; et tamen ex ipsa voluntate hic actus volitionis aut nolitionis determinate procedit; imo quia ipsa est indifferens ad hunc vel illum actum dicitur libera in ordine ad hunc vel illum actum; igitur ex hac parte eadem est difficultas: sed dico: *est major;* nam voluntas humana in ordine ad actum quem libere producit, est vera *potentia,* cum ab hujusmodi actu ipsa perficiatur et compleatur; imo sine tali actu vere imperfecta sit; e contra actus voluntatis divinae est completissimus, cum sit ipsa entitas increata, ipse Deus, ipsum esse per se subsistens et ideo magis solutus, imo omnino solutus ab effectu quem producit et independens.

2.° Directe ergo respondendo ad difficultatem dico quod *effectus producti* idest *mundi* quaerenda est causa, et adsignatur actus liber voluntatis divinae: sed nonnisi absurde quaeritur causa et ratio actus liberi divini, quatenus respicit hunc mundum producendum vel non producendum, hunc effectum vel alium; nam sicut Deus causam nullam habet, utpote causa prima, et ab eo omnis causalitas derivatur, ita actus divinae voluntatis sive ut necessarius in ordine ad essentiam divinam consideretur, sive ut liber in ordine ad effectum producendum vel non producendum,

nullam causam habet aut habere potest, cum sit ipse Deus. Ergo vana et absurda est illa objectio, cum supponat actum divinae voluntatis, quatenus importat exercitium libertatis, causam habere.

Obj. 4.ª Vis activa in Deo est ipse Deus. Ergo Deus est essentialiter activus et creator.

Resp.: Dist. conseq.: Deus est essentialiter activus *conc.;* est essentialiter *creator nego.* — Deus est essentialiter activus, quia ipse Deus est actus purus, et est ipsa sua actualis operatio, idest intelligere et velle; sed ex operatione Dei, quae est actus voluntatis divinae non sequitur necessario effectus, cum velle divinum primo, per se et necessario respiciat solum essentiam divinam; alia vero non respiciat necessario, sed indifferenter et libere quantum est de se, et ideo effectus non sequitur necessario, sed libere. Deus autem dicitur creator non praecise ex sua activitate, seu ex suo actu voluntatis entitative considerato, sed ex eo quod libere et de facto effectus sequitur, et ideo non essentialiter dicitur *creator,* sed contingenter ex contingentia effectus, (Cf. nostram, *Theol. spec.,* vol. I, c. XXIV pro aliis diffic.) (1).

---

(1) Haec doctrina ex principiis rationis evidenter deducta et demonstrata optime cum doctrina Fidei collimat expressa sequentibus verbis a concilio Vaticano: « Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona quae creaturis impertitur, *liberrimo consilio,* simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam angelicam videlicet et mundanam ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam ». Constit. Dogmat. Caput I. — *De Deo rerum omnium creatore.*

Caput VIII.

De temporanea mundi creatione.

(Zigliara, l. c., art. II, III).

56. **Quaestio prima.** — Ostensum est in praecedentibus (n. 17) mundum non esse a se, seu non habere in se rationem propriae existentiae, sed esse a Deo productum libere per creationem (n. 40); igitur quaeritur in praesenti an mundus semper fuerit ita ut non habuerit principium suae durationis, vel an inceperit esse. Qui negant Deo libertatem respectu creationis mundi coguntur etiam admittere mundum esse ab aeterno productum, et ideo mundum semper fuisse; nam, negata Dei libertate, mundus procedit ex ipso Deo vi essentiae divinae, ut essentia est, qua proinde posita, ut mundus ponatur necesse est.

57. **Conclusio I.** — *Mundum semper fuisse, seu esse creatum ab aeterno, demonstrari non potest.*

Prob.: Mundum semper fuisse non potest demonstrari neque ex natura mundi, neque ex actione creativa Dei. Ergo mundum semper fuisse nullo modo demonstrari potest. — *Consequentia patet;* non enim aliud medium adsumi potest ad demonstrandum mundum semper fuisse. — *Prob. antec.:* 1.° *Non ex actione creativa* Dei: nam actio creativa Dei omnino libera est, cum sit ipsa libertas per essentiam; ergo ipsa quantum est de se non est determinata ad mundum producendum ab aeterno; ergo ex actione creativa Dei demonstrari non potest mundum semper fuisse. 2.° *Non ex nutura mundi;* nam mundus ex sua natura non

exigit esse aeternum, cum ex intrinseca sua natura sit contingens, et ideo possit esse et non esse.

58. **Conclusio II.** — *Mundus non semper fuit, et ideo non fuit creatus ab aeterno.* — Ante probationem conclusionis advertendum est nos in praesenti non velle determinare quaenam sit mundi antiquitas, sed solummodo mundum non esse ab aeterno seu non semper fuisse; itaque

Prob. conclusio: 1.° Communis traditio populorum et monumenta antiquissima historica docent mundum non semper fuisse, sed incepisse per hoc, quod a Deo fuit ab initio temporum productus. Atqui nonnisi absurde et temerarie receditur ab iis, quae docentur a communi traditione populorum et ab antiquis monumentis historicis, praecipue si nulla ratio sit, quae oppositum probet, ut contingit circa mundi originem. Ergo omnino retinendum est mundum incepisse, et non semper fuisse. — *Maj.* posset probari adferendo plures auctoritates; sed nobis sufficiat in praesenti remittere lectorem ad testimonium Moysis quod antiquissimum est, et maxime veridicum. — Insuper legendo historias unusquisque verificare potest quod communis est traditio mundum non semper fuisse.

2.° Ex scientiis naturalibus etiam demonstratur mundum, qualis nunc est saltem, non fuisse ab aeterno: nam diversa strata quae reperiuntur in visceribus telluris ostendunt mundum, prout nunc est, non semper fuisse, praecipue quoad animalia et multo magis quoad hominem cujus vestigia solummodo in stratis superioribus reperiuntur; imo in inferioribus stratis hominem neque vivere potuisse geologi probant. Ex quo ulterius deduci potest satis probabiliter neque ipsam materiam semper fuisse. Ad quid enim Deus produxisset materiam sine animantibus,

sine homine ab aeterno? Non enim materia sola sine intellectuali creatura gloriam Dei manifestat (1).

59. **Quaestio altera.** — Sed nunc alia quaestio movetur, quae libere inter catholicos agitatur, videlicet quaeritur, an saltem potuerit mundus semper fuisse, ita scilicet ut nullum habuerit principium suae durationis, sed solum principium causalitatis suae existentiae : idest quaeritur an mundus potuerit esse a Deo productus ab aeterno.

60. **Major determinatio quaestionis.** — At cum dicitur mundus, potest intelligi mundus prout nunc est, idest cum motu et successione, ideo cum tempore quod successionem intrinsece importat, et mundus quoad suam substantiam praescindendo a successione et motu ejus, vel potest intelligi mundus quatenus nomine mundi designatur aliqua creatura e. g. *angelus, homo* etc. — Pro non repugnantia citantur Boetius, S. Thomas, Durandus, Cajetanus Bannes, Suarez, Wolff. Inter modernos vero Sanseverino, Liberatore et alii. Pro repugnantia autem S. Anselmus, Henricus Gandavensis, Toletus. Haec secunda sententia multis recentioribus placet atque primae ab iis praefertur. — Verum recensere S. Thomam sine ulla distinctione inter eos qui possibilitatem aeternae creationis tuentur absonum est omnino, ut ex dicendis patebit.

---

(1) Ad rem clar. Stoppani : « Quid est natura immensa sejunctim spectata ab intellectu, qui saltem eam contempletur? Quid sine homine terra? Aula splendide parata, auro gemmisque exornata miris picturis statuisque strata at nullo illuminata radio ; palatium deliciis affluens, at incotis desertum Mundus absque homine sua ratione caret.... Tot mundi sibi successerunt, tot generationes advenerunt et praeterierunt. Ad quid?... » — Acqua e aria, Conf. 1. a, n. 11 — Cfr. Period. Div. Thom. 1903 — pag. 392 — ex quo haec verba transcripsi. Argumenta demostrativa metaphysica afferam infra.

61. **Conclusio I.** — *Si mundus consideretur prout importat entia, quae sibi invicem succedunt per generationem, praecipue quoad hominem, repugnat ipsum esse ab aeterno, vel semper fuisse.*

Hanc conclusionem sic limitatam non negat S. Thomas, qui negat solummodo posse demonstrari nullam creaturam fuisse ab aeterno. Negat enim esse aliquam rationem generalem, qua probetur nullam creaturam posse esse ab aeterno : negat etiam per eas rationes, quas ipse adfert et solvit, demonstrari mundum, prout nunc est cum successionibus, posse esse ab aeterno : sed non negat adesse vel posse inveniri aliquam rationem particularem, qua demonstretur hanc vel illam creaturam non posse esse ab aeterno. Unde ad ultimam difficultatem, quam sibi opponit et quae est 8.ª (1.ª p. q. 46, a. 2.° ad 8.^{m}), concludit : « Considerandum tamen quod haec ratio particularis est. Unde posset dicere aliquis quod mundus fuit aeternus, vel saltem aliqua creatura, ut angelus, non autem homo. *Nos autem intendimus universaliter an aliqua creatura fuerit ab aeterno* ». Quibus positis, puto conclusionem propositam non esse contra mentem D. Thomae (1). Unde :

---

(1) Si natura seu creatura, puta, homo lapis etc consideretur solum secundum ea quae importat per definitionem praescindendo a tempore, a motu etc. cui subjicitur demonstrari non potest eam non potuisse esse ab aeterno ; idest non potuisse creari ab aeterno in statu quodam immobili independenter a tempore ; et hoc est quod probat et intendit probare S. Thomas cum dicit : « Novitas mundi non potest demonstrationem recipere ex parte ipsius mundi. Demonstrationis enim principium est quod quid est. Unumquodque autem secundum rationem suae speciei abstrahit ab hic et nunc, propter quod dicitur quod universalia sunt ubique et semper. Unde demonstrari non potest quod homo, aut coelum, aut lapis non semper fuit ». P. I, q. 46. a. 2.

At si creatura consideretur non exclusive quoad principia

Prob.: De ratione entium quae habent esse per generationem est aliquando non fuisse. Sed quod est de ratione alicujus rei necessario et inseparabiliter ipsi convenit sive sit una sive multiplex, sive sit in parva sive in magna multitudine. Ergo quantumcumque ponantur multiplicata entia quae habent esse per generationem convenit eis necessario aliquando non fuisse. Ergo entia quae habent esse per generationem non semper fuerunt.

62. **Conclusio II.** — *Si mundus consideretur prout importat successionem, motum et tempus, non potuit esse ab aeterno.*

---

speciei, sed prout motui, tempori subjicitur, tunc non currit ratio adlata; quae licet forte probet creaturam posse esse ab aeterno quoad principia ipsam constituentia, non tamen sequitur eam probare esse posse ab aeterno prout motui, tempori, generationi et corruptioni actu subest. Unde ut probetur creaturam motui puta generationi, successioni, tempori actu subjectam posse esse aut non esse ab aeterno, ipsa est consideranda non abstracte sed prout motum, successionem etc. importat. Sic autem S. Thomas non considerat naturam in adlato argumento, insuper ipsemet Angelicus non movet quaestionem: An *successioni, motui vel tempori repugnet nec ne fuisse ab aeterno vel semper fuisse*; solummodo solvit rationes quas tunc a quibusdam adducebantur ad probandum id repugnare; et illas non esse demonstrativas etiam nos concedimus. Tamen ultimam rationem Angelicus non negat vim habere. Neque negat ipsemet Angelicus illas rationes quas solvit ullam probabilitatem habere. Intentus S. Thomae est ostendere mundi novitatem prout motum et successionem importat non esse ita evidentem ut quidam philosophi illius temporis putabant atque rationes eorum vim demonstrativam non habere, minime vero negare; fuit ejus intentus, posse studio et reflexione fortasse aliquam rationem adimveniri quo impossibilitas praedicta demonstretur; non enim Angelicus quemlibet metaphysicae progressum aut incrementum negavit. Nonne et ipse animam humanam habere esse per creationem, quam quaestionem S. Augustinus dubio haerens insolutam relinquit, demonstravit?

Prob. 1.°: Successio, motus et tempus non possunt esse ab aeterno; seu repugnat ea semper fuisse. Ergo mundus prout importat successionem, motum, tempus, non potest esse ab aeterno. — *Conseq. patet.* — *Prob. antec*: De ratione successionis, motus et temporis est importare prius et posterius, importare posterius respectu prioris, importare futurum respectu prioris. Sed repugnat ad rationem futuri esse ab aeterno, vel semper fuisse. Ergo repugnat successionem, aut motum, aut tempus semper fuisse. — *Prob. minor:* Nam de ratione futuri est aliquando non fuisse: ergo de ratione futuri est non semper fuisse: et ideo repugnat futurum semper fuisse. Haec argumentatio praecedentem conclusionem confirmat.

Confirmatur: 1.° De ratione temporis est aliquando fuisse futurum: nam tempus importat prius et posterius, posterius autem aliquando fuit futurum. Sed de ratione futuri est aliquando non fuisse. Ergo repugnat tempus semper fuisse. — S. Thomas docet (1.ª p. q. X. a. 1, c.) quod in omni eo quod movetur est accipere aliquod principium et aliquem finem.

2.° De ratione temporis est aliquando non fuisse quia, ut dictum est de ratione temporis est importare *futurum*. Atqui quod est de ratione alicujus semper ei convenit et necessario et hoc sive divisim sive collectim; sicut rationale, vel animal semper homini tum divisim, tum collectim im pluribus individuis accepto convenit. Ergo tempus sive divisim secundum suas partes accipiatur sive collectim secundum plures et plures et etiam omnes partes sui aliquando non fuit, nempe tempus quocumque modo accipiatur sive divisim sive collectim non semper idest non ab aeterno fuit. Hoc argumentum firmat praecedens.

3.° De ratione temporis, motus et successionis est importare posterioritatem durationis. Atqui posterioritas durationis excludit aeternitatem seu semper fuisse. Ergo de ratione temporis, etc., est excludere esse ab aeterno seu semper fuisse. Ergo tempus, motus, successio non semper fuerunt. — *Major* patet, ex eo quod tempus, motus, successio important essentialiter, idest in eorum ratione plures partes quae simultaneitatem et naturae et durationis excludunt. — Etiam *minor* evidens est, nam quod est posterius duratione, incepit esse, secus esset ad summum posterius *natura*.

4.° Si motus vel tempus ponatur ab aeterno seu semper fuisse, vel ponitur esse a se vel ab aliqua vi sicut a causa. Atqui utrumque repugnat. Ergo repugnat tempus semper fuisse. *Prob. minor :* 1.° Repugnat motum vel tempus esse a se, et hoc jam supra ostendimus ; insuper : motus non est aliqua substantia aut vis sed pura praesentia mobilis puta corporis diversis locis vel pluribus partibus loci seu spatii *successiva* et quidem inquantum successiva, secus haberetur quies potius quam motus. Sed haec praesentia successiva mobilis excludit aseitatem cum supponat mobile et vim motricem a qua sit; ergo repugnat motum habere aeternitatem *a se* seu semper fuisse a semetipso. 2.° Repugnat motum habere esse ab aeterno seu esse semper a *vi motrice* tanquam a causa ; nam quod habet esse ab aeterno productum oportet ut instantanee producatur, si enim instantanee non producitur non solum praeceditur a causa sua *natura* sed etiam *duratione*, unde non semper fuit. Atqui motui repugnat instantanea productio non quidem ex parte actionis producentis sed ex parte sui cum partes successivas intrinsece et formaliter includat in semetipso atque simultatem et ideo instantaneitatem excludat. Ergo repugnat motum semper fuisse.

5.° Motus, tempus, successio respectu causae suae importat posterioritatem durationis. Sed quod importat posterioritatem durationis incepit esse, excludit *esse semper*, hoc est *esse ab aeterno*. Ergo motus, tempus, successio non possunt semper fuisse. *Prob. maj.* nam motus, tempus, successio essentialiter idest in sui ratione important plures partes quae omnes, nulla omnino excepta (nisi forte aliqua una in indivisibili consistens habens rationem principii respectu omnium adsignetur), habent rationem posterioritatis durationis respectu alterius ; ergo a fortiori habent rationem posterioritatis *durationis* etiam respectu suae causae quae ab omnibus et singulis partibus supponitur.

6.° Ad rationem motus habendam plura puncta saltem duo quae a mobili *successive* tangantur essentialiter requiruntur. Sed tactus successivus plurium etiam duorum tantum importat *posterioritatem* durationis quae excludit non *solum* simultatem *naturae* cum esse ipsarum partium ipsius mobilis et a fortiori cum esse suae causae, sed etiam *durationis*, cum qua exclusione est incompatibilis aeternitas seu semper fuisse. Ergo repugnat motum semper fuisse.

63. **Conclusio III.** — *Non videtur repugnare aliquam creaturam posse esse ab aeterno.*

Prob. : Non videtur repugnare, si consideretur ipsa potentia Dei absoluta, esse aliquam creaturam, quae in sua natura de facto nullam habeat successionem etiam quoad operationes; posset enim Deus absolute loquendo producere angelum intuentem et diligentem essentiam divinam immobiliter, aliis actibus connaturalibus intellectus et voluntatis non habentibus esse fixum, suspensis. Atqui non videtur repugnare talem creaturam esse productam ab aeterno vel quod semper fuerit. Ergo non videtur repugnare aliquam creaturam potuisse esse ab aeterno. — *Prob. minor* : Non

repugnaret ex parte actionis Dei producentis quae est ipse Deus; non ex parte creaturae, quia hujusmodi creatura haberet esse immutabile omnino ex lege a Deo statuta, ideo haberet esse abstrahens a tempore, et esset extra tempus existens.

Dices.: 1.° Hujusmodi creatura in facta hypothesi haberet durationem infinitam, quod videtur esse absurdum; 2.° sequeretur quod si a Deo destrueretur habuisset durationem infinitam et simul finitam, quia haberet finem suae existentiae.

Resp. Ad 1.^{m} non esse absurdum ponere durationem infinitam in re creata, dummodo ponatur talem durationem esse a Deo: nam duratio infinita rei creatae in hac hypothesi non competit ex intrinseca sui natura, sed competit ei ex eo quod conservatur in esse a Deo sine fine: nonne et anima humana conservatur a Deo sine fine? et tamen nullum absurdum inde sequitur. Idem dicendum esset, si res non haberet principium suae durationis, dummodo tamen haberet principium causalitatis. Ad 2.^{m} quidam respondent in hypothesi quod Deus annihilaret creaturam ab aeterno productam, talis creatura diceretur habuisse infinitam durationem a parte ante, non autem a parte post. Sed tamen melius videtur dicendum quod in facta hypothesi de aeterna productione, non posset talis creatura annihilari; non quidem quod ei id competeret ex propria natura, sed vi hypothesis: ratio est, quia in tali hypothesi neque prius neque posterius posset distingui et considerari in ordine ad talem creaturam, sed solum idem invariabile nunc aeternitatis; unde in eodem nunc sempiterno et immobili competeret ei semper creari et esse creatam; et semper dici posset: Nunc, idest in nunc aeternitatis, talis creatura est et creatur; proinde nullum esset nunc in quo non crearetur et non conservaretur, et ideo vi hypothesis

excluderetur annihilatio. Unde dici potest Deum potuisse aliquam rem producere ab aeterno, hac tamen lege, ne scilicet ipsam annihilaret, quae lex includitur in ipsa hypothesi productionis aeternae.

64. **Solvuntur difficultates contra concl. 2.am 1.ae quaest.** — *Obj.* 1.a Posita causa sufficienti ponitur effectus. Atqui Deus a tota aeternitate est causa sufficiens mundi. Ergo a tota aeternitate mundus est a Deo productus.

Resp. imprimis hoc argumentum nimis probare, nam cum Deus sit causa sufficiens quantum est de se non solum mundi, prout habet esse fixum, sed etiam prout includit entia quae habent esse per generationem et desinunt esse per corruptionem, sequeretur quod etiam talia entia essent omnia ab aeterno; quod est manifeste falsum. — *Resp.* 2.°: *Dist. maj.:* Posita causa sufficienti, necessaria, *conc.,* libera *nego.* Et *contrad. min.:* Deus ab aeterno est causa sufficiens mundi *necessaria, nego; libera conc.* Et *nego conseq.* — Deus est causa universalissima libera, et est infinitae virtutis, et ideo est sufficiens ad producendum effectum non solum in se consideratum, sed etiam in hac vel illa circumstantia, in hoc vel illo tempore, nam etiam circumstantiae, et tempus subsunt virtuti infinitae causae universalissimae.

Obj. 2.a Actio creativa Dei est aeterna. Sed terminus creationis est mundus. Ergo etiam mundus est aeternus.

Res.: Dist. maj.: Actio creativa.... quae tamen est ipse actus voluntatis divinae, quo Deus vult ab aeterno ut mundus procedat ad existentiam, vel habeat existentiam in tempore *conc.;* quo vult mundum esse ab aeterno *nego. Conc. minorem* et *nego conseq.* — Ex hoc ipso quod Deus ab aeterno voluit mundum

non esse ab aeterno, sed in tempore, sequitur, ob efficaciam voluntatis divinae, ut sit in tempore et non ab aeterno. Unde actio qua Deus creat, quamvis dici possit ab aeterno creativa, non tamen dici potest ab aeterno actu creans: nam per hoc quod dicitur creativa non significatur ipsa termini actualitas; sicut cum dicitur facultas volitiva designatur quidem ordo ad actionem, sed ipsa actio, quae est terminus voluntatis humanae non designatur nisi per hoc quod dicitur volens.

Obj. 3.ª Aut Deus praecedit mundum prioritate naturae, aut durationis; si primum, sequitur mundum esse aeternum, si secundum, sequitur ante mundum fuisse tempus, quod est absurdum.

Resp.: Nego secundam partem illationis. Deus fuit prius mundo duratione; neque sequitur ante mundum fuisse tempus. Nam ante mundum erat solus Deus, qui immutabilis est absque ulla successione, quae importatur in tempore; potuit tamen esse tempus, quia Deus potuisset facere ut mundus esset prius quam fuit cum motu et successione; producendo enim motum produxisset tempus, et ideo produxisset etiam *prius;* sed ex hoc non sequitur potuisse esse in Deo tempus, nam tempus successionem importat quae in Deo non est, neque esse potest, et ideo neque *prius* neque *posterius;* unde sicut per hoc quod Deus praecedit tempus meae existentiae non sequitur in Deo esse tempus, vel in Deo esse prius secundum successionem, sed sequitur Deum adfuisse tempori praeterito vel successioni praeteritae, ita per hoc quod Deum adseritur mundum duratione praecessisse, non adseritur in Deo aut extra Deum fuisse tempus, sed solum adseritur quod Deus adfuisset tempori, si mundus alius cum tempore mundum nostrum praecessisset.

Dices: Mundus alius non potuit praecedere nostrum mundum, nisi ante nostrum mundum supponatur fuisse tempus.

Resp. 1.°: *Negando conseq.:* nam ad hoc sufficit ut potuerit produci mundus alius cum tempore ante mundum nostrum: quod non esset aliud, quam ab ente immutabili, quod est Deus, produci mundum cum motu. Unde dico quod potest haberi *prioritas* durationis sine successione, dummodo admittatur entitas omnino immobilis, quae semper eodem modo in esse perseverat; unde

Resp. 2.° Deum praecedere mundum prioritate durationis, quae tamen non importat successionem, neque proinde tempus. Nam duplex prioritas durationis distinguitur: 1.° Prioritas durationis, quae successionem importat, et habetur cum una res alteri succedit, vel consideratae secundum esse substantiale, sicut cum filius succedit in regno patri post mortem ejus, vel consideratae secundum esse accidentale, sicut cum unus magister alteri magistro cathedrae renuntianti succedit. Tempus cum importet motum importat semper successionem, saltem secundum esse accidentale, et ideo importat innovationem esse saltem accidentalis illius, quod dicitur esse in tempore, et habetur prioritas cum successione: haec prioritas enti omnino immutabili competere non potest, et in hoc sensu Deus non dicitur esse prior mundo duratione. 2.° Prioritas durationis sumitur secundum quod non importat *successionem,* et ideo neque tempus, sicut si dicamus: mea existentia est prior quam tua: in quo patet tuam existentiam non succedere meae, nam successio proprie loquendo non est nisi ubi unum esse desinit et aliud, ut ita dicam, subintrat. Quia ergo mundus Deo non successit, quamvis Deum supponat, non potest dici fuisse posterius Deo posterioritate temporis, sed so-

lummodo posterioritate durationis, secundum quam rem aliquam priorem esse supponitur non ratione successionis, sed *praesuppositionis* simplicis sine successione. Verba praeteriti non adhibemus nisi ad designandum aliquid quod non est amplius, vel aliquid secundum quod importat relationem ad aliquod factum, quod transiit. Unde de sene non dicitur quod fuit, sed quod est: tamen dicitur fuisse juvenis, fuisse virtuosus, fuisse praesens, fuisse sanus etc. Si ergo ponatur aliquod ens, cui nulla mutatio contingat, non habuisse relationem cum mutationibus seu cum successionibus rerum, non potest dici quod fuit, sed solum quod est, etiamsi semper fuerit et non inceperit esse.

Caput IX.

De mundi formatione et aetate.

65. **Ratio capitis.** — Statuta mundi temporanea existentia remanet dicendum de modo quo mundus formatus est, de ejus aetate et duratione. Licet enim haec tria philosophice determinari seu statui prout desideratur non possint, tamen a philosopho illustranda sunt quantum fieri est possibile. Quocirca dicendum est aliquid de formatione universi, specialiter vero de formatione Telluris, de ejus aetate et duratione.

66. **Modus formationis mundi exponitur.** — Inter hypotheses quae ad mundi originem explicandam a sapientibus adducuntur celebris est illa quam adduxit Laplace rationibus mathematicis innixam. Sic autem exponi breviter potest: Ab initio materia omnis quae nunc extat, erat quaedam immensa

massa nebulosa aeriformis ita ut ejus densitas, sicut quidam dicunt, fuerit « pars fere 25 trillionesima densitatis aeris nostri admosphaerici » (1). — Fuit autem huic ingenti massae materiae aeriformi inditus motus rotationis ; unde factum est ut ex vi centrifuga circa centrum illa materia condensata fuerit. Et condensatio atque contractio ex motu illo celerrimo tanta facta est ut unus vel etiam plures annuli separati atque in globos minores contracti fuerint, ex quibus velocissimo motu rotationis, imo et translationis circa alium globum majorem circumactis, alii etiam annuli minores, avulsi sint, et inde alii globi seu aliae sphaerae ; quae sunt ipsi planetae, aut satellites etc. qui nunc habentur (2).

67. **Terrae nostrae formatio seu Geogonia.** — Quoad terrae formationem geologi multa disserunt ex iis quae detexerunt terrae corticem (la crosta) examinando. Pauca nos delibamus. Supponitur imprimis quod ex statu aeriformi vi velocissimi motus impressi toti et ingenti supradictae mas-

(1) Ita C. Willems (l. c., pag. 188) qui citat Pfaff. —

(2) Hunc verisimiliter fuisse processum in mundi formatione sequenti experimento auctore Plateau, confirmatur: « On mélange, dans un bocal, de l'eau et de l'alcool, en proportion tel que des gouttes d'huile, versées avec précaution dans ce liquide, aient la même densité que lui et y restent en suspension sous forme d'une sphère. Celle-ci peut donc être regardée, comme soustraite à l'action de la pesanteur. On traverse cette sphère avec une tige de fer, à laquelle un méchanisme d'horlogerie imprime un mouvement de rotation de plus en plus accéléré. On voit alors la petite sphère s'aplatir à ses pôles et se renfler à l'équateur, puis des anneaux huileux s'en détacher successivement: ceux-ci se reunissent en petites sphères qui continuent à tourner sur elles-mêmes et autour de la masse centrale comme autant de satellites ». — *Maisonneuve, Géologie.* Introduction. Circa planetarum formationem plura habet C. Fabani. *Fede e Scienza,* Pustet. N. 34.

sae fuerit factus transitus ad statum incadenscentiae seu ad statum solis quippe ex motu habetur calor et lux; indeque terra nostra, (sicut et aliae sphaerae separatae) calore decrescente cortice solido induta; quae tamen non statim sed paullatim per longum tempus ad praesentem statum soliditatis corticis pervenit.

68. **Terrae origo, cortex, continentes.** — Terra potest considerari tripliciter: 1.° quoad suam originem primam; 2.° quoad formationem sui *corticis* (della crosta); 3.° quoad primam manifestationem *partium* quae continentes dicuntur. Dixerunt quidam terram fuisse avulsam in sua origine a *sole* adhuc in statu nebulosae existentis; verum Faye ostendit terram ante condensationem solis a massa communi fuisse avulsam (1). Quoad solidificationem corticis quidam solum refrigerationi, sed alii juxta theoriam Beaumont etiam aliis causis puta elementorum ossidationi ex atmosphaerae contactu provenienti tribuunt. Emersionem vero seu formationem continentium ex corticis contractione aliqui repetunt, vi cujus spiguli seu anguli et superficies depressae ad modum tetraedi habentur, eo ferme modo quo ex rarefactione aeris sphaera elastica gummis ad formam tetraedri suscipiendam inclinatur. Inde etiam maria explicantur. Hae theoriae licet hypotheticae a philosopho viro in honore et aestimatione habendae sunt utpote probabilitate praeditae.

69. **Diversae aetates in formatione corticis terrae.** — Diversae seu plures aetates a geologis distinguuntur in formatione corticis (della crosta) terrae juxta diversa strata fossilium; strata autem seu *terrena* licet multa assignari possint et assi-

(1) Cf. Tuccimei, *Geolog.* pag. 263.

gnentur, quippe cortex terrae 20 kilometra, imo juxta quosdam 30, profunditatis habet, tamen ad quatuor reducuntur principaliora quorum singula plura strata continentia; hinc apud geologos quatuor *aetates* in formatione corticis telluris. In quibus singulis plures formationes variarum partium dicti corticis considerantur. Praetermittimus aetatem *primitivam*, quia haec ad historiam non pertinet cum nulla classificatio habeatur, et cum ipsa nullum viventium vestigium contineat; dicitur etiam aetas *azoica* et terrena vocantur *archaica*. Unde habentur:

70. **Aetas primaria sive palaeozoica**; quae fossilia antiquissima ex viventibus valde a nostri temporis animalibus dissimilibus confecta, continet, atque terrena circiter 3/4 profunditatis seu spissitudinis corticis telluris comprehendit. Terrena autem, seu formationes, distinguuntur sequentia, idest *cambriana, siluriana, devoniana, carbonica, permica*. — In *cambriana* ubi maria magna extensione erant praedita habentur quaedam *vegetalia* ut *algae* et paucae species *animalium* ut *vermes*, *trilobita*, *crustacea*. — In formatione *Siluriana* valde plura vegetalia et animalia habentur, unde species animalium maris in multitudine magna inveniuntur; praeter enim *vertebrata* omnes fere classes apparent. — In *devoniana* vegetalia terrestria non parum aucta inveniuntur, novae species *polyporum* apparent, et *insecta* in varias species multiplicantur. — In formatione *carbonica* summopere augetur vegetatio; plantae praecipue sunt *felices arboreae*, et generatim plantae *coniferae ut Lepidodendron elegans, Sigillaria, Stigmaria, Calamites* etc.; animalia vero sunt *araneae*, *scorpiones* et generatim augentur *gosteropodes*, inter vertebrata pisces multiplicantur, augentur atque apparent *anfibia*. — In *permica* vera reptilia primo apparent.

71. **Aetas secundaria sive mesozoica.** — In aetate secundaria distinguuntur formationes sequentes: *Triassica, Jurassica, Cretacea.* — In formatione *Triassica* in suo initio considerata maria, praecipue in regione Europea, adhuc magnam extensionem habent; inter vegetalia *cicadeae coniferae* abundant sicut et *equiseta* grandia veluti residuum florae carboniferae; animalia, inter alia, sunt *brachiopoda, ostrea, labyrintodonta, dinosauri, nothosauri, simosauri.* — In formatione *Jurassica* habentur plantae *coniferae, cicadeae, felices, monocotylae;* inter animalia vero habentur *marsupialia, belemmitae, Teleosaurus, Mystriosaurus, Ischyosaurus, plesiosaurus, dinosauri, Athantosaurus,* hujus longitudo non est minor quadraginta metr. — Apparent *lucertae* et etiam aves quos inter *Archaeopteryx lithographica* magnitudinis corvi dentibus praedita. — In formatione *Cretacea* seu in terreno cretaceo inter vegetalia notantur *felices* et *cicadeae* in regressu; in magna copia vero *coniferae, monocotylae* et praecipue *dicotylae;* unde habentur: *Salix, Sassafras, Aralia, Hedera, Arundo, Platanus, Populus, Fagus, Ficus* etc. — Inter animalia notantur aves, ut *Hesperornis, Ichtyornis* dentibus praeditae acuminatis; plurima erant reptilia quae inter *Mozasaurus Camperi* longitudinis sex metr. *Triceratops* cujus caput erat longitudinis duorum metr. tribus cornibus praeditum; *Clidastes* longitudinis triginta metr.; *Insecta* vero fere evanescunt; *Mollusca* summopere modificantur atque variantur; inveniuntur etiam *crocodili, crustacea, cephalopoda, brachiopoda*

72. **Aetas tertiaria.** — In hac aetate Ammonitae et Belemmitae non apparent, cephalopoda et briachiopoda dilabuntur viventia vero uti reptilia, pisces mammalia magnam cum nostrae aetatis viventibus affinitatem habent. Aetatis tertiariae for-

mationes sunt *eocaenà, miocaena et pliocaena.* — In *Eocaena* ex vegetalibus habentur *lauri, palmae, acaciae.* De animalibus omnes species mammiferorum apparent, plurima nova genera molluscorum summopere multiplicantur; pisces in copia magna inveniuntur, et plures avium species. — In *miocaena* (quae a quibusdam subdivitur in *oligocaenam* et *miocaenam* proprie dictam) habentur *lauri, aceres, cinnamomum, populi, platani, plantae gramineae;* quoad animalia habentur *Palaeotherium, Anoplotherium,* quibus succedunt *Anthracotherium, Hyopotamus Palaeocherus* quae cum apro affinitatem habent. Insuper habentur (in miocaena formatione proprie dicta) *Delphinus Halitherium* (cetacea), *Mastodon., Rhinoceros, Hippotherium, Machairodus, Anphicyon, Simia, Castor.* — In *formatione pliocaena* fere omnia vegetalia et animalia habebantur quae nunc habentur. Ex centum speciebus illius formationis nunc inter 50 et 85 supervivunt. Unde notantur *Olea, Vitis, Quercus, Fraxinus, Buxus, Iuniperus, Pinus, Abies, Alnus,* etc. inter animalia vero: *Cervus, Bos, Camelus, Lupus, Castor, Canis, Ursus,* etc.

73. **Aetas quaternaria.** — In hac aetate apparet *homo.* Hoc est hujus aetatis caracteristicum et proprium. Haec aetas in comparatione aliarum ita brevis est et ita continuatur praecedentibus ut potius nova et ultima *formatio* aetatis tertiariae considerari possit quam alia distincta *aetas.* Ab initio hujus aetatis fuit periodus *diluvialis* quam sequitur *glacialis,* quo tempore etiam plures montium eructiones acciderunt; et inde ex glacierum solutione alluviones magnae habitae sunt ex quibus plurimae cavernae. Haec est epoca seu periodus *Alluvionalis,* quae in fluminum formatione et determinatione completa est.

74. **Anni requisiti juxta geologos ad corticis terrae formationem.** — Geologi tentarunt etiam annos statuere requisitos ad terrae formationem; valde tamen incerte et indeterminate loquuntur. Inter alios C. Darwin putat non sufficere spatium centum millionum annorum a formatione Cambriana usque ad nos. Lapparent discretior tantum non requirit, sed putat comprehendi inter *viginti* milliones, et *centum* milliones annorum. Dana admittit solum quadraginta et octo milliones annorum idest triginta sex milliones pro aetate primaria, novem pro aetate secundaria, tres pro aetate tertiaria. Plures tamen tantum excessum aetatis primariae super alias nimis exaggeratum putant. — Calculi etiam aetatis quaternariae plures sunt summopere differentes. Lyell invenit numerum 36,000 annorum; Darwin 66,000; Farel 100,000; Horner 13,000. — Juxta quosdam formatio *Carbonica* a Saarbruck requisivit spatium annorum 500,000, dum e contra juxta Fayol ad strata carbonifera Commentry efformanda satis fuerunt anni 7000.

75. **Conclusio.** — *Supputationes adlatae sunt omnes valde incertae et problematicae.*

Prob. 1.° Haec nostra conclusio quae tamen non negat (imo concedimus) multos annos ad formationes corticis terrae fuisse requisitos, sequitur tanquam corollarium ex expositis numero praecedenti variis summopere discrepantibus opinionibus; 2.° ex eo quod quilibet auctor supra citatus imo quilibet geologus quantum scio, non tribuit certitudinem ulli determinatae et expositae opinioni, imo neque majorem probabilitatem uni quam alteri; 3.° criteria ex duratione phaenomenorum actualium absumpta sunt, et certe a nobis alia criteria absumi non possunt; duratio autem seu tempus requisitum ad phaeno-

mena, puta mutationes, formationes ex activitatis majori vel minori intensitate causarum dependet; intensitas autem activitatis causarum varia imo summopere varia est juxta diversa loca, multo magis juxta diversas epocas vel aetates (1).

Caput X.

De hominis antiquitate.

(Cf. Carolum Fabani, *Scienza e Fede*, n. 56-57. Roma, Pustet, 1908).

76. Hominis seu generis humani aetas juxta ejus vestigia. — Ii qui hominem a Deo fuisse creatum atque ab eo divinam revelationem recepisse negant admittentes per evolutionem materiae originem habuisse, non alio criterio uti possunt in determinanda hominis aetate quam hominis vestigiis ac fallacibus conjecturis, oportet enim ut ipsum in statu barbariei et quidem per longum tempus po-

(1) Ad rem Cl. Tuccimei: « La ricerca dell'età relativa è la sola che si può effettuare in geologia.... Per le formazioni di origine esterne o stratificate non è criterio sicuro il confronto con la durata dei fenomeni attuali, perchè questi 1° variano nella loro intensità da un luogo ad un altro e da un'epoca all'altra; 2° è assai probabile che l'intensità delle cause che agirono in passato fosse differente dall attuale; 3° la successione degli organismi con cui specialmente si distinguono i periodi geologici ci è ignoto quanto tempo richieda e nell'epoca attuale l'uomo non assistè mai ad alcun fatto di questo genere che potesse servir di guida al passato ».

Aggiunge che « tutto fa credere che nell'epoca presente le attività esistenti alla superficie terrestre siano entrate in una specie di equilibrio che ne rallenta gli effetti ». (*Elementi di Geologia*, pag. 244-245).

nant, in quo statu nulla omnino historia esse potuit. Ideo aetatem hominis absolutam ne per approximationem quidem determinare ipsis possibile est. Unde ad aetatem relativam statuendam confugiunt et quidem in ordine ad aetatem formationis corticis telluris. Quidam igitur dixerunt hominem *in aetate tertiaria* et praecise in periodo seu in epoca *pliocenica fuisse.*

Verum nunc ex vestigiis ex quibus hominis existentia in aetate tertiaria asserebatur, nihil omnino probari exploratum apparet; proinde cordatiores atque graviores geologi et archeologi hominem nonnisi in aetate quaternaria et praecise in epoca *postglaciali* vel in *fine* epochae *glacialis* apparuisse docent. Nullum autem argumentum grave hucusque adductum est quo hominis antiquitatem decem millia annorum excedere probetur (1).

77. **Historiae originis hominis existentia.** — Admissa hominis a Deo creatione nullum est inconveniens imo valde rationabile est pro philosopho viro historicas veridicas et certissimas narrationes ammittere circa originem et progressum hominis; e contra oppositum asserere idest nullas notitias historicas remansisse irrationabile et etiam absurdum esse videtur. Quod quidem vel maxime confirmatur si ipsa historia biblica sine animo praejudicato legatur. Ipsa quippe quae uti genuina historia originis et progressus generis humani proponitur, omnes veridicae historiae characteres prae se fert.

---

(1) Carolus Fabani diffuse exponit et optime solvit argumenta quae afferuntur ex ferè omnibus capitibus idest ex *Geologia*, ex *Archeologia*, ex *Anatomia*, ex *Geografia*, ex *Filologia* etc. ad probandam hominis majorem antiquitatem. — Cf. *Fede e Scienza — Antichità del genere umano*, n. 56-57 — Roma, Pustet, 1908.

Proinde nulla ratio adèst homini eam rejiciendi ut veram historiam ; multo minus adest ratio ipsam confundendi atque in eadem aestimatione habendi ac habentur narrationes fabulosae gentilium, quae si quid commune quandoque imo et in multis cum ipsa habent, eam confirmant se ipsas nihil aliud esse ostendendo quam corruptiones ejusdem veritatis ab eodem principio tandem originem habentis. Asserere autem narrationes biblicas ex narrationibus fabulosis gentilium dependere aut originem duxisse antiphilosophicum est omnino, nam idem est ac asserere narrationes characteres *veritatis* habentes ex fabulis dependere, seu verum et rationale dependere ex falso et absurdo (1).

---

(1) Dignus est qui legatur circa veridicitatem et historicitatem narrationum *biblicae* Sac. Mioni, qui instituens comparationem inter ea quae narrantur in biblia et ea quae sunt adinventa in monumentis Babiloniae haec inter alia notanda sapienter scribit : « La narrazione biblica è semplice, molto concisa ; possiede tutte le note caratteristiche di un' opera storica ; è priva del fortemente maraviglioso, e quanto sa di intervento dall' alto è narrato in un modo degno della divinità. Ihave Elohim agisce nella narrazione biblica in un modo degno di Dio. Tutto è grande, solenne, divino nella narrazione della parte avuta da Dio nel diluvio (*lo stesso deve dirsi di ogni narrazione risguardante l' intervento divino nella produzione delle cose*). Noè poi ed i membri della sua famiglia sono descritti con tratti magistrali di pennello. Noi sentiamo che quegli uomini hanno vissuto, simpatizziamo con loro, essi ci diventano cari, amici ; un' anima umana, la nostra anima, un' anima direi quasi moderna, li vivifica. Sembra che abbiano vissuto ancora jeri ; che siano uomini d' oggi. Antica è la narrazione biblica, e pur tanto nuova, tanto umana.

La leggenda babilonese (e così le leggende di tutti i gentili) invece è irta di episodi strani, fantastici, impossibili, assurdi, indegni della divinità, atti soltanto a colpire la fantasia ; i prodigi, che in essa si narrano sono ridicoli ; gli Dei si comportano puerilmente ; fanno una figura miserabile ; è

78. **Antiquitas seu aetas generis humani ex biblia.** — Unde historicitatem veridicam Bibliae supponentes ex ea antiquitas seu aetas generis humani stabilienda est. Sed nonnisi per approximationem haberi potest, quippe determinatio utpote non intenta saltem per se a bibliae scriptoribus, non potest fieri nisi indirecte per supputationem *generationum* hominum a primo descendentium; supputationes autem quae fiunt plures sunt atque inter se aliqualiter discrepantur ob diversitatem antiquorum codicum in rebus non quidem bibliae fini primario essentialibus, sed accidentalibus ex amanuensi, aut ex versionibus variis provenientem.

Maior autem resultatus supputationis temporis a primo homine usque ad nos delapsi importat summam annorum circiter 9000 et precise 8895 (1). Si quis autem asserat aetatem generis humani esse majorem licet rem nullo modo certam proferat, non tamen a vero aut ab iis quae in sacris litteris habentur discedere certo argui potest; quippe certum non est omnes omnino hominum generationes sine ullo saltu esse enarratas: nam incertum est omnes tum ante quam post diluvium patriarchas fuisse enumeratos; imo in generationibus hominum nar-

---

impossibile che abbiano vissuto gli uomini che sono descritti dalle leggende; la cronologia è poi esagerata. In breve la leggenda babilonese ha tutto il sapore delle fiabe che pullulano ancora dalla fantasia degli orientali ». *Scienza e Fede — Babilonia* e la *Bibbia,* n. 38, pag. 67. Roma, Pustet, 1905.

(1) Variationes supputationum sunt sequentes: Juxta Haebreos modernos ante aeram vulgarem ponuntur ann. 3761, Scaligerus ponit 3950; Petavius 3983; Usher 4004; Hales 5411; Jackson 5426; Alexandrina Ecclesia 5504; Constantinopolitana 5510; Wossius 6004; Penvinus 6311; Alphonsinus Tables 6984; Origenes 5000; Eusebius 5300; Julius Africanus 5562.

randis saltum quandoque factum fuisse non irrationabiliter conijci potest (1).

Hinc plures concedunt hominis antiquitatem ad decem millia annorum protrahi posse; ex Archeologia vero non probatur esse majorem. Et etiamsi id probaretur nihil contra ea quae in biblia narrantur sequeretur ut patere potest ex dictis (2).

---

(1) Ad rem praelaudatus Fabani, (l. c., pagg. 208-209): « Le genealogie sulle quali si vollero fondare le cronologie ebbero per oggetto il darci la discendenza di uomini e non la successione del tempo, e potendo per questo omettere gli intermediari, *nessun calcolo* può con qualche grado di certezza risalire sù ad Abramo. Gli orientali infatti nelle loro genealogie si curarono soltanto di una cosa: di seguire, cioè, la linea retta, senza ammettere speciale importanza agli intermediari. Così generazioni intere vengon passate sotto silenzio e per conseguenza anni ed anche secoli sono sottratti ai nostri computi. Questo dubbio ebbe già ad essere espresso molto tempo fa dal P. Lequien, il quale così scrive: « È possibile che Mosè credesse conveniente far menzione solo di dieci dei principali patriarchi vissuti prima del diluvio, e di altri dieci che vissero tra questo tempo ed Abramo, omettendo gli altri per ragioni a noi ignote, come S. Matteo ha fatto nella genealogia di N. Signore, e come gli autori del libro di Rut e del libro dei Paralipomeni hanno fatto in quella di David ed in quella dei sommi sacerdoti ». — Agli esempi citati da Lequien il Vigouroux ne enumera molti altri ... ». Multa exempla addit cl. auctor in confirmationem.

(2) De Nadaillae (prosequitur citatur auctor, pag. 214) il quale vien riconosciuto come uno dei più valenti archeologi europei così compendiosamente espone la prova della antichità della nostra specie: « È impossibile non restar colpiti dalla concordanza dei calcoli geologici coi dati che abbiamo dedotti dalla storia e dall' archeologia. Appoggiati su fatti innegabili su tutti quelli che ora si conoscono noi ripeteremo che l' estremo limite che si può assegnare all' umanità dalla creazione ad ora non potrebbe mai oltrepassare i diecimila anni »..... Quanto a noi (prosequitur cl. C. Fabani l. c.) col Padre Zahm incliniamo ad una liberale, ma legittima interpretazione della versione dei settanta, e siamo disposti ad

Caput XI.

De mundi duratione.

79. **Mundus in esse semper perseverabit.** — Nulla enim est ratio asserendi Deum mundum annihilaturum, imo cum ipsum condiderit ad manifestationem gloriae suae ratio oppositum asserendi adest, quippe creatura spiritualis cui gloria Dei per mundum manifestatur utpote incorruptibilis semper in esse perdurabit. Insuper mundus juxta entia duplicis generis, idest corruptibilia et incorruptibilia duplici lege universali et fundamentali regitur idest ut corruptibilia corrumpantur, incorruptibilia vero non corrumpantur sed semper in esse permaneant. Non solum autem spiritualia incorruptibilitate donantur, sed etiam materia ipsa quae sub variis modificationibus semper eadem perseverat; unde massa materiae neque diminutionem neque augmentum patitur. Et ideo materia mundi semper permanebit sub uno vel altero modo essendi atque proinde ipse mundus semper erit.

80. **Mundi mutatio.** — Mundum autem sicut non semper eodem modo fuisse scientiae naturales testantur ita non semper eodem modo futurum; nam ut patet ex dictis (cfr. n. 67); seqq. terram nostram et pla-

---

attribuire all' uomo un' antichità di circa diecimila anni; ma il certo si è che finora non v' è *un sol fatto*, il quale necessiti *un prolungamento* di questo periodo ». Et notandum quod clarissimus auctor id asserit post serium examen atque plenam solutionem graviorum argumentorum quae in contrarium afferuntur. Cf. opus cit. ubi per 215 pag. hanc materiam diffuse pertractat.

netas varium statum essendi habuisse apparet, nempe statum aeriformem, statum solis et inde calore decrescente ad statum actualem importantem corticem spissum, opacum, radiorum emissione carentem transiisse: eumdem exitum habiturum solem atque stellas ex principiis positis et ex explicationibus a scientiis traditis evolutionis materiae mundanae logice consequi videtur. Igitur scientiae hodiernae solem disperso paullatim calore, corticem opacum esse induturum atque lucem caloremque ad planetas emittere cessaturum testari videntur. Hoc autem etiam in planetis magnam mutatationem importabit.

81. **Modus quo immutatio mundi adveniet.** — Modus autem quo fiet mundi immutatio nonnisi hypothetice ex scientiis naturalibus determinari potest; nam sicut mediante motu materiae superveniente mundi formatio per divisionem massae ejusdem materiae in globos vel sphaeras explicatur, ita ex augmentatione, retardatione vel cessatione ejusdem motus in sphaeris seu globis, atque proinde ex occursu mutuo sphaerarum unam eamdemque massam materiae efformantium cum magna conflagratione haberi poterit mundi immutatio. Hoc non quidem certe futurum esse de facto, sed fore possibile scientia docet. Adde quod motus corporum ex mutua activitate dependet, ita scilicet ut ex tensione energiarum habeatur quatenus adinvecem corpora alterantur, tensio autem energiarum quae ab initio fuit maxima jugiter minuitur ita scilicet ut ad aequilibrium corpora tendant (1). Unde motus retardatio etiam ex hoc possibilis apparet. Quod vero scientia in praesenti determinare non valet ex sacra scriptura habetur a-

(1) Hinc sequitur formationes varias corticis telluris supra recensitas citius forte factas fuisse quam credatur.

liqualiter determinatum. Sic autem mundi immutatio aut finis praesentis status describitur; « Adveniet dies Domini ut fur: in quo coeli magno impetu transient, elemementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera exurentur... coeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent (1).

82. **Mundi innovatio.** — Ex quibus habetur ulterius mundum innovatum iri; cum enim mundi materia post conflagrationem maneat non est putandum ipsam veluti chaos quoddam per conflagrationem factam, esse permansuram; etenim conflagratio et confusio nequit esse operationis naturae et multo minus operationis divinae finis. Ideo novam dispositionem accipiet mundus et quidem perfectiorem et pulchriorem, progressus enim et perfectio non confusio et vanitas, ut dictum est, operationis naturae et auctoris naturae finis est. Unde ipsa sacra scriptura terram novam et coelos novos esse futuros testatur; sic enim dicitur (Is. 65, 17): Ecce ego creo coelos novos et terram novam »; et (ib. 66, 22): « Sicut coeli novi et terra nova, quae ego faciam stare coram me... Et S. Petrus (post cit. verba n. praec.) ait: « Novos vero coelos et novam terram secundum promissa ipsius expectamus » (2). Ratio autem inno-

---

(1) Ep. II. Petri c. III, 10-12. Etiam etnici scriptores de hac futura conflagratione, quasi vestigia divinae revelationis in genere humano conservata colligentes loquuntur, ut videre est apud Ovidium Metam. l. I, 256; apud Lucanum Pharsal. VII. apud Tullium. *De natura Deorum*, l. II, c. 46; apud Senecam. *Ad Marciam.*

(2) S. Thomas ita pulcherrime evolvit hanc rationem: « Omnia corporalia propter hominem facta esse creduntur; unde et omnia dicuntur ei subjecta; servient autem homini dupliciter; uno modo ad substentationem corporalis vitae, alio modo

vationis mundi seu terrae et coelorum in statum meliorem, est major et perfectior manifestatio gloriae divinae homini, qui est corona mundi, facienda.

Caput XII.

De corpore in ordine ad locum.

(Lepidi, *Cosmol.*, lib. I. sect. II, cap. II. Liberatore, *Cosmol.*, cap. II, art. III; Schiffini *Metaph. Spec.* vol. I, par. I, disp. III, sect. VI; Lorenzelli, *Phil. Natur.* pars. III, lect. III; Hugon, *Cosmol.*, De hac materia etiam antiqui scholastici agentes sunt: B. Albertus, S. Thomas, S. Bonaventura, Aenricus Gandavensis, Capreolus, Vasques, Ferrariensis, Joannes a S. Thoma, Goudin, Sylvester, Maurus).

83. **Ratio capitis.** — De loco egimus in ontologia (n. 699 et seqq.); nunc autem, hoc est in praesenti capite, consideramus relationem corporis ad locum, quippe naturam corporis intrinsecam determinare volentes congruum est ut ea quae exterius et manifestius ut sunt relationes exteriores corporis consideremus; ex his enim facilius intentum consequi putamus. Inde existentia corporis in loco examinata de motu corporis in ordine ad locum, atque

---

ad profectum cognitionis divinae, inquantum homo per ea quae sunt facta invisibilia Dei conspicit ut dicitur Rom. I. Primo ergo ministerio creaturarum homo glorificatus nullo modo indigebit... Secundo etiam ministerio non indigebit homo, quantum ad cognitionem intellectivam; quia tali cognitione Deum Sancti immediate videbunt per essentiam. Sed ad hanc visionem essentiae oculus carnis attingere non poterit; et inspiciet divinitatem in suis effectibus corporalibus in quibus manifesta indicia divinae majestatis apparebunt. Et ideo oportebit ut corpora majorem influentiam a divina bonitate suscipiant quam nunc. Et haec erit mundi innovatio ». Suppl. q. 31 a. 1.

de viribus corporum, quae cum eorum motu intime connectuntur erit sermo; inde vero de corporum distinctione et finalitate; quippe ex actionibus et fine rerum earum natura cognosci potest (I, 806).

84. **Naturae corporeae naturaliter esse in loco convenit.** — Omnia enim corpora in spatio per dimensiones proprias naturaliter esse posita conspicimus. Quod autem est in spatio eo ipso esse in loco consequitur, ut patet ex iis quae supra (Ontol. cap. XXII) explanavimus. Unde sicut naturaliter esse in spatio ita et in loco corporeae naturae competit.

85. **Quaestiones circa rem extensam in ordine ad locum.** — Circa substantiam corpoream in ordine ad locum tres quaestiones moventur 1.° quaeritur an repugnet substantiam corpoream non esse in loco; 2.° an possit fieri ut duo corpora sint in eodem loco simul; 3.° an possit fieri ut unum idemque corpus sit in pluribus locis simul. Quibus quaestionibus respondetur tribus conclusionibus.

86. **Conclusio I.** — *Non repugnat substantiam corpoream in nullo loco esse.*

Prob.: Esse in loco non est essentiale substantiae corporeae, neque ejus proprietati, quae est extensio, sed est aliquis effectus secundarius extensionem consequens (ont. n. 686). Atqui quod non est alicui rei essentiale et est quid secundarium in ipsa potest absolute loquendo ab ea separari. Ergo fieri potest quod substantia corporea ab omni loco separetur, vel ut sit extra omnem locum. — *Confirmatur:* Si consideretur totus universus quoad suam totalitatem ut quoddam corpus ex omnibus corporibus compositum, necesse est dicere quod non sit in loco: nam secus supponeret aliud corpus ab eo distinctum in cujus superficie reperitur: hoc autem absurdum est, nam extra totum universum est nihil. Insuper si Deus produxis

set unum corpus tantùm, in nullo loco esset tale corpus.

87. **Conclusio II.** — *Absolute loquendo non repugnat duo corpora esse simul in eodem loco.* — Sensus conclusionis est quod idem omnino locus potest absolute loquendo (non tamen naturaliter), virtute divina occupari a duobus corporibus simul. Unde non est sermo de compenetratione corporum, quae quandoque fit per hoc, quod minimae partes unius penetrant spatiola vel poros alterius corporis.

Prob.: Ratio qua unum corpus impedit aliud corpus ab occupatione simultanea proprii loci non est ipsa substantia corporea in se, neque ejus extensio, sed est ejus impenetrabilitas, quae juxta quosdam est ipsa activitas actualiter exercita, juxta alios est effectus formalis secundarius extensionis. Atqui activitas actualiter exercita, cum sit operatio, potest absolute loquendo auferri vel separari, potest vinci per virtutem divinam; et similiter eadem virtute divina impediri potest effectus formalis secundarius ab aliqua re. Ergo absolute loquendo non repugnat unum locum simultanee occupari a duobus corporibus: quae proinde possunt esse simul, absolute loquendo, in eodem loco.

88. **Conclusio III.** — 1.° *Non repugnat absolute idem corpus esse simul in pluribus locis per praesentiam propriae substantiae,* 2.° *repugnare tamen videtur posse esse in pluribus locis simul, ita ut per commensurationem quantitatis occupet plura loca, seu, ut dicunt, circumscriptive.* (S. Th. quodl. 3.ª a. 2 et 4. dist. 44 q. 2.ª a. 2 quaestiunc. 4).

Prob. 1.ª *pars.:* Esse in loco per praesentiam propriae substantiae nihil est aliud quam exercere actu relationem praesentialitatis alicui loco; nam esse praesens importat relationem. Atqui nulla apparet repu-

gnantia in hoc quod aliqua substantia importet multiplicem relationem praesentialitatis vel successive vel etiam simul ad plura loca. Ergo non repugnat idem corpus per praesentiam propriae substantiae esse simul in pluribus locis. — *Confirmatur:* Praesentialitas substantiae corporeae alicui loco non est ipsa substantia corporea, ut patet, sed est relatio sequens ex ipsa, sicut effectus quidam ex ejus virtute. Atqui effectus, qui naturaliter sequitur a virtute naturae creatae non repugnat quod virtute divina simul multiplicetur, et hoc multo magis si talis effectus sit relatio quaedam, quae, eadem permanente, potest multa simul respicere. Ergo non repugnat idem corpus esse in pluribus locis simul per praesentiam propriae substantiae. — Et hoc de facto verificatur circa Corpus Christi, quod juxta fidem nostram est in coelo et in Sacramento Altaris.

Prob. 2.ª *pars:* Si idem corpus posset esse circumscriptive in pluribus locis simul 1.° sequeretur quod eadem quantitas esset divisa a semetipsa, 2.° sequeretur quod duplum aequaret quadruplum, 3.° sequeretur quod quantitas posset quasi reflexe replicari supra semetipsam et in semetipsa. Atqui haec omnia absurda et contradictoria sunt. Ergo videtur repugnare idem corpus posse esse simul in pluribus locis. *Minor patet. Prob. major:*

1.° *Quantitas esset divisa a semetipsa.* Nam si ponatur aliquod corpus circumscriptive Florentiae esse, quantitas ejus utpote *Florentiae circumscripta* est divisa a quacumque quantitate extra Florentiam posita, secus non esset Florentiae *circumscripta.* Atqui si idem corpus, quod ponitur esse Florentiae circumscriptum, esset etiam Romae simul, quantitas corporis existentis Florentiae esset extra Florentiam, idest Romae. Ergo talis quantitas esset divisa a semetipsa.

2.° *Duplum aequaret quadruplum.* Nam quantitas ut duplum repleret locum bis duplum, et ideo aequaret quadruplum, et consequenter etiam octuplum etc.; et hoc esset evidentius si occuparet loca immediate posita, seu loca adiacentia.

3.° *Posset replicari quasi reflexe supra semetipsam et in semetipsa.* Nam quantitas habet rationem loci cum importet superficiem corporis ; igitur si esse in superficie unius corporis, quod importat esse in loco (cf. Antol. n. 474), non impedit quominus sit in superficie alterius corporis, idest in altero loco, neque impedit quominus sit in propria superficie posita; imo quia quantitas importat trinam dimensionem potest dividi ita ut possint causari novae superficies in ipsa quantitate, ipsa potest esse totaliter per relationem suae praesentiae quasi locata in quacumque parte sui.

Dices : Quandoque virtute divina factum est ut idem corpus simul in pluribus locis esset; narrat enim S. Augustinus quod annulus qui sub omni veste renes cingebat Petroniae, simul circa ejus renes mansit et ante pedes ejus decidit. — Legitur quosdam sanctos viros in pluribus locis simul fuisse,

Resp. fuisse utique in pluribus locis virtute divina, sed diversimode; quoad unum locum circumscriptive, per propriam quantitatem, quoad alios non per occupationem quantitativam loci, seu non circumscriptive sicut de SS. Corpore Christi credimus esse vel posse esse in aliquo loco circumscriptive per occupationem loci, esse autem in Sacramento Altaris non per occupationem loci per propriam quantitatem, sed per praesentiam suae substantiae.

Instabis : Quantitas ipsa videbatur in pluribus locis a diversis.

Resp. phaenomena vel effectus quantitatis non occupantis locum fuisse suppleta miraculosa divina virtute.

Caput XIII.

De motu corporum.

(Aristoteles. *Phys.* c. I. cum Comm. S. Thomae, Joannes a S. Thoma *Phil. Natur.* T. IX; Toletus; Sylv. Maurus; Goudin. — Lepidi, l. c. cap. III; Liberatore, l. c. art. IV; Schiffini, l. c. disp. IV, sect. I; Lorenzelli, l. c. lect. I. Mercier, Hugon Willems in suis Cosmol.).

89. **Multiplex acceptio motus.** — Motus sumi potest multipliciter 1.° late pro quacunque actione; et in hoc sensu etiam *intelligere* et *velle* motus dicuntur, 2.° minus proprie, et sic significatur transitus de potentia in actum, et idem est ac mutatio (ont. n. 595), 3.° hoc nomen motus sumitur propriissime ad designandam successivam progressionem sive transitum corporis a minori ad majorem quantitatem vel de uno loco ad alium: transitus corporis de uno loco ad alium dicitur motus localis, de quo in praesenti loquimur.

90. **Conditiones requisitae ad motum localem.** — Conditiones requisitae ad motum localem sunt sequentes: 1.° requiritur *corpus* seu *substantia corporea* idest res mobilis, non enim motus est substantia, sed modus quidam substantiae corporeae; 2.° requiritur *locus,* in quo sit corpus, et a quo incipiat motus et *locus* ad quem corpus perveniat, 3.° consequenter requiritur *spatium*, idest intercapedo, quae separat locum, a quo motus incipit et locum ad quem corpus, quod movetur, pervenit, 4.° requiritur *vis* quae quodammodo corpus pervadat, concitet et impellat, vi cujus corpus, quod movetur percutit et impellit quidquid ante se invenit.

91. **Corollaria.** — Ex dictis sequitur quod in re quae movetur duo inveniuntur inter se se opposita, idest potentia, quae est *ipsum subjectum* seu corpus, quod transfertur de uno loco ad alium, et actus, qui est *vis* impellens, quae proinde est quid efficiens et causans motum.

II. Illa vis efficienter causat progressionem seu transitum corporis, quod se habet ut materiale, ab uno loco ad alium; quae successiva progressio proprie est ipse motus. *Vis* ergo quae habet rationem *actus*, et *mobile corpus*, quatenus est in potentia ad terminum, sunt duo fundamenta motus.

III. Unde motus non est simpliciter et solummodo actus mobilis; nam secus mobile esset in termino; neque est solummodo potentia, secus mobile esset in quiete; sed importat actum et potentiam simul: nam in progressione seu in transitu mobilis ab uno ad alium locum habetur quod mobile tendit ad terminum tendentia actuali, sed nondum pervenit ad terminum; et in hujusmodi actuali tendentia progressiva ex vi causata in mobili et quae in ordine ad terminum est quid potentiale, consistit motus. Hinc patet motum a vi impellente distingui omnino. Unde recte dicitur ab Aristotele: *Motus est actus existentis in potentia quatenus in potentia.* Definiri etiam potest motus: *Successiva relatio praesentiae corporis mobilis pluribus partibus spatii seu loci a vi impellente causata.*

92. **Conclusio.** — *Motus secundum suam rationem totalem, idest, ut est progressio successiva mobilis ab uno ad alium locum, non est aliquid reale in mobili a mobili realiter distinctum.*

Prob.: Motus si accipiatur secundum suam totalem rationem, ut est progressio successiva ab uno loco ad alium, importat relationem praesentiae corporis mo

bilis ad diversa loca, vel ad diversas partes spatii. Atqui relatio praesentiae corporis mobilis ad distinctas partes spatii vel ad diversa loca in mobili simul actu non existit. Ergo si motus accipiatur secundum suam totalem rationem, ut est progressio successiva mobilis ab uno loco ad alium, non est aliquid existens actu in mobili. — *Prob. minor :* nam corpus quod movetur non simul, sed successive, est praesens pluribus partibus loci, idest prius est praesens uni parti loci vel spatii, postea alteri ; prius autem et posterius non sunt simul, et ideo in corpore actu nonnisi relatio praesentiae ad unum locum aut ad unam partem spatii esse potest.

93. **Corollarium.** — Unde quod de motu existit est vis motrix quae scilicet impellit corpus, et corpus ipsum, idest id quod in motu est formale, et id quod est materiale ; quae inter se se realiter distinguuntur, nam unum essentialiter activum est, aliud vero passivum.

94. **Quaestiones.** — Duo quaeruntur post ea quae de motu de facili quasi corollaria determinata sunt : 1.° an motus resolvatur in aliquid indivisibile, 2.° an vis motus corpus impellens sit intrinseca et essentialis corpori vel sit in corpore a principio extrinseco.

95. **Conclusio I.** — *Motus resolvitur in aliquid physice indivisibile extensum.*

Prob.: Motus nihil est aliud quam relatio praesentiae corporis mobilis ad diversa loca vel ad distinctas partes spatii. Ergo secundum quod potest resolvi talis relatio potest resolvi motus. Atqui talis relatio resolvitur tandem ad partes indivisibiles-extensas corporis. Ergo etiam motus resolvitur tandem in partes indivisibiles-extensas.— *Prob. minor:* Relatio praesentiae corporis ad distincta loca et ad distinctas partes spatii resolvitur sicut ipsum corpus, in minimas partes,

quae physice loquendo sùnt indivisibiles, tamen extensae (I, 682). Ergo etiam motus resolvitur tandem in partes indivibiles, sed tamen extensas.

96. **Conclusio II.** — *Vis motrix substantiae corporeae non est essentialis ipsi substantiae corporeae quatenus corporeae, sed a principio a substantia corporea distincto derivatur.* — Nota terminos conclusionis : *quatenus corporeae,* non enim negamus vim motricem esse essentialem substantiae corporeae *viventi.*

Prob. 1°: Quando aliqua forma est alicui rei essentialis, eo ipso quo ipsa res intelligitur, etiam intelligitur effectus formalis talis formae in ipsa re : e. g. quia anima est corpori viventi essentialis, eo ipso quo intelligitur et videtur corpus vivens, etiam intelliguntur effectus formales animae, idest vita corporis et ipsae actiones vitales. Atqui eo ipso quo intelligitur substantia corporea seu extensa, non intelligitur effectus formalis vis motricis. Ergo vix motrix non est essentialis substantiae corporeae, et proinde est a principio exteriori. — *Prob. minor :* Effectus vis motricis in corpore, est moveri ex parte corporis : sed intellecto corpore, non intelligitur eo ipso quod moveatur.

Prob. 2.°: Nulla res est indifferens ad effectum formalem, qui ex principio suo formali intrinseco provenit. Atqui corpus est indifferens ad effectum formalem vis motricis, qui est motus. Ergo vis motrix non est essentialis substantiae corporeae. — *Prob. minor* ex eo quod substantia corporea est prorsus indifferens ad motum et ad quietem.

CAPUT XIV.

De viribus seu energiis materiae corporeae.

(LEPIDI, l. c., cap. IV, et V; LIBERATORE, l. c., art. V SCHIFFINI, l. c., sect. II; MERCIER, HUGON, WILLEMS in suis Cosmolog.).

97. **Quaestio prima.** — In Ontologia (n. 763) probavimus entia contingentia omnia vi effectiva seu activitate esse praedita; unde in praesenti, activitate corporum praesupposita, quaeritur an activitas corporum tota in motu consistat, ut putant quidam recentiores, vel sit aliqua vis a motu locali distincta.

98. **Conclusio.** — *Praeter motum localem est admittenda vis quaedam in quolibet corpore a motu distincta.* — Per hanc conclusionem non negamus motum esse necessarium et generalem conditionem in corporibus requisitam ad activitatem exercendam.

Prob. itaque conclusio: Terminus motus localis non potest esse nisi praesentia corporis mobilis per contactum quantitatis respectu loci, ad quem corpus mobile per motum tendit. Atqui terminus activitatis non est praesentia corporis activi per contactum quantitatis respectu loci, sed est aliqua nova realitas quae prius non erat. Ergo praeter motum localem est admittenda vis quaedam in quolibet corpore a motu locali distincta. — *Prob. minor:* Corpora exteriora producunt quasdam impressiones in sensus nostros, quae quidem impressiones sunt quaedam realitates, non enim sunt subjectivae modificationes animi, ut contingit in dormientibus et delirantibus, sed sunt verae determinationes ab objectis externis effectae (I, n. 171). Atqui hujusmodi realitates non sunt praesentia ipsa corpo-

ris activi per propriam quantitatem respectu loci, ad quem per motum localem corpus mobile tendit. — *Confirmatur* 1.°: Effectus seu terminus activitatis corporis est aut modificatio, aut productio novae substantiae, ut patet; quae remanent in esse etiam si ipsum corpus activum destruatur. Atqui terminus motus localis non est nisi praesentia corporis mobilis respectu alterius corporis, quae praesentia omnino perit, si corpus mobile destruatur, imo si amoveatur. Ergo activitas corporis non est ipse ejus motus.

Confirmatur 2.°: Multiplex terminus activitatis ejusdem corporis permanenter et simul existere potest: multa enim possunt ab eodem corpore simul calefieri, aut illuminari, aut attrahi vel repelli etc. Sed terminus motus localis alicujus corporis nonnisi unus existere potest; non enim corpus per motum potest esse praesens simul pluribus locis. Ergo vis activa corporis a motu corporis omnino distinguitur.

Confirmatur 3.°: Activitas corporis etiam a longe exercetur, neque est necesse quod corpus activum per propriam quantitatem approximetur ad terminum in quo habet effectum aliquem; e. g. ignis etiam a longe calefacit et sol etiam a longe illuminat etc. item attractio et repulsio a longe exercentur a corporibus. Atqui motus non exercetur nisi per approximationem corporis mobilis ad terminum ad quem tendit. Ergo vis activa corporis omnino distinguitur a motu corporis. Addi potest quod motus in corporibus est a principio extrinseco, activitas autem a principio intrinseco. Insuper motus uniformitatem omnimodam importat, activitas autem diversitatem secundum diversitatem corporum et effectuum (1).

(1) « Che i corpi, ait V. Liverani, debbano contenere e produrre qualche cosa più del moto vien persuaso da ciò che essi *agiscono in modo speciale* sui nostri organi senzienti. È

99. Forma substantialis et facultates seu vires ipsam consequentes. — Postquam ostensum est vim quae inest corporibus diversorum effectuum productivam distingui a motu, rationabile est hujusmodi vim in suis diversis speciebus considerare: multae species autem recensetur. Prima vis, quae est primum principium cujuslibet activitatis, quae corpori ab intrinseca sua natura convenit, dicitur *forma substantialis* de qua in Ontolog. (n. 775) aliquid innuimus, et infra enucleatius agetur. Aliae vero vires, quae non possunt esse nisi aliquid accidentale, ipsam formam substantialem consequuntur si ab intrinseco ipsi corpori conveniant. Si hujusmodi vires considerentur in

---

ben vero, che i meccanici tentano qui coprirsi con l'autorità del Galilei, il quale nel *Saggiatore* ha detto che « i sapori, i colori, gli odori, il suono, il calore non sono *qualità intrinseche dei corpi*, ma tengono solamente loro residenza nel corpo sensitivo, sì che, rimosso l'animale, sono tutte annichilite; mentre nei corpi esterni ad eccitare in noi quelle diverse affezioni, altro non si richiede che *grandezze* e *movimenti* di varie dimensioni e velocità ». Ma noi noteremo che cotesta sentenza del Galilei, resa poscia celebre e fatta universalmente accettare dal Cartesio, è assolutamente erronea: e l'errore consiste (come dice il Rosmini nel *Nuovo saggio sull' origine delle idee)* nel non avere osservato, che in tutte le sensazioni nostre, sebbene soggettive, v'ha sempre necessariamente una parte extra soggettiva la quale in sè medesima non è *nè grandezza, nè movimento*, quantunque dell'uno e dell'altra possa aver bisogno per essere percepita. E di vero, a ciascuno di noi per intima esperienza è conto che non si apprende per fermo nè dimensioni, nè movimenti, allorquando si gusta p. es. la *dolcezza* di un frutto, si gode la *fragranza* di un fiore e si ammira la *vivacità* dell'iride o l'*armonia* di un' arpa toccata da mano maestra. Ora se queste nostre affezioni, al tutto straniere alla ragione di moto, debbono inchiudere un essenziale rapporto all'oggetto percepito, di cui sono veraci rappresentanze, sarà pur mestieri inferire, che le sostanze materiali, che in noi le destano, non costano puramente di estensione e mobilità ». *Dei principii supremi da applicarsi alle scienze naturali*, cap. XXIX.

potentia seu in statu quodam latenti hoc est sine actuali operatione prout exclusive important aptitudinem ad ipsam actionem, dicuntur facultates seu vires in actu primo consideratae; si autem considerentur prout sunt in sua activitate seu prout actualiter agunt dicuntur vires in *actu secundo* (cf. I, n. 756). Hae vires prout sunt principium proximum actionis dicuntur facultates vel proprietates et etiam vires substantiae corporeae.

100. **Vires, facultates et potentiae in ordine ad actum.** — Vires dicuntur etiam facultates et potentiae; unde distinximus (I, 520) potentiam activam et passivam. Tamen animadvertendum est non solum potentiam activam sed et ipsam potentiam passivam ordinari ad actum hoc est ad agendum; non tamen immediate sed mediate; videlicet primo ordinatur ad actum aliquem recipiendum ab agente extrinseco, et inde actu recepto seu per actum receptum vel recipiendum, ad agendum. Ita e. g. corpus opacum est in potentia ad illuminandum, idest prius (passive) ad recipiendam lucem et per lucem receptam vel recipiendam ad illuminandum vel ad imprimendum in facultatem visivam. Hinc potentiae habent esse ab intrinseco corporis seu substantiae corporeae, licet non omnes ab intrinseco habeant suum complementum. Imo licet quaedam ab intrinseca natura corporis etiam proprium complementum habeant, tamen non procedunt in actum nisi positis in quibusdam circumstantiis exterioribus. Ita e. g. actiones clorii et antimonii mutuo non exercentur nisi cum haec duo corpora in contactu ponuntur.

101. **Vires vitales mechanicae, physicae et chymicae.** — Corporum vires quaedam sunt vitales, quae scilicet sunt propriae viventium et ad actiones vitales eliciendas ordinantur; aliae dicuntur nomine

generico *physicae.* De viribus vitalibus non hic, sed alibi est sermo. Vires autem non vitales plures recensentur, quaedam dicuntur *mechanicae,* quaedam simpliciter *physicae,* quaedam dicuntur *chymicae.*

102. **Effectus proprii virium mechanicarum, physicarum, chymicarum.** — Effectus proprius virium mechanicarum in eo situs est quod per eas unum corpus in alterum causat motum. Inter vires mechanicas recensentur sequentes idest: *Attractio* et *repulsio, gravitatio, resistentia, impulsus* mobili ab extrinseco comunicatus. Effectus proprius virium physicarum est accidentales mutationes seu phaenomena physica causare. Vires physicae hae recensentur: *Lux, sonus, calor, electricitas,* vis *magnetica.* Effectus proprius autem virium chymicarum est aut per combinationem seu per synthesim elementorum hoc est corporum simplicium corpora composita, idest novas substantias corporeas efficere, aut corpora composita in sua elementa ex quibus coalescunt resolvere, aut simpliciter corpora alterare.

103. **Attractio.** — Attractio est activitas omnibus corporibus communis qua inter se se invicem agunt mutuam separationem impedientia. Haec vis omnibus corporibus intrinseca in uno corpore existens dicitur agere in aliud corpus mediante *fluido* subtilissimo quodam *imponderabili* appellato, quod vocatur etiam *aeter cosmicus.*

104. **Attractio respectu diversorum corporum considerata.** — Attractio prout consideratur inter ipsa corpora coelestia exerceri, dicitur *gravitatio* universalis; prout est actio reciproca inter terram et corpora terrestria quatenus haec ad centrum tendunt, dicitur *gravitas;* prout exercetur inter minimas particulas corporis dicitur *cohaesio;* dicitur *adhaesio* cum inter duo corpora se invicem tangentia ratione attra-

ctionis separatio difficilis aut impossibilis redditur; dicitur autem *affinitas*, cum attractio exercetur inter ultimas particulas corporum elementarium diversam naturam habentium et habetur uti causa combinationum chymicarum; unde affinitas cum viribus chymicis identificatur.

105. **Observationes.** — I. Hujusmodi vires omnes recensitae sive physicae, sive mechanicae, sive chymicae sunt communes corporibus non viventibus et viventibus.

II. Activitas corporum, ex conservatione materiae et vis seu energiae in natura dependet: *Nulla enim materia de novo creatur;* item *nulla nova vis* seu *energia respectu corporum ab activitate naturae creatae omnino ex nihilo producitur* (1). Unde generationem compositi seu formae praecedit corruptio alterius. Ita e. g. non generatur caro nisi corrumpatur cibus. *Corruptio unius*, dicebant scholastici, *est generatio* alterius; nulla enim annihilatio proprie dicta datur in natura, quia annihilatio est totius rei destructio.

---

(1) « L' uomo, ait Mercier, (*Psicol.*, v. I, n. 20: Trad. Ital. sulla 5.a ed. Franc. del Prof. Bersani), adopera la materia, egli non ha il potere nè di crearne, nè di distruggerne neppure una minima parte. — Egli adopera l' energia sotto una forma per riprodurla sotto un' altra; adopera calore per produrre effetti meccanici, o inversamente, adopera l' energia meccanica per produrre calore, ma nessuna forma di energia si produce mai senza il consumo esattamente proporzionale di un' altra ». Quae tamen verba de productione animarum vera non sunt; non enim quando aliqua anima producitur alia anima consumitur vel alia energia in animam transformatur. Est enim in viventibus vis producendi aliud vivens cujus anima non erat ante productionem, vi enim vitali nulla vis aequivalet.

Caput XV.

De relatione existente inter vires et motum, atque de inertia corporum.

106. **Conclusio.** — 1.° *Vires mechanicae nonnisi motum causant;* 2.° *vires physicae specie differunt.*

Prob. 1.ª *pars:* Vires mechanicae ut tales aut attractionem, aut repulsionem, aut impulsum important. Sed haec omnia nonnisi motum tanquam effectum habent. Ergo vires mechanicae ut sic consideratae nonnisi motum tanquam effectum habent.

Prob. 2.ª *pars:* Diversitas specifica virium physicarum puta lucis, caloris, sonus, electricitatis etc. habetur 1.° ex eo quod differunt inter se se non secundum magis et minus, sicut motus per maiorem vel minorem velocitatem, sed per differentiam qualificativam, quae diversam essentiam seu naturam indicat; non enim sonus differt a luce, calore per simplicem gradum quantitatis, sed per differentiam profundiorem alio nomine expressam et significatam; 2.° infertur eadem distinctio specifica ex diversitate ipsa sensuum seu organorum quibus eas percipimus; nam diversitas specifica organorum nonnisi ex diversitate specifica vel etiam generica objectorum ad quae ordinantur et a quorum virtute et efficacia determinantur, desumitur; 3.° adserere in hujusmodi viribus puta in luce, in calore etc. seu in objectis sensuum non esse nisi motum easque motui aequivalere est omnino notionem motus pervertere atque rem (cf. n. 91 et 98) contra sensum communem et experientiam affirmare. — Neque huic adsertioni suffragatur ipsa aequivalentia variarum virium mechanice consideratarum;

absurdum est enim in viribus praedictis solummodo aspectum mechanicum considerare et solum sub hoc respectu eas inter se comparare, quippe varii corporis nostri sensus ad hoc sunt ut diversos aspectus praeter mechanicos in eis percipiamus; et de facto percipimus.

107. **Ratio quare motus exercitium energiarum seu virium corporearum comitatur.** — Ipsa quantitas seu extensio corporis est ratio quare exercitium cujuslibet energiae corporeae motus comitatur, quippe extensio est prima proprietas et communis omnium corporum; mediante ipsa imo et in ipsa omnes aliae proprietates subjectantur, atque proinde modo extenso in corpore sunt, distribuuntur atque, si activae, propriam operationem exercent. Hoc patet de ipsis facultatibus sensitivis et vegetativis, imo et de omnibus aliis, quae licet importent activitatem omnino ab extensione distinctam, tamen sine extensione eas concipere in propria specie est impossibile, quippe extensionem aliquo modo in earum conceptu includunt. Unde mutatio seu exercitium energiae mutationem in ipsa extensione importet necesse est, mutatio autem in extensione nonnisi per motum haberi potest, idest per mutationem loci.

108. **Quaestio.** — Quaerunt philosophi quomodo se habeat motus ad diversas energias puta ad calorem, ad electricitatem et generatim in ordine ad phaenomena quae in corporibus contingunt. Atomistae putant motum respectu activitatis corporeae habere rationem principii ita ut mundi phaenomena a motu originem habeant; et hoc contingat ex eo quod ipse motus de uno ad aliud corpus transeat atque se in varias vires puta in vim magneticam, in lucem, in calorem, electricitatem etc. transformet;

unde naturae vires non sunt, juxta atomistas, nisi modi diversi ejusdem motus.

109. **Conclusio I.** — *Motus non potest habere rationem principii a quo phaenomena mundi originem ducant.*

Prob. 1.° : Motus non est aliud quam successiva relatio praesentiae corporis mobilis pluribus partibus spatii seu loci a vi impellente causata (cf. n. 91). Atqui relatio praesentiae corporis praecipue quae in continua successione consistit non potest habere rationem principii activi a quo aliquid originem ducat. Ergo motus non potest habere rationem principii a quo phaenomena corporum seu mundi originem ducant.

2.° Motus a *vi* impellente causatur, quae *vis* non est motus sed aliquid a motu praesuppositum, et ideo motus est effectus *vis* seu impulsus a vi et impulsu omnino distinctus imo et diversus; unde, licet praesupponat activitatem, ipsam tamen in suo conceptu non includit. Ergo non potest habere rationem principii activi a quo origo alicujus rei repeti possit.

3.° Motus importat praesentiam corporis non simultaneam uni loco tantum, secus haberetur quies, sed pluribus locis seu partibus loci successivam, idest importat plures partes successivas adinvicem distinctas quae non manent et quarum una ab altera originem non habet, sed singulae a vi impellente corpori impressa et in corpore conservata causantur. Multo minus ergo motus aut phaenomena unius corporis possunt habere originem sicut a principio a motu corporis alterius.

110. **Conclusio II.** — 1.° *Adserere motum transire de mobili in mobile seu de corpore in corpus est omnino absurdum ;* 2.° *et similiter absurdum est adserere motum in motum ad explicandas varias energias ;* 3.° *aut modos ejusdem motus in alios modos commutari.*

Prob. 1.ª *pars :* Motus constat ex partibus ut patet ex dictis (cf. n. 92, 95), quarum singulae cessant esse, remanente corpore et vi motrice; hujusmodi autem partes vel sunt praeteritae vel sunt futurae, in praesenti enim non habetur nisi una pars fluens, quae sola non est motus et est effectus non causa, imo a vi est quid omnino diversum. Atqui partes quae amplius non sunt, idest quae cessarunt esse praecipue si vis rationem non habent, non possunt communicari, et similiter ~~partes~~ quae sunt futurae, cum actu non sint; dum autem fiunt actu, successive actu fiunt non simul et non habent rationem motus sic consideratae, imo cum sint fluentes eo ipso cessant esse, neque proinde permanent transeuntes in aliud; insuper non habent rationem principii efficientis sed important exclusive rationem praesentialitalis. Ergo nonnisi absurde dici potest motum transire de mobili in mobile.

2.° Cum unum corpus in motu existens aliud impetit, saepe contingit quod in primo cesset motus, in secundo motus incipiat. Atqui absurdum est adserere quod motus prioris transierit in aliud quod moveri incipit, nam totus motus prioris corporis cessavit esse et non respicit nisi tempus praeteritum; non enim motus est aliquid permanens et fixum seu aliquod ens stans quasi substantia. Ergo motus secundi corporis est aliquid novum idest novus et distinctus effectus a vi seu impulsu in primo corpore existente causatus; non autem motus prioris corporis vel effectus ejus.

Prob. 2.ª *et* 3.ª *pars.* 1.° : In motu non consideratur (praeter ipsum mobile, vim, et successivam mobilis praesentialitatem ipsi loco) nisi velocitas et directio. Ergo omnes mutationes seu transformationes motus ex his duabus attendi debent. Atqui ex diversitate

velocitatis aut directionis impossibile est et absurdum explicare omnes mutationes, omnia phaenomena, omnes energias diversas quae in corporibus reperiuntur. Ergo omnino absurdum est adserere diversas corporum energias seu vires sicut et phaenomena haberi et explicari per varios modos motus seipsum diversimode transformantis.

2.° Cum motus in successionibus consistat nihil remanet de motu praecedenti, sive consideretur secundum velocitatem, sive secundum directionem etc. adveniente motu sequenti. Ergo a fortiori nihil de modo antecedenti motus remanet. Ergo nulla transformatio neque secundum motum, neque a fortiori secundum modum ipsius motus contingit aut potest contingere; nam ad rationem transformationis sicut mutationis requiritur ut aliquid maneat et aliquid transeat (cf. I, n. 596). Unde neque motus neque a fortiori modus ipsius possunt esse subjectum transmutationis, neque ratio explicandi varia phaenomena, varias vires et energias corporum.

111. **Quaestio altera.** — Ab omnibus conceditur corporibus inertiam convenire. Sed in quo consistat inertia non omnium eadem est sententia. Quidam dicunt esse carentiam cujuslibet activitatis; sed haec sententia falsum supponit, ut patet ex dictis (n. 1, 763 et cap. praec). Alii vero adserunt inertiam esse vim persistendi in eodem statu sive motus sive quietis; sed nec haec sententia probatur; nam imprimis per hoc nomen inertia non vis, aut activitas, sed carentia activitatis communiter designatur; insuper ad hoc ut aliquid persistat in motu sufficit quod ab aliquo principio exteriori moveatur, et ideo ex parte ejus non activitas sed passivitas sufficit; neque ad hoc quod aliquid sit et persistat in aliquo loco aliud requiritur, quam quod ab aliquo principio ex-

teriori in illo loco ponatur; sufficit autem quod ipsum quantum est de se sit indifferens ut sit et persistat in loco illo; ad hoc autem nulla activitas, sed passivitas sufficit.

112. **Conclusio.** — *Inertia consistit in absoluta indifferentia corporis ad actionem agentis recipiendam sine potentia vel effectum receptum modificandi vel modificandi motum receptum ad hunc vel alium locum, ad hanc vel illam partem spatii.*

Prob.: Inertia non activitatem, sed passivitatem in corpore importat sive corpus sit imperfectum sive sit perfectum. Atqui passivitas sive potentia in corpore, si praescindamus a perfecto et imperfecto, consideratur per indifferentiam ad actionem agentis recipiendam sine potentia motum vel effectum receptum modificandi et per indifferentiam ad illum vel alium locum, ad illam vel aliam partem spatii. Ergo inertia consistit in absoluta indifferentia corporis ad actionem agentis etc. ad hunc vel alium locum, ad hanc vel illam partem spatii.

113. **Corollaria.** — I. Corpus de se omnino indifferens est ad motum et ad quietem.

II. Si ponatur in quiete semper persistet in ea, nisi ab aliqua exteriori vi a statu quietis auferatur; et si ponatur in motu semper in eo persistet nisi ab aliqua vi impediatur.

Caput XVI.

De corporum distinctione et finalitate.

(Cf. auctores citatos in *Ontolog.*, cap. XXIX;
Cf. etiam Stoppani; Period. Div. Thom., a. 1903, pag. 379 et seqq;
Tuccimei, *Le cause efficienti e finali*; Pustet, 1903;
De Coster, Janet, Carbonnelle).

114. **Ratio capitis.** — Considerato motu et activitate corporum oportet de eorum finalitate agere; res enim cum moventur et aliquem terminum seu finem respiciunt. Sed diversitas finis distinctionem corporum supponit, proinde in hoc capite quaedam de corporum distinctione praemittenda ducimus, atque eorum proprietates sub oculis subjicere, proprietates enim sunt ipsaemet inclinationes quibus res tendunt in finem.

115. **Proprietates fundamentales corporum recensentur.** — Proprietates fundamentales corporum tres sunt idest: *Extensio, potentia agendi sive activitas, potentia patiendi;* nullum enim est corpus quod his tribus praeditum non sit.

116. **Recensentur aliae proprietates corporum quae ad tres praedictas revocari possunt.** — *Magnitudo, figura, divisibilitas, esse locatum* ad extensionem revocantur, hae enim proprietates extensionem supponunt eamque in proprio conceptu includunt. *Ad potentiam agendi* revocantur ea quae in proprio conceptu activitatem quamdam important, et praecipua sunt: *Contractio, expansio seu dilatatio, cohesio, affinitas particularum, attractio et repulsio;* de quibus supra egimus (n. 102-104). *Ad potentiam patiendi revocatur mutabilitas,* quae potentialitatem et passivita-

tem importat; item revocatur *inertia* quae passivitatem et indifferentiam ad actionem agentis suscipiendam et consequenter ad mutationem secum fert.

117. **Impenetrabilitas.** — Impenetrabilitas, a quibusdam philosophis praecipue recentioribus consideratur ut effectus resistentiae et activitatis, ab aliis vero praecipue a scholasticis ut effectus formalis quantitatis et extensionis. Verum haec dissensio ex confusione contingit; nam primi considerant solum relationem corporum distinctorum inter se se et quidem superficie-tenus, sed non considerant intimam, ultimam et universalem rationem impenetrabilitatis, quae se extendit etiam ad partes cujuscumque corporis. Non est dubium resistentiam quae in activitate fundatur et est activitas impedire quominus unum corpus alterum pervadat atque ipsum compenetret; unde si impenetrabilitas sub hoc aspectu praeciso et ratione consideretur non est certe effectus formalis extensionis. — Verum haec ratio neque prima est neque universalis ipsius impenetrabilitatis. Non est *prima* quia etiamsi corpora nullam resistentiam haberent essent impenetrabilia ob ipsam extensionem, quae ex se se importat unam partem extra aliam per quamdam continuationem; unde, ut ait S. Thomas, « propter dimensiones diversas corpora distinguuntur secundum diversa loca » (1); non est *universalis* quia in partibus corporis non viventis quae sunt adinvicem vere impenetrabiles nulla activitas mutua exercetur, secus haec activitas utpote in uno eodemque corpore exercita esset actio immanens et vitalis, unde sequeretur quod omnia corpora viverent; non est ratio *formalis*, nam ratio formalis ad omnia se extendit; unde

(1) Quodl. I, n. 21.

impenetrabilitas, licet non ut provenit ex secundaria ratione idest ex activitate, tamen ut provenit ex prima et universali ratione omnium corporum et partium eorum est vere et proprie effectus formalis quantitatis. Ad hunc sensum intelligenda sunt quae scripsimus in Ontolog., n. 676 (1).

118. **Definitio et divisio corporis.** — Ex dictis corpus definiri potest: *Substantia extensa potentia agendi et patiendi praedita.* Multipliciter corpus dividi potest, sed duae divisiones praecipuae et universaliores in praesenti attendendae sunt; unde corpora dividuntur *in simplicia et composita; simplicia* dicuntur quaedam corpora non ex eo quod partibus non constent, quippe cum quodlibet corpus sit extensum partibus constet necesse est, sed ex eo quod nunc per chymicam resolutionem in corpora plura resolvi non possint. Numerus horum corporum valde limitatus est et inter 75 et 80 circiter comprehendi videtur. Quae vero in plura corpora resolvi possunt, ut aqua in ydrogenium et oxygenium, *composita* vocantur. Corpus dividi etiam potest in *organicum et*

---

(1) Imo quantitas dimensiva est vera et propria ratio impenetrabilitatis qua scilicet duo vel plura corpora impediuntur quominus compenetrentur ut sint in eodem loco; quod ita probat S. Thomas: « Oportet quod materia (corpus) secundum quod subest ei per quod habet primam comparationem ad locum, hoc prohibeat (*compenetrationem seu duo corpora esse simul in eodem loco*). Comparatur autem ad locum prout subest dimensionibus; et ideo ex natura materiae subjectae dimensionibus prohibentur plura corpora esse in eodem loco.... Cum igitur materia dimensionibus subjecta inveniatur in quibuscumque corporibus, oportet quaelibet duo corpora prohiberi ex ipsa natura corporeitatis ne simul sint in eodem loco ». In Boetium de Trin. qu. IV, a. 3. c. — Hanc S. Thomae doctrinam defendunt inter alios Mercier, Hugon et alii scholastici recentiores in suis Cosmol.

anorganicum vel in *vivens* et in *non vivens;* prout est vita praeditum aut vita destitutum.

119. **Corporum convenientia et distinctio.** — Ex hoc ipso quod corpora extensione et activitate praedita sunt, ut ex corporis definitione tradita (n. praec.) liquet, necesse est ut inter se conveniantiam importent, et ex hoc ipso quod divisionem suscipiunt sequitur ea inter se distingui quatenus scilicet unum corpus non est aliud; sed distinctio duplex consideratur; idest vel in natura vel in individuo. Distinctio in natura habetur inter duo corpora cum in uno praeter proprietates communes habetur aliqua proprietas quae est alicujus operationis fundamentum et principium, ut infra magis explicabitur; distinctio in individuo habetur cum unum corpus ab alio enumeratione secernitur vel distinguitur. Distinctio autem in natura aut est *superficialis* per additionem scilicet alicujus qualitatis transeuntis vel mobiliter adhaerentis, ut corpus calidum a non calido, viride ab albo, alatum a non alato etc. discernitur, et haec dici potest accidentalis; vel est profunda per proprietatem scilicet quae naturae illi intime et inseparabiliter convenit, et distinctio dicitur *essentialis,* et potest esse specifica et generica (cf. log. n. 15).

120. **Sententiae variae circa rerum seu corporum finalitatem.** — Ii qui admittunt materiam esse improductam vel unicam existere substantiam, et consequenter pantheistae tum antiqui uti Empedocles, Thales, Democritus Anaxagoras, Eraclitus, Epicurus, etc.; tum recentiores ut Spinoza, Haeckel, Büchner etc. negant rerum seu corporum finalitatem. Sapientiores vero philosophi et physici tum antiqui ut Plato, Aristoteles, Tullius etc. quibus concinunt et Ecclesiae patres et doctores; tum recentiores quos inter Galileus, Pascal, Redi, Leibnitz, Kant,

Newton, Linnaeus, Spallanzani, Cuvier, Volta, De Lapparent et multi alii, causas finales admiserunt. — Primi idest finalitatis osores *mechanicistae* dicuntur, utpote omnia per causas mechanicas et efficientes, dempta tamen prima, explicare conantes; alii vero *finalistae*.

121. **Triplex finalitas juxta finalistas distinguitur.** — Triplex tamen finalitas a finalistis distinguitur: *intrinseca* qua quaelibet res ad propriam conservationem, operationem, perfectionem et proprium finem tendit; *extrinseca*, qua res ad aliam rem ordinatur et tendit, et haec duplex, extrinseca *immanens* (respectu scilicet universi) qua res seu corpora ad invicem ordinantur, harmoniam universi constituentes, *extrinseca transcendens* qua res ad causam primam supra ipsum universum constitutam sicut ad finem ultimum, ordinem dicunt (cf. n. 47). Huic triplici finalitati tamen non omnes finalistae se subscribunt; nam pantheistae transcendentes finalitatem solum *immanentem extrinsecam* quam *Teleologicam* vocant admittunt; materialistae quos dicunt temperatos solum finalitatem *intrinsecam* non vero extrinsecam qua res ad se invicem ordinentur agnoscunt; alii vero quos inter Cartesius, Victor Cousin atque schola quam Leibnitzianam appellant finalitatem intrinsecam respuunt, extrinsecam duntaxat profitentes. — Igitur diversas propositiones subnectimus ut veritas inconcussa statuatur.

122. **Corporum finalitas est omnino admittenda.** — De corporum finalitate sicut de corporum distinctione dubitari nullo modo potest; quippe ex hoc ipso quod corpora distinguuntur, proprietates, operationes distinctas atque diversas habent, secundum quas ad alium et alium effectum ordinantur, ea ad finem tendere atque inclinari eviden-

ter sequitur; distinctae enim et diversae actiones habent distinctos atque diversos effectus veluti terminos, ad quos non casu, sed ex naturae propriae praeordinatione et lege tendunt. Terminus autem ad quem res tendentiam seu inclinationem habet est ejus *finis*, unde de corporum finalitate dubitari nullo modo licet (1).

123. **Corporum finalitas est a principio intrinseco.** — Haec autem finalitas ab aliquo intrinseco determinationem habet, quippe ab ipsa actione et, qua mediante, a proprietate intrinseca naturae, atque proinde ab ipsa natura est, vel ut ajunt scolastici a principio activo naturae seu corporis, quod forma vocatur. Hinc patet quam falsa et absurda sit sententia scholae Leibnitianae, cui Cartesius atque Victor Cousin cum suis abseclis se subscribunt, finalitatem intrinsecam rebus negantis, et exclusive finalitatem extrinsecam admittentis.

124. **Corporum finalitas seu finis a principio extrinseco.** — Licet a principio intrinseco corporum finalitas repeti debeat, non tamen ita ut principium aliquod extrinsecum a quo sit excludatur, quinimo principium aliquod extrinsecum praesupponi oportet; nam corpora non agunt nisi movendo seu per hoc quod de potentia reducuntur ad actum, omne autem quod movetur ab alio movetur, nam quod est in potentia non reducitur in actum nisi per aliquod ens in actu existens (cf. *Ontolog.*, n. 527). Hujusmodi autem ens oportet esse a corpore ipso quod mo-

(1) « Si agens, ait Angelicus, non esset determinatum ad aliquem effectum non magis ageret hoc quam illud. Ad hoc ergo ut determinatum effectum producat necesse est quod determinetur ad aliquid certum quod habet rationem finis ». I-II qu. I. a. 1.

vetur distinctum atque ei extrinsecum. Insuper sicut ipsum corpus non est ens a se, sed ab alio ita etiam ejus proprietates, quae sunt principium proximum actionis. Unde finis seu finalitas corporis non solum a principio intrinseco sed etiam imo prius a principio extrinseco dependet a quo proinde in finem suum inclinatur.

125. **Finalitas extrinseca transcendens in rebus corporeis.** — Post ea quae supra de mundi origine disseruimus nullo pacto de ipsa finalitate extrinseca transcendente dubitari licet; etenim eo ipso quo mundus non est a se sed ab alio et non habuit originem ex fortuito atomorum concursu, sed per actionem primae causae, hoc est per actionem Dei liberam creatricem, manifeste sequitur mundum atque ea omnia ex quibus constituitur ad ipsum Deum ordinari. Deus enim cum sit intellectu et voluntate praeditus agit propter finem et propter ultimum finem qui non potest esse nisi ipse (cf. supra n. 47). Quod quidem ex dictis in praesenti capite iterum probatum atque confirmatum manet, quippe res mundanae et ipse mundus nonnisi perfectione relativa donantur, atque relationibus puta contingentiae, dependentiae, potentialitatis etc., actionis et passionis intime constituuntur tum inter se se, tum et magis in ordine ad ens transcendens quod Deus est, a quo omnia pendent sicut a principio et fine, quippe ejus gloriam atque bonitatem invicte ostendunt.

126. **Haec triplex finalitas compendiose et sapientissime expressa et probata a S. Thoma.** Angelicus doctor triplicem expositam finalitem his verbis exprimit: « Si alicujus totius et partium ejus velimus finem assignare invenimus *primo* quidem quod singulae partes sunt propter suos actus, sicut oculus ad videndum: *secundo* vero quod pars ignobilior est propter

nobiliorem, sicut sensùs propter intellectum et pulmo propter cor. *Tertio* vero omnes partes sunt propter perfectionem totius, sicut et materia propter formam. Partes enim sunt quasi materia totius. Ulterius autem totus homo est propter aliquem finem extrinsecum, puta ut fruatur Deo. — Sic igitur et in partibus universi unaquaeque creatura est propter suum proprium actum et perfectionem. *Secundo* autem creaturae ignobiliores sunt propter nobiliores; sicut creaturae quae sunt infra hominem sunt propter hominem. Ulterius autem singulae creaturae sunt propter perfectionem totius universi. Ulterius autem totum universum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum, sicut in finem; inquantum in eis per quamdam imitationem divina bonitas repraesentatur ad gloriam Dei, quamvis creaturae rationales speciali quodam modo supra hoc habeant finem Deum, quem attingere possunt sua operatione cognoscendo et amando. Et sic patet quod divina bonitas est finis omnium corporalium » (1).

127. **Finis corpori extrinsecus et finis intrinsecus.** — Non solum principium finalitatis seu tendentiae corporum in finem est intrinsecum et extrinsecum, sed etiam ipsemet *finis ;* hac tamen differentia quod non cuilibet corpori competit habere eodem modo finem intrinsecum et extrinsecum. Nam habere finem intrinsecum ut aliquid ab actione propria distinctum uti novum actionis effectum proprium et exclusivum est corporum organicorum idest viventium, ut suo loco magis explicabitur. Corpora enim inorganica vita carentia agunt per actionem non immanentem sed transeuntem, unde effectum qui habet rationem finis,

(1) P. I, qu. LXV, a. II.

ut dictum est (n. 122), non in se ipsis, sed in aliis corporibus producunt.

128. **Finis intrinsecus seu immanens in corporibus inorganicis aliquomodo et vere salvatur.** — Quamvis in corporibus inorganicis sive simplicibus sive compositis non salvetur finis uti *effectus novus* actionis ipsorum, ut contingit in viventibus, tamen ex hoc nullo modo salvari finem in eis ab eorum actione distinctum minime sequitur; nam in eis inclinatio ad propriam conservationem (lucta pro existentia a recentioribus vocatur) optime suum finem consequitur, qui finis est ipsa existentia praedictorum corporum conservata; oportet enim ut quodlibet corpus actioni contrariarum rerum resistat ut seipsum in esse conservet. Haec autem conservatio in corporibus tum simplicibus tum compositis constantissima est, sicut ipse ordo universi, quippe est ad praesentem ordinem rerum omnino necessaria. Unde ipsorum finis est conservatio propriae existentiae, et ordo universi; sed ordo universi est per *constantem* conservationem propriae existentiae. Quae constantia sicut et ordo universi casum excludit omnino, unde veram finalitatem importat.

129. **Triplex finalitatis ordo.** — Ex dictis sequitur triplicem finalitatis ordinem distingui debere in mundo.

1.° Ordo *finalitatis intrinsecae* inquantum scilicet unaquaelibet res in suum proprium finem tendit ipsi consonum atque proportionatum et quidem ex principio sibi intrinseco determinatum.

2.° Ordo finalitatis *extrinsecae immanentis,* quatenus res seu partes mundi ordinantur ad invicem bonum universi constituentes mutuis relationibus mediantibus.

3.° Ordo finalitatis *extrinsecae transcendentis,* quia cum materia mundana non a seipsa sit (n. 18) sed a principio quodam extrinseco a quo habet esse per creationem (n. 40) et a quo movetur et dirigitur, ipse universus seu ipsum bonum universi est medium ad finem transcendentem qui est ipse finis creationis (n. 47 - Cf. Mercier, *Ontologie,* nn. 236, 283 et Period. Div. Thom. a. 1903, pag. 385).

CAPUT XVII.

Sequitur de finalitate corporum in confirmationem eorum quae statuta sunt.

130. **Haec corporum seu rerum finalitas ex ipsis scientiis naturalibus confirmatur.** — Corporum finalitas ut exposita est ex iis quae per experientiam vulgarem habentur ineluctabiliter apparet atque evidentissime; verum finalitatis osores ut materialistae Haeckel, Büchner, et alii ex schola Darwin, Lamarck, etc., ad inventa scientiarum naturalium confugerunt, ut argumenta suae doctrinae faventia haurire possent; sed frusta; nam ex scientiis naturalibus rerum seu corporum finalitas et ordo mirifice confirmatur. Multa afferri possent in finalitatis probationem seu confirmationem, sed quaedam pauca brevitatis gratia seligemus, praecipue ex iis quibus finalitatis osores abutuntur.

131. **Conclusio I.** — *Finalitas sive ordo praemeditatus habetur ex astronomia.* — Nam astronomia docet corpora coelestia idest solem, stellas, planetas legibus constantibus regi atque regulari ita scilicet ut inter ea habeatur mutua, constans dependentia,

et summa harmonia, quae non solum efficaciam intellectus humani pene in infinitum superat, sed ipsum in admirationem sui rapit, propterea quod leges nedum motum omnem, sed etiam omnia alia phaenomena quae inter illa corpora et in illis corporibus contingunt exactissime et sapientissime regulantes atque dirigentes adinvenit. Unde intellectus qui illas leges novit sapiens merito dici potest, imo et sapientissimus si ad plurimas et multo magis si ad omnes agnoscendas pervenerit. Quid vero dicendum de illo intellectu qui talibus legibus illas res ordinasset? — Casui eas tribuere idem est ac negationi eas pares facere atque casum cum artificis opere sapientia maxima praediti confundere (1).

132. **Conclusio II.** — *Ex geologia idem ordo praemeditatus atque finalitas resultat.* — Ea quae supra enarravimus da origine telluris atque de formatione ejus corticis nihil aliud sunt quam praeparationes ordinatissimae atque sapientissimae ad ipsum hominem mundi finem atque coronam. Ut de aliis sileam id in epoca carbonica, glaciali atque praesenti manifestissime apparet: nam illae magnae atque longissimae sylvae aetatis carbonicae (n. 70) nonnisi ad atmosphaeram purificandam ab acidi carbonici abundantia atque excessu esse potuerunt, ut tellus ab animalibus sanguine calido praeditis habitari posset; rem comprobavit eventus, quippe dicta animalia fere statim apparuerunt. Item epoca glacialis ad magnam atque excessivam copiam vaporis aquei, tum ob magnum calorem praecedentium aetatum tum ob magnam marium extensionem atque emersionem montium con-

(1) Cf. Faye, *Sur l'origine du monde.* Paris, Gauthier-Villars, 1884. — C. Wolf, *Les hypothèses cosmogeniques.* Paris, Gauthier, etc., 1886.

densatum, ab aere seu atmosphaera expellandam ordinata fuit; sine qua expulsione hominis habitatio super terram impossibilis fuisset. — In epoca autem praesenti idest post hominis adventum, ad aequilibrium perventum est, quasi scilicet vires officium suum in terrae dispositione et praeparatione compleverint, atque finem eis praefixum consecutae fuerint in terrae superficie (1).

133. **Conclusio III.** — *Finalitas non solum intrinseca sed etiam extrinseca in mineralibus evidenter apparet.*

Prob. utraque pars simul: Mineralia non solum ad propriam conservationem ex sua intrinseca natura seu ex seipsis intrinsece ordinari, sed etiam ad ipsum bene esse imo et ad ipsum esse vegetalium et animalium observatio levissima atque superficialis intellectum non ostinatum convincit. Nam mineralia ex pluribus elementis constantia, in quae sunt resolubilia, et quorum gratia esse habent, constantissime proprium esse compositi conservant; et ipsa elementa simplicia jugiter in natura perseverant, unde licet in compositis nonnisi virtute aut latenter adsint,

(1) Cf. Tuccimei in opere pluries citato *Le cause efficienti e finali*, pag. 56-57, ubi inter alia etiam sequentia notatu digna habet: « Apparso l'uomo si direbbe che la crosta terrestre è entrata in una fase di equilibrio.... Non più sollevamenti di montagne, non più emersioni di rocce eruttive, non più comparsa di nuove specie di animali o di piante, gli agenti esterni ridotti ad operare con estrema lentezza; onde i naturalisti invano cercano nell'epoca presente la chiave per spiegare quegli enimmi che arrivano fino alla prima consolidazione della crosta terrestre (cf. supra n. 67). Le proprietà benefiche del terreno vegetale sono la conseguenza di quelle rocce che gli avvenimenti geologici prepararono di lunga mano, nelle quali non c'è un solo elemento chimico che sia contrario alla vegetazione. Anche le acque che vi circolano non trovano a sciogliervi un sol composto che sia dannoso all'uomo ».

tamen jugiter per dissolutionem compositi reapparent; ipsa composita ad conservandum esse alterius ordinantur ut aqua et aer ad esse animalis, vel plantae. Atqui quod in natura constantiam atque esse firmum importat non casui tribuendum est, sed virtuti seu inclinationi constanti naturae tendentis in aliquid quod independenter et antecedenter ad ipsum casum habet rationem termini et finis. Ergo finalitas est omnino admittenda.

Confirmatur : 1.° Accipiatur e. g. *anytrides carbonica, oxigenium, sal,* etc., haec omnia et similia certissime per aerem, aquam, terram elaborantur, non quidem casu quandoque, sed constanter ex quadam lege. Atqui sic elaborata ad utilitatem tum vegetalium tum animalium deserviunt. Ergo mineralia ad ipsam utilitatem animalium, plantarum constanter ex lege quadam non casu ordinantur.

2.° Si autem ipsaemet aeris vel atmosphaerae proprietates considerentur, nostra thesis evidentissime et ineluctabiliter apparet : nam omnes constanter et semper (non quandoque ex fortuita circunstantia) concurrunt, imo et necessariae non solum utiles sunt ad organismum et vitam animalis seu viventis servandum. — Et revera : 1.° aer est *diaphanus* ad lucem transmittendam omnino necessariam tum ad functiones plantarum tum ad animalium visum ; 2.° statum quemdam medium *constanter* servat inter *siccitatem et humiditatem* qui status omnino necessarius est ad vitam animalium ; nimis enim excessus alterutrius mortem animalium causaret (1) ; 3.° conveniens et determinata *pressio* aeris ad circulationem sanguinis omnino et constanter exigitur ; unde in altissimis montibus vasa capillaria rompuntur et

(1) Vide Tuccimei, l. c., p. 52.

sanguis extra exit; 4.° aeris mobilitas et motus mediantibus ventibus de loco in locum omnino necessaria sunt tum ad debitos vapores aqueos in superficie maris accipiendos, et effundendos in aquas resolutos ubi necesse fuerit ad vitam plantarum et animalium vegetativam enutriendam, sive per sitis extinctionem, sive per opportunam refrigerationem tempore aestivo; tum etiam in superficie terrae ad anydridem carbonicam ab animalibus, puta ab homine, longe a plantis distantibus, ipsis plantis, et ad oxigenium a plantis ipsis animalibus communicandum; cum ex hac mutua communicatione vita utrorumque pendeat (cf. infra n. 134); 5.° aeris compositio ex oxygenio et azoto, non solum utilis, sed omnino necessaria est respirationi animalium autotermium; imo potius quam verum compositum simplex mixtio utriusque elementi aer dicendus est: quod non parum utilitati piscium confert majori solubilitati oxygenii conjunctum quam azoti. — Plura addi possent tum de utilitate et necessitate oxygenii et azoti ad vitam, tum de utilitate et necessitate aquae seu de ordinatione et praeordinatione *costanti* non casuali et fortuita horum et aliorum corporum, sicut etiam de sapientissima proportionali, non fortuita et casuali distributione horum elementorum, si brevitati cui in praesenti opere studendum est non noceret (1).

---

(1) Praestat quaedam referre ex praelaudato Tuccimei circa utilitatem et necessitatem constantem oxygenii: « Quando si considerano nell'ossigeno le sue proprietà, la sua facilità con cui si combina alla maggior parte dei corpi semplici, la proporzione assai prevalente con cui entra a comporre la crosta terrestre e i corpi degli animali e delle piante, la parte principalissima che prende nell'intimo lavorio delle cellule vive, le grandiose attività che dispiega; vien voglia di attribuire a questo gas una missione veramente provvidenziale. Dai primi

134. **Conclusio IV.** — *Ex mutua coordinatione plantarum et animalium scientia experimentalis biologica finalitatem invicte testatur.*

Prob. 1.° Plantae et animalia ita ad invicem ordinem habent ut existentia ipsorum mutuam dependentiam habeat. Unde neque animalia sine plantis, neque plantae sine animalibus existere possunt. Et revera vita omnis ab invariabili atmosphaerae dependet compositione, haec autem haberi non potest nisi per hoc quod plantae sibi adsimilant anydridem carbonicam ab animalibus expulsam, atque sibi carbonium ad earum vitam necessarium retinentes oxygenium aeri restituunt in aere ad animalium respirationem atque vitam omnino requisitum.

2.° Et similiter harmonia inter plantas et animalia per ipsam alimentationem sommopere habetur atque in eis ipsa *finalitas* consequenter apparet; vita enim animalium sine plantis conservari non potest; animalia enim alimentationem omnem sive directe sive indirecte ab illis accipiunt; aut enim animalia sunt erbivora, aut carnivora, sed ipsa carnivora *erbivoris* aluntur. Unde inter animalia et vegetalia habetur

---

albori del nostro pianeta, quando l'affinità dell'ossigeno per il silicio e per i metalli alcalini e terrosi, dava origine a quelle rocce e a quei minerali che sono il fondamento stabile e perenne sul quale abitiamo; fino alla combustione del carbone, che permette all'uomo con le macchine di ridurre in suo potere tutte le energie della natura; fino alle scoperte ultime della terapeutica, che nell'ossigeno trova non solo un prolungatore della vita ai morenti, ma un prodigioso e insperato mezzo curativo, un eccitante meraviglioso e benefico; tutta la natura organica e minerale sembra cantare un inno a questo gas, il quale nelle mire della sapienza creatrice dovea essere il grande propulsore dell'universo, e senza del quale non sarebbe nè luce, nè calore, nè elettricità, nè movimento.... », (l. c., pag. 54).

materiae perpetua circulatio; imo non solum materiae sed ipsius energiae et vis; alimenta enim energiam quae in plantas a sole communi et universali fonte derivatur, in statu potentiali seu in potentia continent (1).

135. **Conclusio V.** — *Ex ipsa proportione animalium erbivorum et carnivorum apparet finalitas manifeste.* — Quippe nedum existentia sed ipsa numerica proportio utrorumque est necessaria tum ad regnum animale tum vegetale conservandum; nam deficientibus animalibus carnivoris, erbivora summopere augerentur ita scilicet ut vegetalia omnia devorarent; atque proinde etiam ipsa animalia perirent. Sicut etiam si carnivora nimis excederent, erbivora deficerent atque cum erbivoris ipsa carnivora, et ideo omnia animalia; quae etiam ad plantarum conservationem necessaria sunt uti diximus (n. 134).

136. **Conclusio VI.** — *Finalitas resultat evidentissime ex ipso animalium organismo et instinctu.*

Prob. 1.ª *pars :* 1.° Finalitas in ipso *organismo* animalium nonnisi a demente vel ab ostinato negari potest. In organismo enim animali infinita sunt quae mirabilissimam harmoniam, ordinem, dispositionem sapientissimam ostendunt invictissime. Quomodo enim casus omnes illas partes quae ab anatomicis, biologis etc. describuntur cum propriis functionibus ad unum eumdemque finem, idest ad vitam animalis servandam et propagandam, efficere potest, cum nulla sapientia humana aliquid simile perficere, imo neque excogitare posset si non jam formata illa omnia inveniret? Est ne *casus* sapientia imo summa sapientia praeditus? Est ne melius casu agere quam sapienter operari?

(1) Cf. Tuccimei, l. c.

2.° Ad vitam animalis conservandam praeter innumeras (1) partes elaboratissime confectas sapientissime dispositas, distributas ac ordinatas, multa alia requiruntur atque exiguntur ob exigentiam causarum exteriorum quae in organismum influunt; et mirum est quanta promptitudine, diligentia, praestentur. Potest ne casus ad omnia esse paratus atque promptus constantissime praestanda? vel potius dicenda sunt illa omnia ab aliqua intelligentia fuisse praevisa atque sapientissime parata? — Accipiamus quaedam exempla: Cum aer rarefit requiritur in sanguine animalis augmentum oxygenii et ad hoc major (haematiae) numerus globulorum rubrorum statim paratus invenitur qui faciliorem oxygenio aditum praebent ut in majore quantitate ingrediatur. Digestione peracta necesse est ut chylum in particulas divisum in sanguinem introducatur, et ad hoc leucocyti multiplicantur qui id sicut oportet perficiant. Imo leucocyti organismum a morbis infectivis mirifice defendunt luctam intrepidam contro microbos acriter substinentes (2). Si vellem prosequi infinitus

---

(1) Simplex gutta sanguinis milliones particularum continet in tres distinctas classes atque in proportione determinata idest circa 5 milliones haematiarum (*globulorum rubrorum*): circa 7 millia *leucocytorum* (idest globulorum alborum), 245 millia *haematoblastorum* (granulationes adipatae sunt — italice a Bizzozzero dicuntur placchette sanguigne). — Si harum partium numerica proportio ob diversa officia non servetur vita animalis fit impossibilis. (cf. LEFEBVRE, *Il sangue*, Louvain et Antonelli, 1904. — *Medicina Pastoralis*, ed. III, pag. 36).

(2) « È una vera lotta quella che i fisiologi si compiacciono a dipingere tra i leocociti e l'infezione microbica...; leocociti si precipitano a loro volta sul luogo dell'invasione, gli uni trasportati dalla corrente della circolazione sanguigna, gli altri insinuandosi per diapedesi. Tuttavia il movimento non è generale; i grossi mononucleari (i macrofagi) non si disturbano

essem circa organismum humanum. Legantur quaeso anatomici, biologi, physiologi etc. tam antiqui quam recentiores (1).

Prob. 2.ª *pars, idest finalitas apparet manifeste ex instinctu:* Instinctus enim animalium non potest explicari per acquisitionem fortuitam aut ex studio quasi ex repetitis actibus causatus atque per generationem successoribus transmissus; sed solummodo ab aliquo principio intendente et causante ipsum ad animalis vitam conservandam, defendendam atque propagandam ordinatus. Diversa enim animalia diverso instinctu praedita sunt; sicut animalia ejusdem speciei eodem seu simili; et quidem juxta indigentiam singulorum. Quaedem exempla afferantur ad rem dilucidandam; et 1.° *Scolia hortorum* non potuit ex fortuitis circumstantiis aut ex studio addiscere aculeum novies in centra nervea vermis cujusdam esse successive infigendum ut ejus caro non mortua sed paralysata idest sensibus et motu destituta possit

---

lasciando ai polinucleari (ai microfagi) le prime scaramucce. Quanto ai piccoli mononucleari (i linfociti), si accontentano di guardare la mischia aspettando che le proporzioni e l'età concedan loro l'onore di prender parte alla pugna! I polinucleari arrivano dunque sul posto in ranghi serrati e divorano i microbi, se questi non sono troppo numerosi la vittoria è rapida e certa, ma se al contrario sono molto numerosi la lotta diventa accanita.... I microbi si difendono facendo dei figliuoli con una rapidità fulminea. In circostanze favorevoli un sol microbo diviso e suddiviso nei suoi discendenti può in un sol giorno creare 4772×10^9 di microbi (4772 miliardi) ». *Scienza e Religione*, Desclée, 1906, N. 33, pag. 39. — ubi citatur Lefebvre.

(1) Inter alios innuisse sufficiat praeter iam citatos auctores Tuccimei, Antonelli, Micheletti; etiam: Beaunis, *Nouveaux éléments de physiologie humaine*, Paris, Baillière, 1896; Delage et Héronard, *Tractée de Zoologie concrète*, Paris, Reinwald, 1898; Foster, *Trattato di Fisiologia*, Milano, Vallardi, 1886.

uti cibus conveniens suis larvis deservire (1). Apis in cellula efformanda minimum materiale et minimum quam fieri possit laborem adhibet ea ratione qua tres planos ex quibus constat imum efficiat sub tali angulo qui nonnisi calculo mathesis transcendentis, determinari possit (2). Et similiter nonnisi eodem calculo superiori mathesis determinari potest linea curva secundum quam *Rinchites betullae* incidit foliam quae

---

(1) Card. MERCIER in sua *Psychologie*, tome I, pag. 286, ed. II, minutatim ex H. Fabre describit mirum modum procedendi hujus animalis hymenopteri in hac operatione. — Inter alia haec de his animalibus ait : « Leur larve ne s'accomode que de chair fraîche ; il faut donc mettre à sa portée un gibier qui reste vivant ; mais qui soit incapable de lui nuire. La solution du problème consiste à paralyser la victime sans la tuer.... Que fait-elle (l'ammophile — sic vacatur Gallice) ? Elle saisit le ver par la nutique ; elle commence par plonger son aiguillon dans l'articulation qui sépare le premier anneau de la tête sur la ligne médiane et ventrale en un point où la peau est plus fine. Le dard séjourne dans la blessure avec une certaine persistence. C'est là, paraît-il, le coup essentiel, qui doit dompter le ver grise et le rendre plus maniable.

« L'opérateur happe ensuite la chenille par la peau du dos, un peu plus bas que précédemment, et pique le second anneau, toujours à la face ventrale. On le voit alors graduellement sur le ver gris, saisir chaque fois le dos un peu plus bas et chaque foi plonger l'aiguillon dans l'anneau suivant. Ce recul de l'insecte et cet enlacement du dos par degrés un peu plus en arrière à chaque reprise, se font avec une précision methodique comme si le chasseur annait son gibier. A chaque recul, le dard pique l'anneau suivant. Ainsi sont blessés neuf anneaux ; en tout, neuf coups d'aiguillon sur neuf centres nerveux de la victime ; quatre segments, le quatre derniers, sont invariablement négligés.

« Ainsi s'achène l'operation paralysatrice sans que la victime soit reduit à l'état de cadavre. N'est-ce-pas d'une habilité chirurgicale consommée ».

(2) Vid. MERCIER, l. c., qui citat opus JANET cujus titul. : *Les causes finales*, p. 110.

aliter plicari non posset ut majori aut aequali cura et securitate ova ibi deposita conservari atque defendi possent (1). Si daretur hujusmodi instinctum in posterioribus individuis per haereditariam naturae transmissionem posse explicari; nunquam tamen utpote nimis evidenter absurdum concedi posset, priora individua a quibus posteriora descendunt eum aut casu aut studio acquisivisse. Dixi si daretur per simplicem haereditariam transmissionem posse explicari in posterioribus; nam simplex transmissio haereditaria non est explicatio sufficiens, imo est explicatio arbitraria quae nihil explicat et in absurdum impingit. Et revera nonne absurde per transmissionem haereditariam naturae explicarentur instinctus illi mirabiles qui inveniuntur in formicis et apibus operariis quae nullam sobolem descendentem habent? — Adde quod tam apes mares quam apes operariae ex ovo a mare faecundato nascuntur, et tamen instinctus marium proprii operariis non transmittuntur, sed operariae cum instinctibus propriis qui neque ab instinctibus marium neque ab instinctibus foeminae derivantur. Nonne absurde explicaretur timor capreae lybicae erga tigrim per eamdem transmissionem haereditariam? Prima enim caprea lybica (gazzella) nondum instinctu timoris praedita si tigri proxima facta fuit ab ea certe devorata est atque acquirendi et transmittendi istinctum suis posteris tempus non habuit; et similiter idem contingere debuit de quacumque alia post ipsam ut recte observat clar. Claparède (2). — Idem dicendum apparet evidentis-

(1) Vid. F. Salis Seewis, *Le azioni e gli istinti degli animali*, pag. 56, Prato, 1896.

(2) *L'associations des idées*, p. 392, Paris, Doin, 1903, citatio desumpta est a Mercier qui haec transcribit ex clariss. auctore: « La première gazzelle qui a vu un tigre a certainement été

sime de instinctibus plurimis aliorum animalium ut citatus auctor innuit in verbis relatis in nota.

137. **Solvuntur difficultates.** — *Obj* 1.ª Finalistae docent odorem florum ad hominis delectamen tanquam ad finem ordinari. Atqui hoc esse falsum scientiae experimentales demonstrarunt. Ergo finalitas non est admittenda,

Resp. 1.° Transeat *major* et *minor*, et nego *conseq.* Ex hac argumentatione ad summum sequitur finalistas errasse in determinando fine; at non sequitur flores in odore emittendo nullum finem habere.

Resp. 2.° *Dist. maj.:* Finalistae veteres *conc.* vel *transeat;* recentiores *subd.*: Docent... ad delectationem hominis tanquam ad finem secundarium et inadaequatum, *conc.;* exclusivum primarium et adaequatum *nego.* Et contradd. *min.,* nego *conseq.* — Concedimus scientias experimentales adinvenisse alium finem in emissione odoris florum; idest ad attrahenda insecta pronuba quae ulterius deserviunt tanquam media ad finem faecundationis. Sed hoc non excludit nostram thesim imo eam confirmat.

Obj 2.° Si res ordinarentur in finem semper finem suum consequerentur agentes per suam actionem naturalem. Atqui non semper finem suum res conse-

---

dévorée par lui, puisque par hypothèse elle ne possédait pas encore l'instinct qui devait la faire fuire à la vue de ce fauve — à moins que l'on ne fasse l'hypothèse assez hardie que ce n'est qu'une fois mordue ou griffée, qu'elle s'est sauvée pour transmettre à ses héritiers le fruit de son espérience. Mais ne voit on pas qu'alors il l'aurait fallu que cette gazzelle échappât un grand nombre de fois à un tigre qui avait déjà la griffe sur elle, pour que connexion créée soit assez forte pour s'imprimer dans les centres nerveux, hypothèse absurde! Le même pour le chien et le chat, et pour l'homme qui a peur des ténèbres pour avoir associé à l'obscurité des ténèbres l'idée du danger des ours qu'il y rencontrait! »

quuntur. Ergo per sùas ationes naturales non ordinantur in finem. — *Prob. min.* ex eo quod generans quandoque generat monstrum, apis dum hominem pungit non defensionem sui sed mortem incurrit. Multa alia similia afferri possent.

Resp. dist. maj. : Finem universalem qui consistit in bonum et harmoniam universi *conc. ;* finem proprium particularem *subd.* : Si non contingeret conflictus cum actione vel resistentia alterius rei praevalentis et tendentis in proprium finem *concedo :* si contingit conflictus *nego.* — Cum enim res omnes tendentes in finem propriis legibus regulentur et quandoque in conflictu esse inter se inveniantur disparibus viribus agentes, consequitur ut debiliores res cedant fortioribus et quaedam leges impediantur ab aliis praevalentibus ne effectum suum consequantur. Tamen hoc non impedit quominus res finem saltem extrinsecum principaliorem quo conferunt ad bonum et harmoniam universi imo etiam aliquem finem particularem licet non primarium consequantur. De coetero defectus sicut et casus supponit legem a qua agens deficit atque proinde praeordinationem ad finem ; defectus enim saepe vel semper ex attritu variorum agentium, qui lege regulantur contingunt. « Nè i mostri, ait praelaudatus Tuccimei, si possono addurre contro la finalità dello sviluppo embrionale, perchè dopo gli studi di Isidoro Geoffroy Saint-Hilaire (1) e specialmente dopo gli esperimenti di teratogenia del Dareste (2) sono oramai note alla

---

(1) *Histoire générale et particulière des anomalies de l' organisation,* ou traité de tératologie. Paris 1832-37.

(2) *Recherches sur la production artificielle des monstruosités.* Paris, 1877.

scienza le cause che determinano le anomalie dello sviluppo » l. c. pag. 43. Cf. Period Div. Thom. a. 1903 pag. 633.

Obj 3.° Plura sunt individua quae finem suum non consequuntur in speciebus rerum ; e. g. plusquam dimidia pars hominum ante 15.° annum vitae moritur; plura individua vix nata insectorum destruuntur. Atque proinde haec proprium finem non obtinent. Ergo ad finem non ordinantur.

Resp. Dist. antec. : Plura sunt quae finem seu bonum mundi universale non consequuntur ad ejus harmoniam non conferentia *nego ;* finem particularem *subdist. :* Nullum finem omnino etiam minus principali excluso *nego ;* nullum finem principaliorem neque intrinsecum neque extrinsecum, iterum *subd. :* Non consequuntur per accidens idest ob conflictum causarum superiorum quae exigunt consecutionem proprii finis mediante earum destructione *conc.,* per se *nego.* Et *nego conseq.* — Omnia individua ad bonum et harmoniam universi aliquomodo conferunt per reciprocam coordinationem. Homo vero finem suum non in hac vita sed in altera consequitur, ex altera ergo vita non ex praesenti numerus hominum et ipsa modalitas pensanda est; et tamen nisi haec in hac vita ita contingerent, numerus hominum nimis augeretur in terra, in qua proinde vita humana fieret impossibilis. — Individua vero aliorum animalium, puta insectorum finem extrinsecum optime consequuntur cum sint in utilitatem aliorum, imo aliquo modo finem intrinsecum licet non ita plene, tamen tantum quantum sufficit ad hoc ut aliquo modo ad bonum et harmoniam universi concurrant, mediantibus aliis quibus deserviunt, ut patet de iis quae corrumpuntur et quae sunt in generationem et nutrimentum aliorum.

St. Albert's College Library

Obj 4.° In organismo defectus reperiuntur sic e. g. Helmoholts in hominis oculo carentiam acromatismi debitae centralisationis etc. notavit. Atqui hujusmodi defectus rationem finalitatis excludunt. Ergo finalitas neganda est.

Resp.: Dist. maj.: Defectus inveniuntur in quibusdam organismis individualiter consideratis, hoc est per accidens *conc.;* per se seu universaliter in tota specie *nego.* Et contradd. *min. neg. conseq.* — In hac difficultate solvenda prae oculis habendum quod defectus habetur in re cum desunt ei quae requiruntur ad finem suum consequendum. Unde cum oculus e. g. in natura finem suum consequatur et optime, fatente ipso Helmoholts, ea quae recenset uti defectus, veri defectus non sunt. — Sed audiatur responsio Period. Div. Th.: l. c. pag. 627. « Helmoholts oculum humanum censoria virga notavit illum expendens uti cameram obscuram photographi. At responderi potest oculum non esse instrumentum ad usum chimicae vel physicae cultorum constructum, bene vero organum quod in capite hominis locari debet ut videat; ad quod opus ipse Helmholts oculum mire adaptari confitetur, et notat, post accurata experimenta in semetipso patrata, correctionem horum defectuum visionem minime juvare » (1).

---

(1) Circa finalitatem organismi, audiatur materialista physiologus Salvator Tommasi qui evidentia coactus haec scribit: « Licet saepe saepius cogitem, ac me evolutionistam profitear et recentioris naturalismi asseclam *deliberatum,* — (*en voluntas quae* evidentiae se imponit), — tamen cum organorum speciale *ingenium* (non dicit *casum*) considero eorumque complexam et mirabilem structuram contemplor, ac relationem teleologicam functionum scrutor, cum praesertim aurem inspicio tum subtiliter dispositam ad audiendum et oculum tam mire instructum ad visionem fateor me obstupescere, animo

Caput XVIII.

De mundi legibus.

(Zigliara, *Cosmol.* lib. III, cap. I; Lepidi, *Cosmol.*, lib. II, sect III; Liberatore, *Cosmol.* cap. IV, art. I; et alii scholastici auctores supra citati).

138. **Finis proprius et finis communis rerum.** — Unaquaeque res ut ex dictis (cap. praec.) patet, ad proprium finem ordinatur sive inclinatur, qui finis utpote proprius tali rei est particularis: sed mediante suo fine particulari res ordinatur ulterius, idest ad finem universalem, qui est finis communis omnium rerum. Finis particularis rei est ejus operatio, vel effectus, qui vi operationis illius rei producitur, vel objectum quod res per operationem adsequitur. Finis particularis unius rei a fine particulari alterius omnino distinguitur, sicut operatio et effectus unius rei ab operatione et effectu alterius rei.

139. **Dispositio rerum inter se se.** — Res non solum ad finem ordinantur, sed etiam inter se se quamdam habent dispositionem et ordinem. Unde quaedam perfectiora, quaedam autem imperfectiora sunt; et perfectiora et nobiliora imperfectiora et ignobiliora continent; e. g. vegetalia continent quidquid est in mineralibus et aliquid amplius, sensitiva continent quidquid continetur in vegetalibus etc. — Imperfectiora ad perfectiora sicut ad finem ordinan-

---

in mea sententia fluctuare et non semel sed centies exclamare debuisse: numquid possibile est hunc oculum, hanc aurem efformari potuisse per legem simplicis evolutionis mechanicae ». Cf. Per. Div. Th. l. c. ubi plures diff. solutas invenies.

tur, sicut ignobiliora ad nobiliora, — Insuper res inter se ordinantur seu disponuntur diversimode secundum spatium et secundum locum.

140. **Triplex ordo.** — Triplex ordo ex dictis potest considerari in rebus: 1.° ordo quo res ad propriam operationem et ad peculiarem suum finem ordinantur, qui ordo ex ipsa natura essentialiter emanat; 2.° consideratur ordo secundum quem res ad invicem referuntur, vel ratione perfectionis, vel ratione actionis et passionis, sicut activa et passiva, vel ratione unionis; 3.° consideratur ordo in rebus respectu finis universalis et communis. Primus ordo multiplex est et varius juxta multiplicitatem et varietatem rerum. Secundus ordo etiam multiplex est, quia multa sunt quae ut nobiliora et perfectiora considerantur, et similiter ignobiliora et imperfectiora etc. Tertius ordo nonnisi unus considerari potest; nam finis universalis et communis omnium nonnisi unus est: ordo enim seu relatio non multiplicatur nisi multiplicetur terminus.

141. **Quid est lex.** — *Lex* definiri potest: *Ordo constans et invariatus secundum quem naturae vires uniformiter et constanter explicantur per productionem effectuum viribus ipsis naturae proportionem habentium.* — Constans autem et uniformis explicatio virium naturae secundum determinatos effectus dicitur naturae *cursus.*

142. **Corollarium.** — Ex hac definitione sequitur 1.° legem naturae, sicut et ordinem, aliam esse universalem; et est ea secundum quam omnia in finem universalem et communem tendunt; haec lex non potest esse nisi una ex parte finis, sicut et ordo; sequitur 2.° legem naturae aliam esse particularem, ut dictum est de ordine: et sic multae leges distinguuntur, sicut et multi ordines secundum diversos effectus.

143. **Lex ab intrinseco et lex ab extrinseco.** — Ordo in rebus ad finem potest esse ab intrinseco, sicut ordo causalitatis ad effectum est ab intrinseco; homo e. g. ab intrinseco ordinatur ad ratiocinandum. In corpore, quod movetur de uno loco ad alium est ordo ad locum ad quem tendit, sed ab extrinseco (n. 96): et ideo etiam lex potest esse ab intrinseco rei et a principio extrinseco; e. g. haec lex: *vivum constanter ex vivo derivatur,* est ab intrinseco: quod *terra qualibet die circa solem circulum compleat* est ab extrinseco (n. prox. cit.).

144. **Aliud est lex, aliud est explicatio legis.** — Nam lex est ipse ordo ad finem: ordo autem ad finem habetur in rebus etiam sine consecutione finis; in homine e. g. est ordo ad ratiocinandum, etiamsi actu homo non ratiocinetur; et in arbore est ordo ad fructificandum etiam si non fructificet; explicatio legis est ipsa consecutio finis, qui est vel ipsa operatio, vel effectus operationis.

145. **Quaestiones.** — Quaeritur ergo: 1.° an in natura leges existant; 2.° quaeritur an leges naturae sint necessariae vel contingentes.

146. **Conclusio I.** — *In natura leges existunt.* — Haec conclusio potius declaratione quam probatione indiget.

Declaratur: Lex nihil est aliud, quam ordo constans et invariatus secundum quem naturae vires uniformiter et constanter explicantur per operationem vel per productionem effectuum hujusmodi viribus proportionem habentium, non autem vires excedentium. Atqui hujusmodi ordo existit in naturis universi. Ergo in universo existunt leges. — *Major* est ipsa definitio legis. *Minor* probatur ex facto, examinando singula; arbor e. g. uniformiter et constanter producit fructus suae naturae proportionatos, animal produ-

cit animal, homo hominem, vivum est ex vivo etc. et ideo in his omnibus est ordo constans ad tales effectus.

147. **Conclusio II.** — *Lex quae est ab extrinseco est omnino contingens.*

Prob.: Illud in aliqua re est contingens, sine quo ipsa res et omnia, quae ex ipsa re consequuntur tanquam proprietates illius, concipi a mente nostra possunt. Atqui res quaelibet et omnia, quae ex ipsa re consequuntur, ut ejus proprietates, sine lege, quae ei convenit a principio extrinseco omnino, optime concipi possunt. Ergo lex quae est a principio extrinseco, est in re omnino contingens. — *Minor* declaratur exemplo telluris: patet enim optime tellurem concipi posse, quin concipiatur lex qua movetur circa solem.

148. **Conclusio III.** — *Omnes leges naturae simpliciter loquendo sive ab intrinseco sive ab extrinseco sunt contingentes.*

Prob.: Leges naturae, sive ab intrinseco sive ab extrinseco sint, fundantur in re contingenti. Atqui quidquid fundatur in re contingenti simpliciter et absolute loquendo est contingens. Ergo leges naturae sive ab intrinseco sive ab extrinseco simpliciter loquendo sunt contingentes. — *Prob. maj.:* Leges naturae fundantur in rebus naturalibus finitis et creatis, cum sint in eis sicut in subjecto, a quo dependent. Sed res naturales, utpote finitae et creatae, sunt contingentes. Ergo leges naturae fundantur in re contingenti.

149. **Conclusio IV.** — *Leges naturales ab intrinseco provenientes in re aliqua sunt necessariae ex suppositione, si considerentur in se.*

Prob.: Lex naturalis ab intrinseco nihil est aliud quam ordo ab intrinseco constans et invariatus secundum quem naturae vires uniformiter et constan-

ter explicantur etc. (n. 141). Atqui hujusmodi ordo, si consideretur in se, est necessarius ex suppositione, quia supposita re, sequitur necessario ex ejus natura ordo ei intrinsecus ad finem. Ergo lex naturalis ab intrinseco in aliqua re proveniens est necessaria ex suppositione.

150. **Conclusio V.** — *Si lex consideretur in actuali sua explicatione, est omnino contingens.*

Prob.: Lex naturae quoad suam explicationem potest multis de causis impediri. Atqui quod est hujusmodi est omnino contingens. Ergo lex naturae quoad explicationem actualem est omnino contingens. — *Prob. maj.* inducendo per singula: potest impediri fructificatio arboris, generatio animalis etc. a multis causis; insuper explicatio cujuscumque legis potest saltem impediri ab ea virtute, a qua est lex et ipsa natura.

Caput XIX.

De miraculis.

(S. Thom., p. I, q. 105 art. VI, VII, *De Potentia*, q. VI; Zigliara, l. c., cap. II; Liberatore, l. c., art. II, III, et IV; Rosselli, *Summ. Philos.*, pars. II, q. Ult.; Gatti, *Institut. Apolog.*, vol., II, tract. III, De Deo Revelante c. III, art. II; et nostr. Introduct. ad *Sacram Theolog.*, pars. I, c. XIX).

151. **Quaestio.** — Quaeritur in praesenti capite an Deus possit derogare ordini seu legibus, quas probavimus esse in natura creata, agendo aliquid supra leges, vel praeter, vel contra leges.

152. **Punctum quaestionis determinatur.** — Natura non potest agere nisi ea, ad quae vi legum sibi insitarum ordinatur; potest utique deficere ab effectu, ad quem per hujusmodi leges ordinatur, sed effe-

ctum supra, vel praeter, vel contra omnes leges producere nequit; imo ita determinata est natura in productione effectuum, ut nonnisi vi legis sibi insitae, vel saltem per applicationem rerum in quibus lex aliqua existit, effectum aliquem producere possit; arbor e. g. nonnisi vi legis a qua regulatur et cui subjicitur ipsa arbor, et quae est in arbore, produci potest; idem dicendum est de animali etc. Igitur quaerimus in praesenti an Deus possit operari in re aliquid supra, aut praeter aut contra legem, quae est in re illa, aut aliquid quod sit supra omnes leges naturae creatae vel etiam creabilis.

153. **Conclusio.** — *Deus potest agere praeter, contra, et supra leges alicujus et etiam totius naturae creatae aut etiam creabilis.*

Prob. 1.ª *pars:* Deus potest per suam virtutem facere ut effectus in natura producatur non solum eo modo quo ex lege naturae fieri consuevit, sed alio modo superiori secundum quem non potest ullo modo natura. Atqui hoc modo producere effectum in natura est agere praeter legem, seu praeter ordinem naturae. Ergo Deus potest agere praeter ordinem naturae. — *Prob. major:* Sanatio a febri vel etiam ab alio morbo ex lege naturae non statim fit, imo saepe non fit sine applicatione remedii. Sed Deus per suam infinitam virtutem potest statim sanare a febri, vel a quocumque morbo etiam sine applicatione medicinae: quidquid enim virtutis est in natura modo excellentiori est in Deo, qui proinde non indiget virtute medicinae, neque tempore ad causandam sanitatem. Insuper Deus potest rem totam etiam ex nihilo statim producere: ergo a fortiori potest rem aliquam statim restaurare auferendo defectus ejus.

Prob. 2.ª *pars:* Agere contra naturam nihil est aliud quam in aliqua re producere effectum, qui op-

ponitur legi existenti in illa re. Atqui Deus potest in rebus producere effectum, qui opponitur legi ipsarum. Ergo Deus potest agere contra legem naturae. — *Prob. minor:* 1.° Deus per suam infinitam virtutem potest producere quemcumque effectum et conservare in esse: insuper potest a rebus omnes dispositiones oppositas effectui ab ipso Deo producendo dissipare et expellere, quod si fiat sequitur existentia effectus contrarii illi legi. 2.° Per vim naturae possunt paullatim et successive auferri dispositiones oppositae alicui effectui et postea potest forma contraria induci, sicut ab igne possunt auferri paullatim dispositiones contrariae formae ignis, quae sunt e. g. in ligno viridi, et postea forma ignis induci, et quanto fortior est virtus, citius dispositiones auferuntur et citius inducitur forma opposita. Ergo virtus Dei, quae est infinita, potest statim auferre omnes contrarias dispositiones et inducere formam. Insuper dispositiones ipsae quae sunt contrariae effectui vel formae producendae, cum sint virtutis finitae, resistere non possunt virtuti infinitae Dei.

Prob. 3.ª *pars:* Virtus divina utpote infinita continet in se eminenti ratione omnes virtutes creaturarum, imo eas in infinitum excedit. Ergo Deus potest sine causis secundis per propriam virtutem non solum producere ea, quae a causis secundis per leges ab ipso Deo impressas producuntur, sed etiam multa alia, et etiam infinita, quae sint supra vires totius naturae creatae et supra omnes leges.

Prob. conclusio quoad triplicem partem unico argumento: Leges omnes naturae sicut et ipsa natura a Deo sunt et a Deo omnino dependent. Atqui Deus potest agere praeter et contra et supra id quod omnino ab ipso dependet. Ergo Deus potest agere et praeter et contra et supra leges naturae.

154. **Corollaria.** — I. Potest ergo Deus ex propria virtute sine causis secundis sanare omnes morbos etiam statim; potest conferre vitam cuicumque materiae ipsam disponendo et in ea producendo animam, et potest operari multa quae ab intellectu nostro utpote virtutis finitae, capi non possunt.

II. Ex quibus patet Deum posse facere miracula: nam miraculi nomine intelligitur *opus quod fit divinitus praeter ordinem seu legem communiter servatam in rebus.* Miraculum enim dicitur opus quod est admiratione plenum, quod scilicet, cum superet vires totius naturae creatae, omnes admirantur, cum ejus causa ignoretur.

III. Ex quibus patet etiam Deum operando miracula neque leges naturae destruere, neque ordinem universi, neque agere contra bonum totius universi, sed praeter vel contra ordinem particularem. Neque mutatur divina voluntas per hoc quod Deus miracula operatur (cf. n. 55 ad 2.^{m} obj.), neque destruitur ordo essentialis quem res habent ad effectum.

155. **Divisio miraculorum.** — Ex dictis patet quaedam miracula recte dici *supra* naturam, alia *contra* naturam, alia *praeter* naturam. *Supra* naturam, vel *primi ordinis* vel *quoad substantiam facti* ea dicuntur, in quae natura nullo modo potest: hujusmodi sunt, e. g. quod duo corpora sint simul in eodem loco, quod sol retrocedat etc. *Contra* naturam vel *secundi ordinis* vel *quoad subjectum* ea dicuntur opera, quae quoad substantiam a natura esse possunt, sed non in tali subjecto ob contrarias dispositiones in ipso existentes, ut e. g. conferre vitam materiae cadaveris, quod virgo pariat etc. *Praeter* naturam, vel *tertii ordinis* vel *quoad modum* dicuntur ea opera, quae possunt esse vel fieri quoad substantiam per vires naturae, et etiam in tali subjecto, sed non

quoad *modum ;* e. g. natura potest sanitatem tribuere etiam infirmo, qui fortasse sanatur per miraculum, sed non potest sine applicatione medicinae, vel saltem, etiam per applicationem medicinae, non statim.

156. **Quaestiones circa miracula.** — Circa miracula variae moventur quaestiones: 1.° quaeritur an a *solo* Deo fieri possint; 2.° an cum certitudine a nobis cognosci possit aliquod miraculum esse patratum; 3.° quaenam sint criteria quibus discernuntur opera miraculosa ab operibus, quae per vires naturales producuntur; 4.° an miraculum sit testimonium irrefragrabile veritatis in cujus confirmationem factum est.

157. **Quid sentiant rationalistae de miraculis.** — Rationalistae miraculis proprie dictis quaedam opera mira, quae ope magnetismi producuntur, opponunt, dicentes: 1.° miracula, etiamsi concedatur eorum possibilitas, quam tamen ipsi negant, esse inutilia, quia non potest cognosci cum certitudine ea esse patrata; 2.° quia non possunt discerni ab operibus miris quae fiunt per magnetismum. Contra quas adsertiones ponuntur a nobis quatuor conclusiones.

158. **Conclusio I.** — *Miracula a solo Deo sicut a causa principali fieri possunt.*

Prob. : Miraculum est id quod fit in natura praeter, vel contra, vel supra ordinem communiter servatum in rebus. Atqui solus Deus potest facere id quod est praeter, vel contra, vel supra ordinem communiter servatum in rebus. Ergo solus Deus potest patrare miraculum. — *Prob. minor :* Creatura non potest agere nisi id quod est secundum ordinem in ipsa a divina sapientia statutum, quia non potest agere nisi secundum propriam virtutem, quae importat ordinem ad determinatum et peculiarem effectum; potest utique

creatura deficere a propria actione et ab effectu; sed *deficere* miraculum dici non potest.

159. **Conclusio II.** — *Certissime constare potest aliquod miraculum esse patratum.*

Prob.: Ea facta quae oculis propriis videri possunt non solum ab uno sed a pluribus, et facta quae ut certissima referuntur a fide dignis, omnimoda certitudine constare possunt. Sed miracula quam plurima sunt sensibilia facta quae oculis non solum ab uno, sed a pluribus videri possunt, et possunt referri ut certissima a fide dignis, qui ea viderunt. Ergo constare certissime potest ex proprio visu et relatione aliorum qui viderunt aliquod miraculum esse patratum (I, n. 329).

160. **Conclusio III.** — 1.° *Criterium quo discernuntur miracula primi ordinis est ipsum opus quod fit quoad substantiam facti;* 2.° *criterium, quo discernuntur miracula secundi ordinis, est ipsum subjectum, in quo fit opus miraculosum.* 3.° *Criterium, quo discernuntur miracula tertii ordinis, est ipse modus quo fit opus miraculosum.* — Haec conclusio ut per se nota relinquitur ex dictis.

161. **Corollarium.** — Miracula *primi* ordinis facillime discernuntur ab operibus quae efficiuntur a causis secundis, e. g. quod sol retrocedat, quod aquae maris in duas partes dividantur ad instar muri; idem dicendum est de miraculis secundi ordinis, e. g. quod *mortuus* resurgat; difficultas quandoque esse potest in discernendis miraculis tertii ordinis; nam hujusmodi effectus absolute loquendo in tali subjecto haberi potest etiam a viribus naturae; quamvis non possit haberi per vires naturae eo modo quo fit a Deo. Igitur ad modum attendendum est, quo tale opus fuit productum; e. g. si aegrotus sanus factus dicitur miraculose, attendendum est in primis an

fuerint remedia opportuna applicata; 2.° an sanatio contigerit paullatim, vel statim; attendenda est etiam qualitas morbi, et quomodo ordinarie sanentur qui simili morbo afficiantur; 3.° Attendendum est ad personam quae dicitur fuisse miraculum virtute divina operata; nam si est persona honesta, pia, humilis, item si finis ab ipsa intentus fuit Dei gloria, probabilius est tale opus esse virtute divina effectum, et ideo esse miraculosum. Sed oppositum omnino dicendum est, si oppositis qualitatibus sit praedita; tunc enim opus esse potius diabolicum est judicandum.

162. **Conclusio IV.** — *Miraculum est testimonium certissimum et irrefragabile veritatis in cujus confirmationem fit.*

Prob.: Miraculum est opus proprium Dei, et ideo est veluti sigillum divinitatis, quod falsari nullo modo potest. Atqui sigillum quod nullo modo falsari potest est signum certissimum et irrefragrabile eorum in quorum confirmationem ponitur. Ergo si miraculum fiat in confirmationem veritatis, est testimonium certissimum et irrefragrabile.

Confirmatur: Nulla persona honesta et sancta permittere potest, multo minus concurrere potest uti principale agens, ad hoc, ut quis utatur nomine ejus et ejus sigillo proprio ad confirmandum vel testificandum falsum tanquam verum. Atqui Deus est essentialis veritas et sanctitas. Ergo repugnat omnino quod miraculum fiat ad confirmandum vel attestandum tanquam verum id quod falsum est.

163. **Solvuntur difficultates contra possibilitatem miraculi.** — *Obi.* 1.ª Miraculum est opus contra ordinem naturae seu universi. Sed Deus non potest agere contra ordinem naturae. Ergo nec miraculum facere.

Resp.: Dist. maj: Miraculum est contra ordinem (vel bonum) naturae seu universi, universalem *nego;*

particularem *conc.*; et *contradd. min.* nego *conseq.* — *Licet* Deus non possit facere contra ordinem universalem seu universalissimum qui consideratur in rebus in relatione ad ipsum Deum, potest tamen facere contra ordinem particularem vel universalem qui consideratur inter ipsas res. (Cf. S. Th. De pot. qu. VI a. I, ad 1.^{m} et ad 7.^{m}).

Obj 2.^{a} Natura est causa ordinationis in omnibus. Sed Deus nou potest facere nisi aliquid ordinatum. Ergo non potest agere contra naturam.

Resp.: Dist. maj: In omnibus simpliciter *nego*, in omnibus naturalibus *subd.:* dependenter a Deo *conc.*, independenter *nego.* — Natura in suis legibus per quas ordinate agit dependet a Deo, respectu cujus leges sunt contingentes licet sint necessariae respectu naturae. (Cf. I, 571), et S. Th. l. c. ad 10.^{m}

Obj 3.^{a} Causae essentialem ordinem habent ad suum effectum. Atqui Deus non potest auferre a rebus id quod est eis essentiale. Ergo Deus non potest agere contra ordinem rerum.

Resp.: Nego suppositum *minoris;* nam « licet Deus faciat aliquem èffectum praeter actionem causae naturalis, non tamen tollit ordinem causae ad suum effectum; unde et in igne fornacis remanebat ordo ad comburendum, licet non combureret tres pueros in camino » S. Th. l. c. ad 20.^{m}.

Obj 4.^{a} Minimum inconveniens est Deo impossibile. Atqui incoveniens est ut cursus naturae mutetur. Ergo.

Resp.: Dist. maj: Minimum inconveniens quod sit tale respectu sapientiae divinae ita scilicet ut sit contra ipsam *conc.*, quod sit tale respectu alicujus agentis vel entis creati *nego:* Et contradd. *min. nego conseq.* — Multa fiunt etiam in natura quae sunt inconvenentia respectu agentis vel effectus

particularis. Insuper ad *min.* dico « quod cursum naturae servari est conveniens secundum quod est a divina providentia ordinatum : unde si ordo divinae providentiae habet quod aliquid secus agatur non est inconveniens » S. Thom. l. c.

Obj 5.° Si Deus operaretur miracula mutaretur in suis decretis quibus decrevit leges naturae servari. Atqui Deus est immutabilis. Ergo etc.

Resp. : Nego maj : Nam Deus decernendo leges naturae servatum iri, potuit simul decernere exceptiones faciendas operando praeter illas. Pro aliis diff. solvendis vide S. Thom. l. c. et nostram *introduct.* P. I, c. XX.

Caput XX.

De corporum natura.

(Consuli possunt auctores supra citati).

164. **Ratio capitis.** — Considerato corpore quoad suum motum, operationem et finalitatem oportet ipsum considerare quoad suam essentiam, quippe rei essentia vel natura ex ejus operatione et fine cognosci atque determinari aliqualiter potest. Potest autem essentia corporis considerari 1.° quasi confuse et indistincte et solummodo prout dicit ordinem ad ea quae, ut ita dicam, de ipso corpore extrinsecus patent ; 2.° distincte et intime quoad ea ex quibus natura corporis constituitur tanquam ex principiis essentialibus. Utroque autem modo a nobis consideranda est, sed primo modo in presenti capite ; secundo modo in sequentibus, quod examinando varia systemata idest atomismum, dinamismum, hylemorphismum perficiemus.

165. **Corpus et materia.** — Communiter loquendo corpus et materia promiscue usurpantur; unde et per corpus materia et per materiam corpus intelligitur. Scholastici tamen nomine materiae praecise acceptae partem intimam corporis constitutivam intelligunt; sed quando talis sensus ex contextu non intelligitur eam dicunt materiam *primam*, de qua infra; et ipsum corpus vocant materiam *secundam*.

166. **Duplex corporis acceptio atque definitio.** — Cartesius putavit corpus in trina dimensione seu in quantitate et extensione essentialiter esse constitutum; verum hanc sententiam in Ontologia (n. 687) explosimus. Ne autem confusio subrepat inter scientiarum praecipue mathesis cultores et philosophos notandum est dupliciter corpus accipi posse idest et pro ipsa substantia *corporea*, quae in varias species distinguitur et quae licet non sit ipsa extensio, tamen extensionem importat: sic autem acceptum corpus definiri potest: *Substantia trina dimensione praedita;* vel etiam: *Substantia extensa vi patiendi et agendi praedita.* Si autem accipiatur pro ipsa trina dimensione, tunc est ipsa quantitas corporis abstracte considerata prout trinam dimensionem importat. Et hoc est corpus *mathematicum* non confundendum cum corpore *physico*, de cujus natura in praesenti agimus.

167. **Massa et volumen.** — Corpus physicum de quo agimus ab ipsa massa et volumine omnino distinguitur; nam massa est ipsa materiae quantitas trinam dimensionem importans. Potest autem considerari dupliciter 1.° in se seu prout est proprietas substantiae corporeae et ipsam extendit in partes; et sic consideratur a philosopho; 2.° potest considerari sensu omnino relativo in ordine scilicet ad motum et ad vim quae in ipsa massa motum cau-

sat; hoc modo consideratur praecipue a physico vel mathematico; ejus definitio non exprimit naturam intrinsecam massae, sed ipsam connotat indicando ejus relationem et proportionem ad vim et ad motum. Unde non habetur nisi mensura ipsius massae, quae mensuratur seu valutatur per motum et vim motricem, hac lege: Massae *magnitudo*, supposita constantia vis motricis ex minori vel majori velocitate motus pensatur. Unde massa (M) proportionem habet ad vim motricem (V) et motus velocitatem (m). Quo major est massa minor est velocitas motus et viceversa quo major est velocitas minor est massa. Unde massa mensuratur ex divisione vis motricis per velocitatem motus; et habetur $M = \frac{V}{m}$ — Ratio est quia vis motrix in tota massa diffunditur atque proinde crescente massa majorem resistentiam passivam in ipsa materia invenit, quippe ad plures partes communicatur. — Volumen autem materiae est ipsum spatium vel locus a massa materiae occupatus, et proinde volumen, augetur secundum quod massa majus aut minus spatium vel locum occupat, et hoc contingit juxta minorem vel majorem massae densitatem. Unde materiae massa semper est eadem in natura (1) neque augmentum vel diminutionem pati potest. — Haec dicta sint ne confundatur, ut a quibusdam fit, ipsa substantia corporea cum ejus massa aut volumine aut cum ipsis numeris quibus massa aut volumen mensuratur (cf. I, 454, 455 et 458).

168. **Conclusio.** — *Natura seu essentia corporea non est substantialiter una et eadem in omnibus corporibus, sed specie diversa in diversis.*

(1) Helmoltz, *Mémoire sur la conservation de la force*, pag. 50. Paris, Masson, 1869.

Prob. 1.° *conclusio ex sensu communi rei evidentiae innixo :* Supra (n. 118) dictum est corpora distingui in simplicia et composita. Utraque autem non solum specie sed etiam genere differre communiter retinentur. Imo haec differentia non solum inter simplicia et composita esse notatur, sed etiam inter ipsa corpora simplicia, et multo magis inter composita quae ex diversis corporibus simplicibus constant. Accipiamus quaedam exempla ex corporibus simplicibus. Imprimis si comparemus metalloida cum metallicis apparebit evidentissime diversitas naturae e. g. *Oxygenium, hydrogenium, azotum, carbonium, clorum, jodium, phosphorum* — haec omnia certe uti specie differentia a metallicis, puta ab *auro, platino, argento, plumbo, ferro, mercurio, bismuto, potassio* communiter habentur. Imo ipsa metalloida inter se se, sicut et metalla specie differre dicuntur. — Etiam magis apparet differentia naturae in compositis puta inter aerem et aquam ; praecipue vero inter viventia et non viventia. — Sed nostra conclusio directe probanda et confirmanda est, et quidem quoad corpora simplicia, et composita.

Prob. itaque 2.° *quoad corpora simplicia :* Accipiantur duo corpora simplicia puta *Oxigenium* et *Azotum :* aut eorum materia est eadem substantialiter, idest specifice, hoc est omogenea, vel diversa, hoc est eterogenea diversae scilicet speciei substantialiter ; si secundum membrum concedatur habetur intentus ; si primum adseratur tunc sequitur distinctivum illorum corporum esse per accidentia superaddita non ex ipsa exigentia substantiae intrinseca et essentiali — nam haec supponitur eadem omnino — sed ex causa extrinseca idest ex diversis accidentalibus circumstantiis ; ita scilicet ut materia seu natura illorum elementorum quantum est de se sit

unde alias et alias proprietates constantissime habent. Atqui corpora seu ea quae constant ex corporibus speciei diversis non possunt esse ejusdem speciei. Ergo corpora composita non sunt ejusdem speciei sed diversae.

2.° Corpora quamplurima habent proprietates diversas atque resolvuntur in elementa diversa. Atqui corpora hujusmodi non possunt esse ejusdem speciei sed diversae. Ergo quamplurima corpora sunt diversae speciei. *Prob. minor:* 1.° quia diversae proprietates constanter manifestatae sunt signum diversi principii hoc est diversae substantiae, 2.° quia diversitas elementorum ex quibus res seu corpus constat diversitatem rei seu corporis constituit.

Prob. utraque pars simul, idest quoad simplicia corpora et composita: Supra ostensum est corpora finalitate intrinseca gaudere et quidem diversa juxta diversitatem ipsorum corporum, qua mediante ad diversos fines etiam extrinsecos ordinantur. Atqui diversa finalitas intrinseca ex hoc ipso quod est intrinseca non ex diversis circumstantiis accidentalibus exterioribus repetenda est, sed ex diversa intrinseca exigentia ipsius substantiae corporeae, quae proinde in se diversitatem importat. Ergo substantiae corporeae non omnes habent eandem, sed juxta diversam finalitatem diversam naturam habent.

169. **Criterium distinctionis specificae corporum sunt proprietates.** — Cum substantiae corporeae secundum se sint nobis ignotae ipsarum proprietates tanquam criterium deserviunt ad corporum distinctam specificam naturam cognoscendam. Quod criterium, licet caute, tamen ad omnia corpora sive simplicia sive composita applicandum est. Eadem enim pro omnibus est ratio. Proprietates

autem uti indicia distinctionis specificae praecipue ex earum operationibus atque finalitate pensandae sunt quippe corpora per suas proprietates et actiones tendunt in finem.

170. **Resolutio chymica corporum in atomos et moleculas.** — Quamvis corpora quaedam dicantur simplicia a physicis et chymicis, haec tamen simplicitas utpote relativa (cf. 118) non excludit compositionem integralem seu quantitativam; proinde omnia corpora, simplicibus comprehensis, in partes dissolvi possunt. Unde chymia resolvit corpora simplicia in corpuscula hoc est in partes minimas quae *atomi* dicuntur. De facto tamen haec usque ad minima separatio, aut difficillime aut nullo modo habetur, cum post actionem resolutivam remaneant plures atomi, puta tres vel quatuor arctissime conjunctae, quae atomi simul sumptae corporis simplicis *moleculam chymicam* constituunt. Plures moleculae chymicae simul conjunctae moleculam physicam efformant; haec enim aliquid magis complexum importat; non tamen corpus sensibile adhuc habetur; ad hoc enim plures requiruntur. — In corpore composito minima pars quae possit existere separata ab aliis *molecula chymica compositi* appellatur; quae tamen a chymicis consideratur ut plures atomos et quidem diversae speciei complectens corporum simplicium ex quibus ipsum compositum resultat. Ex pluribus moleculis chymicis compositi molecula physica habetur et ex pluribus physicis corpus compositum. — Haec de atomismo uti dicunt scientifico experimentali utpote factis experientiae innixo communiter acceptantur et nullam patiuntur difficultatem. Verum non ita est de ejus interpretatione philosophica quando quaeruntur *prima* principia corporum constitutiva.

Caput XXI.

De primis principiis corporum in generali.

(Consuli possunt supra citati auctores).

171. **Quid in praesenti intelligitur nomine principii.** — Principium multipliciter sumitur (cf. I, 298 et 732); sed nunc sumitur pro eo ex quo aliquid fit atque constituitur in suo esse substantiali. Unde principia corporum de quibus loquimur sunt realitates ex quibus corpora fiunt et actu constituuntur dum sunt, veluti ex partibus essentialibus quibus ipsa corpora habent esse simpliciter. Unde sunt veluti basis, fundamentum et ratio seu causa tum materialis, tum formalis ipsorum corporum.

172. **Quaestio.** — Nunc ergo quaestio valde gravis atque subdifficilis movetur a philosophis de primis principiis naturam corporum intrinsece constituentibus ex quorum scilicet unione ipsa natura corporea resultat. Quaeritur autem quid sint; at in resolvenda hac quaestione magnus habetur dissensus inter sapientes.

173. **Punctum quaestionis.** — Propter hujusmodi dissensum oportet determinare punctum quaestionis atque in eo insistere summopere, quippe ad extranea divagatio confusionem in mente gignit atque impedit quominus attingatur vera quaestionis solutio. Itaque cum quaerimus de principiis corporum constitutivis non quorumdam corporum solum puta animalium, vel mineralium e. g. aquae etc. quaerimus, sed omnium corporum absolute. Haec autem principia, quae quaerimus, non a priori seu non arbitrarie, hoc enim dedecet sapientem praecipue philosophum, statuenda sunt, sed ex diligenti et

sapienti inquisitione; et talia esse debent ut cum iis quae corporibus conveniunt evidentissime cohaereant, atque horum sint ultimae rationes, causae, basis et fundamentum.

174. **Corollaria.** — I. Unde sequitur evidentissime quod prima principia corporum non possunt esse corpora; nam omnium omnino corporum quaerimus principia, consequenter etiam illorum quae fortasse aliquis in medium profert ad solvendam quaestionem quasi scilicet ipsius quaestionis solutio, quae proinde irresoluta manet.

II. Ea quae in corporibus habentur, uti sunt proprietates ipsorum et varia phaenomena quae in eis contingunt, si ex circumstantiis exterioribus et accidentalibus resolvi et explicari nequeant, oportet ut ad prima principia ipsorum corporum reducantur, atque per ea aliquomodo explicationem aliquam rationalem suscipiant.

III. Unde rejicienda sunt illa omnia systemata quae inducunt veluti principia ea cum quibus proprietates et phaenomena corporum non cohaerent vel ex quibus nullam explicationem suscipiunt. Quod quidem maxime attendendum est circa extensionem atque activitatem.

IV. Resolutio hujus quaestionis ad metaphysicam omnino pertinet, cum scientiae experimentales nonnisi ipsa corpora, corporum extensionem, aut phaenomena quae in eis accidunt attingant; vel ad summum ad legem horum phaenomenorum assurgere possint; quod tamen ex ipsa metaphysica et logica habent (cf. supra n. 7 in nota).

175. **Varia systemata ad principia corporum stabilienda.** — Theoriae sive systemata quae adhibentur a recentioribus philosophis ad prima corporum principia investiganda ad tria revocari

possunt, quae haec sunt: *Atomismus, dynamismus* quod etiam systema entium simplicium dicitur, et *hylemorphismus* seu systema scholasticum. Igitur haec systemata exponenda et examinanda sunt.

Caput XXII.

De atomismo.

(Goudin, pars. I, *Physic.* disp. I, quaest. I; Zigliara, *Cosmol.* lib. II, cap. I; Rosselli, *Summa philos.*, pars. IV, quaest. III; Lepidi, *Cosmol.*, lib. I, sect. I, cap. I. II, III et V; Liberatore, *Cosmolog.*, cap. II, art. VI, VII; Schiffini, *Metaph. spec.* vol. I, pars. I, disp. I; Lorenzelli, *Philos. natur*, pars. II, lect. III Hugon, Willems, Germano, Mercier, l. c.).

176. **Quid docuerint primi philosophi circa principia constitutiva corporum.** — Non est mirum si primi philosophi utpote imaginationem transcendere non valentes, ut ait Angelicus (1) pueriliter erraverunt in hac difficili quaestione. Ipsemet Angelicus ita eorum errores recenset: « Primi quidem igitur philosophantium de rerum naturis *sola corpora* esse aestimaverunt, ponentes prima principia aliqua corporea elementa, aut plura aut unum. Et si unum aut aquam, ut Tales Milesius (2); aut aerem ut Diogenes (3); aut ignem, ut Ephasius; aut vaporem ut Heraclitus (4). Et si plura, aut finita, sicut Empedocles (5) quatuor elementa, et cum his duo moventia, amicitiam et litem; aut infinita sicut De-

(1) P. I. qu. 75. a. 1.

(2) (a. 624 a. C.).

(3) Qui accepit a suo magistro Anaximene (588 a. C.). discipulo Anaximandri discipuli Thaletis.

(4) (535 a. C.).

(5) (495-435 a. C.).

mocritus (1) et Anaxagoras (2), quorum uterque posuit *infinitas partes minimas* esse omnium rerum principia; nisi quod Democritus posuit eas genere similes, differre autem solum figura et ordine et positione; Anaxagoras autem diversarum rerum, quae sunt similium partium, infinitas partes minimas prima rerum principia aestimavit » (3).

177. **Atomismus apud antiquos.** — Anaxagoras igitur et Democritus *Atomismum* professi sunt (partes enim illae minimae *atomi* recte vocantur). Primus tamen causam exteriorem intellectu praeditam dirigentem agnovit, secundus vero idest Democritus eam exclusit atque nonnisi motum localem, ad quem tam materiam quam materiae vires reduxit, admisit. Democritum sequutus est Epicurus (4) qui tamen posuit atomos potestate directionem motus mutandi praeditas independenter a quacumque causa extrinseca et etiam intrinseca. Unde simul cum Democrito habetur uti materialismi parens.

178. **Inter Atomismi renovatores praecipuus Cartesius.** — Inter Atomismi jam obsoleti renovatores habetur Telesius, Magnen, Renatus Descartes, Baco a Verulamio et Gassendus, qui tamen materialismum rejecerunt. Sed praecipue Cartesius doctrinae atomisticae renovator imo et fundator atomismi mechanici habetur, propterea quod posuit essentiam corporis in trina dimensione consistere. Ex qua doctrina corpora nulla activitate atque motu esse praedita logice intulit; extensio enim seu dimensio in suo conceptu nonnisi passivitatem importat. Unde Cartesius ipse et

(1) (460 a. C.).
(2) (500 a. C.).
(3) Opusc. *De substantiis separatis*, c. I.
(4) (341 a. C.).

praecitati philosophi corpora componi ex minimis particulis seu ex *atomis* posuerunt, quacumque vi atque activitate sublata. — Verum cum corpora moveri manifestum sit atque proinde principium motus veluti causam admittendum esse evidenter appareat, posuerunt corporibus a Deo motum esse impressum.

179. **Atomismus apud recentiores.** — Atomismus apud recentiores prospera et magna usus est fortuna, postquam Anglus Dalton (a. 1804) eo mediante chymiae scientiae explicationes tradendas suscepit; quippe inde atomismus a multis scientiarum experimentalium cultoribus tanquam hypothesis exceptus est, atque ad systema philosophicum evectus ad ea omnia explicanda quae ad corpora pertinent, idest tum naturam intrinsecam corporum constituentia tum omnia phaenomena quae in eis contingunt.

180. **Atomismus mechanicus et atomismus dinamicus.** — Duplex tamen atomismus apud recentiores distinguitur *mechanicus* (etiam *mechanicismus* appellatus) et *dinamicus*. Prior docet principia prima corporum constitutiva non esse nisi atomos motu mechanico et locali praeditas quacumque vero activitate atque finalitate interiori destitutas. Unde corpora simplicia juxta mechanicistas non distinguuntur nisi ex diversa juxtapositione atomorum, quae ex diversitate quantitativa motus derivetur; ex qua etiam, juxta mechanicistas omnes proprietates et phaenomena, puta lucis, electricitatis cohaesionis, gravitationis etc. corporum originem ducunt et attenduntur, quasi ex atomorum vibrationibus quatenus motus transmittitur et transformatur multipliciter. Licet autem corpora ex unione illarum atomorum resultare dicantur, tamen atomi illae inter

se se separatae ponuntur quodam intervallo ab aetere, materia scilicet subtilissima imponderabili, repleto. Quidam tamen, etsi atomos unius ejusdemque corporis simplicis cujuscumque ponant ejusdem naturae, admittunt atomos diversorum corporum simplicium puta oxygenii et azoti esse diversae naturae. — Corpora vero composita, ex moleculis quarum singulae ex pluribus massis atomicis diversis hoc est ex acervis plurimarum atomorum diversorum corporum constitui dicunt quas, sicut dictum est de atomis, ponunt intervallo ad invicem separatas. Haec atomismus Mechanicus (1). — Atomismus Dinamicus in hoc differt a mechanico quod atomos ponit vi intrinseca praeditas; tamen et ipse vires corporum ad purum motum localem reducit. — Uterque atomismus dicitur *chymicus* quia chymiae experimentis insistit ut suas theorias philosophicas illis suffragari probet.

181. **Conclusio I.** — *Atomismus sive mechanicus sive dinamicus non explicat, sed quaestionem propositam praetermittit.*

Prob.: 1.° Nos quaerimus de principiis primis ex quibus omnia omnino corpora constituuntur: atomismus autem respondet quod ex minimis corpusculis constituuntur corpora majora. Hoc autem non est explicare, sed praetermittere quaestionem propositam; sicut esset praetermittere quaestionem, si quis responderet quod aqua constat ex oxygenio et hydrogenio, aut quod domus constat ex calce, ex lapidibus etc.

2.° Quando quaerimus de principiis primis quibus omnia corpora constituuntur, quaerimus quaenam sint principia illarum rerum, quae sunt extensione et ac-

(1) Inter eos qui mechanicismum defendunt recensetur P. Secchi.

tivitate praeditae, seu quaerimus quodnam in corpore sit principium extensionis et activitatis, puta impenetrabilitatis aut cujusque proprietatis, attributi aut vis, quae insit corporibus. Atqui atomismus huic quaestioni respondet minima corpuscula esse praedita extensione, impenetrabilitate motu vel activitate, de principiis autem extensionis et activitatis omnino silet. Ergo non explicat, sed praetermittit quaestionem propositam.

3.° Diversa figura corporum, quae legibus crystallizationis subijciuntur non explicatur ab ipsis atomici systematis defensoribus, nisi ex diversitate specifica molecularum primigeniarum, in quas resolvi possunt: sed undenam est illa distinctio specifica atomorum seu molecularum? Procul dubio in se principium talis distinctionis specificae habere debent, praeter principium in quo conveniunt. Atqui in systemate atomistico de hoc principio nihil omnino habetur. Ergo atomismus non explicat, sed praetermittit quaestionem a nobis propositam de primis principiis corporum (1).

182. **Conclusio II.** — *Atomismus sive mechanicus sive dynamicus absurditatibus multis scatet.*

Prob. conclusio: Absurdum est et contra sensum communem negare distinctionem specificam corporum et eorum intrinsecam finalitatem (cf. n. 123), perimere corum unitatem numericam substantialem; atque genuinum vitae conceptum qui consistit in aptitudine corporis ad movendum seipsum pervertere; 2.° absurdum est omnia phaenomena corporea explicare per simplicem et purum motum localem (cf. n. 109); 3.° absurdum est ponere particulas atomicas in corpore nulli mu-

(1) Cf. Rosselli, *Summa Philos. physicae,* quaest. III. Mercier, Lorenzelli, Schiffini, l. c.

tationi seu transformationi subjectas; 4.° absurdum est rejicere omnem quantitatem continuam (I, 683). Atqui uterque atomismus 1.° negat distinctionem specificam et unitatem numericam substantialem corporum, quippe in quolibet corpore non ponit nisi atomos distinctas et adinvicem intervallo quodam separatas; unde aufertur etiam colligatio quae possit haberi per mutuam actionem, quippe actio in distans repugnat (I, n. 771), nonnisi motum localem agnoscit a principio extrinseco causatum, nullum vero motum ab intrinseco in eadem substantia, quippe ponit diversas substantias idest atomos quarum una movetur ab alia, licet hoc sit impossibile ob intervallum; 2.° omnia phaenomena per simplicem motum localem explicare contendit; 3.° ponit particulas atomicas in corpore nulli mutationi subjectas; 4.° rejicit penitus quantitatem continuam. Ergo atomismus sive mechanicus, sive dinamicus est omnino absurdus et rejiciendus. — *Major.* quoad suas partes, excepta 3.ª, patet ex dictis locis respetivis ibi citatis.

Prob. 3.ª *pars:* Si atomi nulli transformationi sunt subjectae ob homogeneitatem materiae, tunc sequitur quod omnes proprietates seu tendentiae atomorum diversae ad varia corpora efformanda per varias earum uniones et combinationes dependeant ex motu locali ipsorum et ex circumstantiis exterioribus ipsum motum modificantibus. Atqui ex circumstantiis exterioribus motus localis (praecipue supposita eadem natura seu homogeneitate in mobili; in casu nostro in atomis) potest indefinite variari; de coetero tota variatio motus localis reducitur ad directionem diversam, et ad majorem vel minorem velocitatem. Ergo omnes atomi quoruncumque corporum ex circumstantiis exterioribus po-

terunt uniri ita ut induant quaslibet proprietates cujuscumque corporis; unde ex combinatione seu ex unione (sive mediata sive immediata non refert) atomorum quoruncumque diversorum corporum haberi poterunt omnia corpora; quod est absurdum.

183. **Corollarium.** — Ex quo patet quare omnes combinationes chymicae fiant ex determinatis corporibus simplicibus ad determinata corpora composita inexplicabile esse atomismo, sicut etiam quare ex resolutione eorumdem corporum compositorum eadem semper corpora simplicia habeantur, et similiter quare constanter habeantur mutationes physicae juxta leges diversas invariabiles cum non ex intrinseca et diversa corporum natura, sed ex circumstantiis exterioribus exclusive attendi debeant (1).

---

(1) Cf. MERCIER, *Cosmol.*, ubi late ostendit impossibilitatem explicandi mutationes tum chymicas, tum physicas, etc. per atomismum. Idem ostendit Card. Lorenzelli (*Philos. Nat.*, p. II ect. II, pag. 23, nota edit. 1.) qui in confirmationem affert candidam confessionem ipsius Leibnitzii, Wouboft, Schiff, Thompson etc. De quo ultimo haec verba refert: « Non vi può essere soddisfazione permanente per il pensiero nella spiegazione del calore, della luce, della elasticità, della diffusione dell' elettricità e del magnetismo nei gas, nei liquidi e nei solidi, e nella descrizione precisa di questi differenti stati della materia.... sinchè le proprietà dell' atomo.... non resteranno che una semplice supposizione ». — Quae proprietates deberent esse omnibus atomis communes ob materiae homogeneitatem, hoc est atomi supponuntur praeditae omnibus omnino proprietatibus saltem in potentia vel aptitudine mediante solo motu mechanico in actum reducendis. — Quod etiam experimentis repugnat nam ut ait Clar. Lorenzelli (l. c.): « Quod attinet ad *calorem* experimentis probavit I. Hirn (1883) absurditatem theoriae *cineticae* caloris, seu opinionis reponentis calorem in simplici *motu mechanico;* et consequenter absurditatem theoriae atomicae quae subsidio theoriae cineticae fulciebatur ».

184. **Radices erroris Atomistici systematis indigitantur et Atomismus ad ultimas ruinosas prorsus illationes deducitur.** — Prima radix erroris atomistici est confusio substantiae corporeae cum sua quantitate ; unde ab homogeneitate quantitatis atomistae concluserunt ad homogeneitatem substantiae corporeae seu corporis simpliciter considerati (cf. I, 687). Secunda radix ejusdem erroris est confusio divisionis et divisibilitatis ; ex eo enim quod partes quantitatis sunt divisibiles et de facto ab agente quandoque dividuntur concluserunt ex se se et semper actu esse adinvicem divisas et quidem usque ad minimas ; quasi dentur in quantitate partes minimae actu divisae et numeratae (cf. I, n. 682-683). Hinc posuerunt omnes atomos corporum esse et actu distinctas imo et separatas, adinvicem quodam intervallo. Unde atomos sic separatas supponentes eis solum rationem principii quantitatis seu dimensionis utpote minimis partibus ejus tribuentes, omnes per eas corporum diversitates atque phaenomena explicare cocti sunt, nihil tamen explicantes, sed absurditates plurimas incurrentes. Processerunt enim de errore in errorem, et ab una absurditate ad aliam ; et non defuerunt qui usque ad subjectivismum et phaenomenismum *logice* progressi sunt, quippe in hoc systemate non habetur nisi quantitas et motus idest accidentia sine subjecto ; imo ipsae dimensiones ad puncta indivisibilia et ad *minimas* partes quantitatis idest indivisibiles atque imperceptibiles reducuntur. Hinc logice sequitur praeter negationem ipsius extensionis, negatio realitatis diversarum naturarum, quae proinde non sunt nisi mentis conceptus aut pura nomina (cf. I, 192-193). Hinc negatio metaphysicae et positio omnium absurditatum !!!

185. **Solvuntur difficultates.** — *Obj.* 1.ª Chymia docet corpora omnia dividi in minimas particulas. Ergo vere corpora constant ex particulis minimis primigeniis idest ex moleculis, et ex atomis.

Resp.: Dist. maj.: In relative minimas quatenus mediis quibus utimur minores haberi non possunt *conc.;* in absolute et simpliciter partes minimas omni extensione vera mathematice considerata carentia *nego.* Et *dist. conseq.:* Corpora constant particulis absolute minimis hoc est inextensis omnino *nego;* minimis relative juxta exigentiam substantiae (I, n. 682 pag. 503), et extensis *subd.:* Actu ad invicem distinctis et intervallo undequaque divisis *nego;* inter se unitis iterum *subd.:* Quasi ex *primis* principiis essentialibus naturam corpoream constituentibus *nego;* sicut ex partibus integrantibus eadem vi eas informante colligatis in unum *conc.* — Admittimus particulas illas quae habentur a chymicis esse actu divisas per chymicas operationes, negamus esse actu divisas ante operationem et independenter ab ea quasi scilicet sint tot individua (1).

Obj. 2. Porositas corporum non explicatur nisi ponantur intervalla quaedam vacua in corporibus. Ergo ponendae sunt atomi intervallo adinvicem distantes divisae et separatae.

---

(1) Ipsi scientiarum experimentalium cultores existentiam atomorum individuam scilicet actu distinctam et separatam inficiati sunt: Audiatur Huxley: « Je croirai à l'existence des atomes, à la condition que l'on me prouve d'abord l'existence de ces atomes ». *Scienza Italiana,* v. 2, p. 117. — Et Fredault: « Il n'est pas un savant aujourd'hui qui ne considère l'atome comme une vue de l'ésprit dont on se sert pour exprimer des rapports conditionnels de quantité et d'equivalence en chimie.... C'est un mot que a son utilité pour reduire à l'unité des equations de mouvement; et, s'il a ses dangers, il faut bien voir qu'il n'est cependant qu'un mot ».

Resp.: Dist. antec.: Nisi ponantur intervalla separantia partes corporis undequaque ita ut nullam omnino habeant inter se communicationem seu conjunctionem et veram unionem *nego;* separantia partes ex aliquo latere *conc.* Et *nego conseq.* — Si considerentur quaedam corpora puta, spongia, vel etiam panis manifeste apparet separationem partium per intervalla adesse utique, sed etiam apparet ex aliquo latere simul conjungi. Hoc autem constituit corporis porositatem et nihil amplius exigitur; completa separatio multiplicat corpora.

Caput XXIII.

De Dynamismo.

(Cf. auct. cap. praec. citatos).

186. **Dynamismus seu systema entium simplicium.** — In systemate entium simplicium adseritur corpora constare seu coalescere ex entibus simplicibus, idest ex substantiis seu ex rebus omnino ine-

---

Forme et matière, p. 100. — Atomismus philosophicus quem examini subjicimus non est confundendus cum atomismo chymico quem supra (n. 170) exposuimus; philosophicus enim atomismus est interpretatio illius quatenus putat illorum factorum chymicorum tradere rationem intimam adducendo tanquam hypothesim (quam nos dicimus absurdam) existentiam illarum atomorum vel molecularum individuam distinctam et divisam ab aliis ante chymicam divisionem. — Unde praelaudatus H. Schiff. ait: « Riconosciuto il fatto che gli elementi si combinano a quantità fisse ed a proporzioni multiple per formare i composti chimici, ne abbiamo cercata la ragione in una costituzione molecolare della materia, supponendo che appunto le molecole relativamente indivisibili dovessero rappresentare le quantità fisse che si combinano chimicamente ». *Introduzione allo studio della Chimica.* Firenze, 1876, pag. 123.

xtensis activitate praeditis. Non tamen eodem modo hujusmodi entia simplicia componere seu efficere corpora ab omnibus explicatur. Leibnitzius posuit ea in spatio disseminata numero infinita inter se dissimilia quadam perceptione et appetitione praedita; vocavit autem illa monades. Haec Leibnitzii doctrina inducta ab eo tanquam per lusum, invenit non paucos sectatores a quibus varie modificata est. Wolff loco perceptionis et appetitionis illa entia vi motrice praedita posuit. Alii vero doctrinam Leibnitzianam aliter modificarunt. Verum nunc communiter systema entium simplicium in duo systemata diversa dividitur. Primum quod Boschovichio tribuitur docet hujusmodi entia esse homogenea in spatio disseminata quodam vacuo intervallo inter se distantia et secundum diversam dispositionem quam sortiuntur, aut secundum diversum motum localem quem habent, diversa corpora diversis proprietatibus praedita constitui. Additur insuper hujusmodi entia attractione (ad unitatem corporis) et repulsione (ad impediendam mutuam compenetrationem) et ideo motu mechanico esse praedita; unde hoc systema coincidere ex parte videtur cum atomismo. — Alterum systema entium simplicium quod *teleologismus* dicitur, in eo consistit, quod, sicut primum, docet entia omnino simplicia inextensa esse prima principia corporum; sed addit hujusmodi entia esse vires quasdam subsistentes in se suapte natura ad certum et determinatum finem directas, quae plasticae vocantur, quarum effectus formalis est *actractio*, *extensio*, *impenetrabilitas*. Quidam ut Kant ejusque asseclae haec omnia admittentes atque profitentes omnino subjectiva esse autumant. Sed de subjectivismo nihil in praesenti est dicendum (cf. I, 194, 231, 262 et 312 seqq.).

187. **Conclusio I.** — *Systema entium simplicium sive sub primo aspectu, sicut a Boschovichio exponitur, sive sub secundo aspectu, prout teleologismus nuncupatur, consideretur, naturam corporis non explicat, sed destruit.*

Prob. 1.° Nomine corporis nihil aliud intelligitur quam substantia extensa vi agendi et potentia patiendi praedita (n. 118). Atqui in systemate entium simplicium aut extensio aut activitas non explicatur, sed imo alterutra destruitur. Ergo systema entium simplicium non explicat, sed destruit naturam corporum. — *Prob. minor:* Entia simplicia hujusmodi aut ita disponuntur ut se invicem tangant, et habetur vera compenetratio; — non enim, cum sint omnino simplicia, habent partes extremas, quarum una sit tangens et alia sit exterius posita — aut ita sunt disposita ut non se tangant, sed sint in aliqua distantia posita. Atqui in prima hypothesi non explicatur extensio, sed imo negatur, cum hujusmodi entia ponantur simul compenetrata, et ideo in eodem puncto; in secunda autem hypothesi oporteret quod unum ens simplex ageret in aliud, licet in distantia positum, quod est impossibile (*Ont.*, n. 771). Insuper ponerentur quaedam spatiola omni extensione *reali* orbata, quod est absurdum. Ergo aut extensio, aut activitas non explicatur, imo alterutra destruitur. Addi potest aliud inconveniens idest quod unitas substantialis corporum etiam viventium perimitur et in iis tot individua ponuntur quod sunt atomi vel entia simplicia, quae utpote in distantia posita mutua actione non colligantur atque independentia mutua donantur. Si autem dicas illa entia, mediante aetere communicationem habere, respondetur quod etiam aeter est vera materia et corpus licet tenuissimum, de quo proinde est eadem quaestio et difficultas.

2.° Extensio, ut ostendimus (*Ont.*, n. 682) est mathematice sine fine divisibilis, et non potest intelligi pars extensionis, quae non sit extensa. Ergo non potest constare ex entitatibus simplicibus et inextensis.

3.° Inextensa important negationem extensionis, sicut irrationale importat negationem rationis. Atqui negatio alicujus formalitatis, etiamsi multiplicetur, non potest formalitatem negatam constituere. Ergo entia simplicia non possunt dare extensionem.

Neque dicas illa entia simplicia esse virtualiter extensa occupantia plura puncta spatii eo ferme modo quo anima est in pluribus partibus corporis et quidem tota; nam imprimis si plures animae humanae simul uniantur licet perfectiores et nobiliores illis entibus simplicibus, non valent extensionem producere. Imo si pluribus illis entibus simplicibus simul sumptis fas est tribuere virtutem causandi extensionem non video quare id ipsum cuilibet animae humanae tot puncta quot sunt in corpore humano occupanti tribuere non liceat, atque proinde non liceat ipsam materiam seu ipsum corpus ut purum effectum animae habere vel etiam cum ipsa anima confundere. — Insuper spatium reale subtracto corpore nihil est, atque proinde illa corpora simplicia plura puncta spatii occupare ad corpora efformanda absurde finguntur.

188. **Conclusio II.** — *In systemate entium simplicium neque unitas sive specifica sive numerica corporum, neque distinctio specifica ab aliis corporibus explicatur.*

Prob.: Unitas sive numerica sive specifica corporum est unitas non accidentalis, quae est unitas ordinis sicut in acervo lapidum, sed unitas substantialis, ut praecipue videre est in viventibus, e.g.

in animali et maxime in homine, in quibus est unum esse simpliciter et substantialiter. Atqui unitas substantialis sive essentialis haberi non potest per entia simplicia. Ergo unitas sive numerica sive specifica per systema entium simplicium non explicatur. — *Major* patet ex sensu naturae communi. *Minor* vero sic ostenditur: Unitas substantialis sive numerica sive specifica aut habetur formaliter ex entibus simplicibus, et hoc est impossibile, quia pluralitas ut talis non potest esse formaliter causa unitatis substantialis, quae est unitas per se, cui pluralitas opponitur, et per quam excluditur: aut habetur formaliter ex diversa dispositione entium simplicium; et hoc etiam est impossibile, quia talis dispositio non potest attendi nisi secundum majorem vel minorem distantiam, quae est quid omnino accidentale. — Eadem ratione entia simplicia non possunt esse causa diversitatis rerum secundum speciem cum ipsa specie non differant, et si dicantur specie differre, oportet adsignare rationem qua differant, quae tamen a systemate entium simplicium non adsignatur.

189. **Atomismus dynamicus.** — Supra cum atomismo mechanico etiam atomismus dynamicus satis superque fuit refutatus; nunc autem animadvertendum puto atomismum dynamicum et cum puro atomismo admittere in corporibus materiam extensam atomis vel moleculis intervallo quodam separatis constantem etc., et cum dynamismo principium aliquod vel multa principia activa, praecipue per corporum resistentiam manifestatum. — E quo quidam intulerunt atomismum dynamicum utriusque systematis evitare incommoda. — Verum oppositum omnino est dicendum quippe plures cum utroque systemate communes habet et profitetur absurditates ut jam patere potest ex dictis. — Sufficiat innuere

atomismum dynamicum non admittere nisi motum mechanicum tamquam effectum activitatis corporum ipsumque in varias naturae vires transformari, atomos ponere in corporibus indivisibiles actu distinctas et divisas intervallo quodam separatas etc. — Quod si intimius spectetur atomismus dynamicus ad systema scholasticum logice ducit vel etiam quoad substantiam in suo initio consideratus cum ipso coincidit; et nonnisi sibi ipsi contradicendo systema scholasticum rejicit atque aliorum systematum doctrinas tuetur. Quippe ponit materiam cum scholasticis et vim seu activitatem in ipsa; igitur aut vim illam admittit esse corporibus intimam et essentialem et tunc habetur vere systema scholasticum, vel admittit eam esse aliquid accidentale in eis a principio extrinseco et tunc in purum atomismum delabitur.

Caput XXIV.

De hylemorphismo seu de systemate scholastico.

(Goudin, l. c., qu. I, art. IV. qu. II, et III; Zigliara, l. c. cap. II, art. I. II, III; Rosselli l. c.; Lepidi, *Cosmol.*, l. c. cap. IV et VI; Liberatore, l. c., a. art. VI § I, art. VIII, IX; Schiffini I, c.; Mercier, Lorenzelli, l. c. sect. IV, V; Hugon, Willems).

190. **Hylemorphismus seu systema scholasticum.** — Hylemorphismus ab *ὕλη*, hoc est materia, et *μορφη*, idest forma derivatus, est illud systema juxta quod a scholasticis natura corporum ex duobus principiis essentialiter constare dicitur, quorum unum est determinabile et passivum, alterum vero determinans et activum. Et quia materia est transmutabilis et variarum determinationum susceptiva,

ideo principium determinabile *materia* ponitur. Determinationes autem variae ipsius materiae dicuntur ejus actus vel formae ut figura, durities etc., ideo prima ejus determinatio ponitur alterum principium corporis constitutivum et dicitur *forma*, — Sed materia considerata praescindendo non solum ab aliis suis determinationibus successivis sed etiam a sua prima determinatione dicitur *materia prima ;* prima vero determinatio ipsius, quam omnes aliae supponunt, utpote ei intimior omnibus dicitur *forma substantialis.* — Et sic juxta hylemorphismum duo sunt prima principia corporum constitutiva : *materia* quae est materia in sua prima indeterminatione et potentialitate profundissima considerata et ideo dicitur *materia prima ;* et *forma substantialis* quae est primus actus, prima perfectio, primum determinativum et consequenter magis intimum omnium ipsius materiae. Haec autem duo ponuntur realiter inter se distincta.

191. **Ex corporis definitione constitutivum ejus est stabiliendum.** — Definivimus *corpus : Substantia extensa potentia patiendi et agendi praedita* (n. 166). Ex qua definitione oportet investigare principia prima constitutiva corporum ; nam haec definitio omnibus corporibus convenit. Extensio, potentia patiendi et potentia agendi sunt proprietates fundamentales, ad quas revocantur omnes aliae proprietates quae in corporibus esse et considerari possunt (n. 116).

192. **Distinctio specifica in corporibus non desumitur ab extensione neque a potentia patiendi.** — Distinctionem specificam non posse desumi, neque considerari ex parte seu ex ratione extensionis satis manifestum videtur, nam corpora diversae speciei eandem extensionem habere posse a nullo negatur: ferrum

e. g. potest habere eamdem extensionem ac lapis, ac lignum, ac caro etc., quod certe non esset, si praecise ex ratione extensionis desumeretur diversitas specifica corporum. Item neque desumi potest diversitas specifica corporum ex potentia patiendi praecise sumpta: nam sicut potentia non potest concipi et distingui nisi per ordinem ad actum, ita potentia patiendi non potest concipi, neque distingui nisi per ordinem ad agens et ad diversum agens. — Insuper potentia patiendi est potentia recipiendi actionem et effectum agentis; actio autem et effectus agentis diversimode recipitur in potentia, quatenus patiens agenti resistit, resistentia autem non est a potentia patiendi sed a potentia agendi: nulla ergo diversitas desumitur in corporibus a potentia patiendi praecise sumpta.

193. **Differentia specifica et diversitas corporum non potest desumi nisi a potentia agendi, idest ab activitate.** — 1.° Haec propositio sequitur ex dictis, nam cum praeter extensionem et potentiam patiendi in corporibus non sit nisi potentia agendi, si distinctio specifica non potest desumi ab extensione, neque a potentia patiendi, consequens est ut ex potentia agendi, idest ab activitate ipsorum desumatur. 2.° Diversitas corporum sicut etiam aliarum substantiarum non explicatur a nobis nisi ex diversitate proprietatum ipsorum, quae aut sunt operationes quaedam, aut aliquid ordinatum ad operationem (cf. Ont. n. 763). 3.° Activitas cum importet actualitatem, importat determinationem et ideo distinctionem: unde distinctio desumitur ex principio activitatis.

194. **Distinctio specifica corporum non solum secundum accidentia, sed primo et per se secundum substantiam desumitur.** — Distinctio specifica corporum ex diversitate operationis, et ideo

ex diversitate activitatis desumitur. Atqui diversitas actionis et activitatis haberi non potest nisi praesupponatur diversitas substantiarum. Ergo distinctio seu diversitas specifica corporum non solum secundum accidentia, sed primo secundum substantiam desumitur. — *Prob. min.:* nam 1.° sicut actio cum sit accidens supponit virtutem a qua procedit et in qua subjectatur (Ont. n. 767 et seqq.), ita diversa actio supponit diversam virtutem, quae aut est ipsa substantia corporea, quae proinde diversa esse debet, secus nulla ratio haberetur diversitatis operationis, aut diversam substantiam supponit. 2.° Sensus naturae communis ipsas substantias corporeas habere in se diversitatem specificam supponit. 3.° Si diversitas operationis non est nobis via ad inferendam diversitatem substantiarum, nonnisi scepticismus relinquitur (cf. Ont. 763).

195. **Ontologice loquendo duo principia constitutiva corporum ponenda sunt, quorum unum sit quid potentiale, commune et indeterminatum, aliud vero actuale et determinatum seu determinativum.** — In quolibet corpore considerato in sua specie est ponendum 1.° principium extensionis et patiendi, 2.° principium agendi operationes suae speciei proportionatas. Atqui principium extensionis et principium patiendi important aliquid commune, indeterminatum, et ideo potentiale; principium autem agendi actiones alicujus speciei determinatae concipitur ut quid determinatum, et ideo actuale, distinctum et proprium. Ergo ontologice loquendo in quolibet corpore duo principia fundamentalia et constitutiva corporum ponenda sunt, quorum unum ut quid commune, indeterminatum et potentiale, aliud vero ut quid proprium, actuale et determinatum, vel determinans concipitur.

196. **Conclusio I.** — *Non solum ontologice, sed etiam physice tamquam realiter distincta ponenda sunt in quolibet corpore secundum suam speciem considerato duo principia, quorum unum sit commune, indeterminatum et ideo determinabile et potentiale, aliud vero sit proprium, determinativum et actuale.*

Prob.: Principium quod ontologice in corpore consideravimus ut quid commune, indeterminatum et ideo determinabile et potentiale, realiter physice separatur ab altero principio, quod ontologice consideravimus (in praec. concl.) ut quid proprium, determinativum et actuale. Atqui ea, quae realiter separantur, realiter distinguuntur. Ergo in corpore secundum suam speciem considerato non solum ontologice, sed etiam physice ut realiter distincta ponenda sunt duo principia constitutiva corporum, quorum unum sit quid commune, indeterminatum, et ideo determinabile et potentiale, aliud vero proprium, determinativum et actuale. — *Prob. maj. :* Cum e. g. lignum per virtutem ignis in cinerem convertitur, destruitur id quod est proprium, determinativum et actuale in ligno, et propterea perit natura ligni; sed semper remanet *aliquid de ipso ligno,* quod modum essendi alium determinatum induit, qui est proprius cineris et determinat illud, quod prius erat in ligno, in quo aliam determinationem distinctam habebat. Hoc autem quod erat in ligno et nunc vere est in cinere, est quid commune cineri et ligno, aliam determinationem habens in ligno et in cinere, ut patet, et ideo a tali determinatione seu a principio determinante realiter et physice separatur. Insuper cinis corrumpi potest et fieri seges, sicut et seges per nutritionem potest fieri caro etc., et semper illud subjectum secundum se indeterminatum et potentiale idem perseverat, et ideo potest fieri commune pluribus successive et multipliciter determinari.

197. **Conclusio II.** — *Materia prima et forma substantialis sunt prima principia constitutiva corporum.*

Haec nostra conclusio imprimis potest considerari uti corollarium refutationis priorum duorum systematum; cum enim tria sint systemata quae a philosophis admittuntur ita ut aliud systema adinveniri non possit — quippe quidquid mens praeter praedicta excogitavit ut irrationalius habetur, — et duo priora sint falsa et absurda, sequitur tertium esse acceptandum, nisi scepticismum in hac quaestione amplecti velimus. Sed directe.

Prob. conclusio : 1.° Ut patet ex dictis (n. praec.) in quolibet corpore sunt admittenda duo principia essentialiter ipsi convenientia per quae ipsum corpus conveniat et distinguatur ab alio corpore, ita scilicet ut illorum principiorum unum sit commune, indeterminatum, et ideo determinabile et potentiale, alterum vero sit proprium, determinativum et actuale. Atqui primum dicitur *materia prima*, alterum *forma substantialis* appellatur (cf. n. 190). Ergo vere materia prima et forma substantialis sunt duo prima principia quibus quodlibet corpus constituitur.

2.° In quolibet corpore considerantur et sunt vere quam plurimae determinationes quae a materia corporis *realiter distinguuntur* ita scilicet ut, cum ipsae esse cessent et a corpore separentur, materia ipsa et eadem maneat et non sit minus materia iis ablatis quam ante, licet corpus fortasse non sit illud ipsum quod erat prius, ut e. g. cum cibus fit caro, aqua hydrogenium et oxygenium etc. Atqui inter tot determinationes materiae est admittenda una quae sit prima, veluti fundamentum a quo omnes aliae dependeant, quae ipsam substantiam materiae *immediate* attingat, ipsam proinde substantialiter deter-

minet atque compleat et sit determinativum substantiale illius. Ergo in quolibet corpore praeter materiam determinabilem et potentialem est admittendum aliud principium ab ipsa essentialiter distinctum ipsam determinans, quod optime actus substantialis determinativus illius, et forma substantialis dicitur (cf. Ontol. n. 775), quod simul cum materia ipsum corpus constituit.

Confirmatur: Inter determinationes materiae in corporibus certe prima et notabilior est determinatio specifica qua corpora ad invicem substantialiter differunt et qua materia quandoque expoliatur aliamque induit, ut contingit in mutationibus naturalibus multis puta cum materia e. g. cibus vitalitatem induit, cum animal generatur etc. sicut etiam idipsum contingit in combinationibus et resolutionibus chymicis. Atqui determinatio specifica est per actum substantialem hoc est per aliquid determinativum substantiale quod merito forma substantialis dicitur. Ergo praeter *materiam* ante omnes determinationes non specificas consideratam est admittenda *forma substantialis* qua corpus et materia ipsa in specie constituitur, omnino veluti aliud principium a materia distinctum.

3.° In corporibus reperiuntur proprietates omnino diversae puta extensio et activitas; quarum prima in suo conceptu importat divisibilitatem atque proinde multiplicitatem, potentialitatem atque indeterminationem, unde in rebus disparatissimis et diversissimis esse potest et de facto est in omnibus corporibus, res tamen non sunt diversae ratione extensionis; activitas autem in suo conceptu importat actualitatem, unionem seu unitatem, simplicitatem, determitionem; unde diversitas in ipsis operationibus habetur et diversitas rerum ex diversitate operationum

consideratur. Atqui hujusmodi duae proprietates ad idem principium reduci non possunt sed ad diversa omnino principia oportet ut reducantur. Ergo aliud est in corporibus principium activitatis et aliud principium extensionis. Primum debet esse quid simplex et actuale, aliud vero quid potentiale et compositum.

4.ª In corporibus, quae dicuntur specie diversa, sive simplicibus, sive compositis inveniuntur constantissime plures proprietates quae simul sumptae nonnisi corpori talis speciei convenire possunt ut e. g. proprietates oxygenii nonnisi oxygenio, proprietates carnis nonnisi carni, hominis nonnisi homini etc.; oportet autem hujus facti constantissime et semper renovati ad modum legis stabilissimae aliquod fundamentum, aliquam rationem, vel radicem ut ita dicam adsignare. Atqui non potest adsignari ipsa extensio vel ipsa materia quae in omnibus corporibus reperitur et secundum se non importat diversitatem quae solum attenditur in suis determinationibus cum quibus ea ineptissime confunditur; et similiter non potest ratio vel fundamentum etc. praedictae constantiae reponi in causis extrinsecis et accidentalibus ipsius materiae. Ergo in principio intrinseco ipsi corpori a materia distincto ei intimo veluti determinativo et actuativo illius quod merito *forma prima* intima et *substantialis* ejus dicitur, reponi debet.

5.º Materia est multipliciter et varie ordinata ita scilicet ut ex hujusmodi varietate ordo universi constans habeatur; unde habentur diversa corpora in proprios fines stabiliter ordinata. Atqui causae accidentales extrinsecae non possunt nisi absurde designari ut verae rationes illius varietatis atque ordinationis, secus ordo universi esset aliquid casuale, fortuitum, nullam immobilitatem prae se ferret. Ergo rationes intrinsecae ipsis corporibus vel ipsi mate-

riae sunt adsignandae et quidem diversae diversitatem corporum constituentes veluti verae causae partiales praedicti ordinis quae causae sunt variae determinationes materiae in diversas species corporum veluti actus et merito formae substantiales dici possunt (cfr. quae de rerum finalitate diximus cap. XVI, XVII).

198. **Corollaria.** — I. Ex his sequitur 1.° quod materia prima et forma substantialis sunt partes essentiales substantiae corporeae et proinde sunt quid substantiale, incompletum tamen, cum sint ordinatae ad unam substantiam, idest ad corpus in determinata specie constituendum (Ont. n. 776), et singillatim sumptae realiter a composito distinguuntur veluti partes ejus.

II. Neque materia prima, neque forma substantialis sunt corpus, cum sint elementa quae in quolibet corpore reperiuntur ut constitutiva.

III. Quia materia prima actuatur et determinatur a forma et ab ea distinguitur, ipsa est vera potentia realis sicut forma est actus realis.

IV. Quando materia prima novam formam substantialem acquirit, formam quam prius in se habebat amittit, et habetur nova substantia corporea : amissio veteris formae substantialis dicitur *corruptio*, acquisitio novae dicitur *generatio :* hinc intelliges scholasticorum axioma: *Corruptio unius est generatio alterius.*

199. **Definitio materiae primae et formae substantialis traditur.** — Ex dictis intelliges definitionem, quam Aristoteles et post ipsum scholastici tradunt de *materia prima*, quae tamen definitio negativa est potius quam positiva ; dicunt enim : *Materia prima non est neque quid, neque quale, neque quantum, neque aliquid eorum quibus ens determinatur.* Per *quid* intelligunt essentiam completam ; alia verba significant quod

materia prima non est *qualitas,* aut *quantitas* aut aliud *accidens,* neque *differentia specifica*, vi cujus ens determinatur. — Quid est ergo? respondeo: Materia prima est *pars substantialis determinabilis et potentialis ex qua substantia corporea partialiter constituitur.* — Forma vero substantialis est *pars substantialis determinativa materiae ut primus actus ejus, quo corpus in sua natura specifica constituitur.* (cf. Ontol., 776).

200. **Materia prima habet esse a forma substantiali.** — Quia materia prima ut quid omnino potentiale et indeterminatum concipitur, et quidem in ordine substantiali, sequitur quod forma sit actus primus ipsius et substantialis; et ideo materia prima habet suam actualitatem a forma substantiali, et etiam existentiam, cum existentia formam substantialem supponat. Unde prima actualitas materiae est ipsa actualitas formae substantialis, et ideo materia prima et forma substantialis eamdem habent actualitatem et idem esse. Materia ergo habet esse a forma non sicut ab agente, sed sicut a communicante ei propriam actualitatem, vi cujus est.

201. **Corollaria.** — I. Materia neque existentiam propriam habet neque ullum actum entitativum, siquidem existentia sequitur formam quae si est substantialis dat esse substantiale ut in casu, in re autem una nequit esse nisi unum esse substantiale et una existentia. Insuper materia prima cum sit pura potentia et non habeat esse, nullum actum habet, unde neque est essentia quaedam ad quam ratio specifica vel aliqua determinatio requiritur, et quae nonnisi per formam habetur. Unde materia est potentia *realis ;* distinguere enim oportet *potentiam realem* et *actum realem.* Hinc sequitur materiam sine forma existere non posse « Dicere ergo, ait Angelicus, quod materia sit sine forma, est dicere con-

tradictoria esse simul ». Quodl. III, qu. I, a. I, c. et cf. etiam I. P. qu. 66 a. I ad 3^{m}.

II. In una et eadem materia simul et ideo in eodem composito non potest esse nisi una forma substantialis, quia forma prima substantialis dat esse substantiale: quidquid autem advenit esse substantiali alicujus rei in specie constitutae per formam, accidentaliter ei advenit, neque ipsum potest constituere in novam speciem substantialem, secus in eadem re duae species substantiales simul ponendae essent.

202. **Eductio formarum de potentia materiae.** — Cum scholastici ajunt formam educi de potentia materiae, nihil aliud significare volunt quam fieri in actu illud ad quod materia erat in potentia, quatenus scilicet per virtutem agentis in materia ipsa forma producitur, inquantum agens indiget materia ut effectum suum producat. Ratio autem quare agens indiget materia ad formam producendam, est ejus limitata virtus et ipsa natura formae, quae non potest existere per se sola, sed in materia; et ideo ejus esse a materia dependet, et non potest consequenter fieri nisi in materia, cum qua nata est esse; non autem dicitur fieri vel educi de potentia materiae quasi in ipsa materia praecontineatur, aut ex virtute ipsius producatur.

203. **Principium essendi et operandi est forma substantialis.** — Forma substantialis dicitur principium essendi et principium operandi; sed hoc non est intelligendum quasi ipsa sola sit et operetur: nam ipsa non est proprie *id quod est,* cum id quod est proprie sit compositum, idest corpus, quod resultat, sed ipsa est *id quo* aliquid, idest id quo corpus est et quo constituitur in specie determinata corporis; item ipsa nequit esse principium *quod* suae actionis, sed solum principium *quo* substantiale radicale et remotum.

Caput XXV.

De Composito ex materia et forma.

204. **Corporis definitio.** — Quod ex materiae et formae unione resultat est ipsum corpus quod supra (n. 166) definivimus: *Substantia extensa potentia patiendi et agendi praedita;* quae definitio non est essentialis sed potius descriptiva ex iis quae corpori conveniunt ut nobis notiora; verum ex dictis (cap. praec.) definitio essentialis haberi potest his verbis: *Substantia constans (seu composita) ex materia et forma.* Dici etiam potest simpliciter *substantia in sua essentia seu essentialiter composita;* quippe nulla substantia praeter corpus composita est in sua essentia.

205. **Distinctio corporis a materia et forma.** — Corpus distingui realiter a materia et forma, ex quibus constat, singillatim sumptis indubium est apud scholasticos omnes, at non ita est si materia et forma considerentur collectim. Quidam enim negant, alii affirmant; verum nullam esse cognoscendam distinctionem realem arguitur ex eo quod ad habendum corpus non requiritur nisi utriusque conjunctio; ad quam conjunctionem nihil aliud exigitur nisi utriusque intima collectio; non enim compositum novam entitatem ipsis superaddit sed solam relationem unionis, quae relatio in ipsa materia et forma collectim seu, ut ita dicam, unite sumptis includitur. Adde quod materiae et formae unio immediata est cum sit substantialis, non enim mediat accidens inter ea, secus unio esset potius accidentalis, neque mediat alia substantia; quid enim est illa sub-

stantia? Arbitrarie imo adsurde omnino haec additur; insuper in hac hypothesi corpus esset compositum trium substantiarum incompletarum quod est inauditum et inaudibile. — Verum id optime intelligeretur si ipsum compositum non esset nova natura unitatem et quidem substantialem importans, at quia compositum novam et quidem unam naturam substantialem importat quae non est simplex collectio duorum puta materiae et formae, ideo compositum vere aliqua ratione distingui a materia et forma collective sumptis substinendum esse videtur. — Benignus et oculatus lector igitur hujus perdifficilis quaestionis judex relinquitur.

206. **Conclusio I.** — *Quamvis et materia et forma sint ambae essentiales composito idest corpori, tamen forma est magis essentialis quam materia.*

Prob. 1.ª *pars;* seu melius declaratur, nam ambae sunt duae partes seu duo principia partialia corpus constituentia quorum unum se habet ut potentia realis et principium extensionis et passivitatis, alterum ut actus substantialis determinativus potentiae et specificativus ipsius corporis ut ex dictis manifestum est.

Prob. 2.ª *pars:* 1.° Actus coeteris paribus est potior potentia; ergo actus substantialis est potior potentia substantiali, principium activum potius est quam passivum et similiter principium determinans et specificans potius est quam subjectum quod determinatur et specificatur, sicut animal potius est quam vegetale, et rationale quam animal. Atqui forma constitutiva corporis se habet ut actus, ut principium activum et determinans et specificans, materia vero uti potentia, ut principium determinatione indigens a forma. Ergo forma in corporis constitutione potior est quam materia.

2.° Remanente eadem forma licet mutetur materia idem compositum et idem corpus manet. Ergo forma potior est quam materia in formatione seu constitutione compositi seu corporis. *Conseq. patet.* — *Prob. antec.* ex eo quod materia in viventibus jugiter renovatur, unde post datum tempus alia distincta materia totaliter veterem materiam substituit et tamen idem perseverat compositum et corpus. Hoc patet in plantis, in animalibus et praecipue in homine ex cujus conscientia id invicte habetur, nam licet materia mei corporis sit totaliter immutata, tamen ego idem persevero, idem esse habeo et corpus meum idem esse censetur in sua substantia.

207. **Conclusio II.** — *In composito seu in corpore eaedem proprietates accidentales manent remanente forma licet materia mutetur, non remanente forma in composito omnia accidentia destruuntur et nova subintrant ad subintrationem novae formae.*

Prob. 1.ª *pars:* Proprietates compositi ab esse compositi specifico emanant et quidem ex necessitate veluti quaedam ulteriores determinationes accidentales primae determinationis substantialis quae est ipsa forma substantialis. Atqui remanente forma licet materia renovetur idem compositum perseverat, ut habetur ex conclusione praecedenti; consequenter eadem causa et principium et subjectum accidentium manet, quippe compositum est subjectum verum accidentium ex quo ex necessitate accidentia emanant. Ergo remanente forma eadem accidentia propria seu proprietates manent in composito.

Prob. 2.ª *pars:* 1.° Accidentia omnia quae sunt in composito habent esse et conservantur in esse seu substentantur in esse ab esse compositi seu a composito ipso a quo mutuant esse. Atqui quae habent esse ab alio seu ab esse alterius et ab ipso conser-

vantur in esse necesse est ut pereant, destruantur, destructo eo a quo in esse conservantur. Ergo cum esse compositi cesset seu destruatur per hoc quod forma ab eo recedit necesse est ut omnia accidentia etiam pereant seu cessent esse.

2.° Accidentia propria seu proprietates compositi emanant ab ipso composito et quidem vi formae. Ergo pereunte composito per hoc quod forma ab eo recedit cessant emanare ab eo accidentia ejus propria quae proinde destruuntur seu cessant esse.

208. **Corollarium.** — Accidentia ergo quae apparent post formae recessum à composito licet sint fortasse similia, non tamen sunt ea ipsa quae erant in composito ante formae substantialis recessum; neque obstat quod sensui appareant eadem; non enim sensus potest esse judex identitatis sed solum intellectus.

Caput XXVI.

De principio individuationis.

(Aristoteles, XI, *Metaphys.* c. VIII; S. Th. P. I, qu. L; P. III, q. LXXVII, a. II c.; in Boet. *De Trin.*, q. IV, a. 2; *De ente et essentia*, c. II; cum *Comm. Cajet.* Suarez, *Dissert. Metaphys.*; Goudin, IV par. phil. disp. I, q. III, a. I; Zigliara, l. c., cap. II, art. IV; Lepidi, l. c. sect. II, cap. I et III; De Maria, *Ont.*, tract. II, qu. III, art. II; Mercier, *Ontol.*; Nys et Hugon, *Cosm.*)

209. **Eadem materia potest esse successive in corporibus diversis secundum speciem, non tamen eadem forma.** — Materia ergo et forma sunt prima principia constitutiva corporum: materia est quid indeterminatum, potentiale, et id in quo corpora in ratione generica corporeitatis conveniunt; forma vero est quid actuale et determinans corpus ad speciem.

Unde quamvis eadem materia possit esse successive in diversis corporibus, ut e. g. materia ligni potest esse in cinere; non tamen eadem forma potest esse in eis: nam diversitas formae est ratio diversitatis specificae in corporibus, ut patet.

210. **Quaestio.** — Sed quia in eadem specie dantur plura individua numerice distincta, e. g. plures lapides, plura ligna, plures homines, quaeritur nunc quaenam sit ratio hujus distinctionis pure numericae: haec ratio distinctionis pure numericae dicitur principium individuationis.

211. **Sententiae.** — Quidam dicunt esse formam, quidam dicunt esse materiam, alii autem quantitatem. Sed neque forma esse potest, cum forma sit ratio convenientiae et unitatis specificae respectu individuorum, quae sub eadem specie continentur, et ratio diversitatis specificae respectu aliorum, sicut anima humana est ratio quare homines conveniant in specie humana, et ratio quare differant a brutis et ab aliis speciebus. Sed neque potest esse materia praecise sumpta, cum ipsa etiam in eodem individuo possit totaliter renovari. Neque potest esse quantitas, cum ipsa sit quid accidentale, substantia autem individua ab alia distinguitur per seipsam, et ideo per aliquid sibi intrinsecum, quod certe quid substantiale esse debet.

212. **Conclusio.** — *Materia quatenus per formam determinatur et constituitur ratio et radix quantitatis determinatae hujus individui est principium individuationis.*

Prob.: Corpora individua eo ipso quo concipiuntur habere determinatam et distinctam quantitatem censentur distincta, et nihil aliud requiritur ut distinguantur. Ergo aut per ipsam quantitatem distinguuntur et constituuntur individua distincta, aut per id,

quod est radix et principium quantitatis determinatae: sed non per ipsam quantitatem, ut patet ex dictis (n. praec.), et ut S. Thomas docet dicens (de princ. indiv.): « Quantitas determinata dicitur principium individuationis non quod aliquo modo causet subjectum suum *(idest sit causa et ratio formalis individui in quo est)*, quod est prima substantia, sed concomitatur eam inseparabiliter ». Ergo constituuntur individua et distinguuntur per id, quod est principium et radix quantitatis determinatae individui. Atqui principium, radix et ratio quantitatis determinatae individui est materia, non in se praecise sumpta, sed quatenus per formam determinatur et constituitur principium et radix quantitatis determinatae individui. Ergo materia, ut per formam determinatur et constituitur principium, radix et ratio quantitatis determinatae individui, est principium individuationis. — *Prob. minor:* Nam materia est principium et radix quantitatis ex se se, sed nonnisi per formam determinatur ad hanc vel illam determinatam quantitatem, cum ex ea sequatur diversa quantitas secundum quod sub diversa forma existit, alia enim est quantitas quae provenit ex materia quatenus est sub forma ligni, aut carnis, et alia quatenus est sub forma cineris ; ex mutatione enim substantiali compositi omnia accidentia, quantitate comprehensa mutantur idest pereunt accidentia praecedentis compositi et nova accidentia generantur (n. 207).

Confirmatur: Materia quatenus existit sub aliqua forma est incommunicabilis, cum habeat rationem determinatae quantitatis, per quam individuum ab alio sufficienter distinctum a nobis concipitur. Atqui incommunicabilitas nonnisi vi principii individuationis habetur. Ergo materia quatenus existit sub forma est principium individuationis. — *Prob. major* ex eo quod

materia quatenus existit sub forma aliqua induit specialem et determinatam rationem in ordine ad determinatam quantitatem quae consequitur in tali individuo, quae ratio est diversa juxta diversas formas quas materia induere potest. « Ratio enim materiae, ait S. Thomas loc. cit., sub forma aliqua est alia a ratione sua sub alia forma, quia certificatur *(seu notificatur)* ratio sua per determinationem quantitatis quae in diversa proportione et dimensione requiritur ad diversas formas, essentia enim materiae non diversificatur sub diversis formis, sicut ratio sua ».

213. **Requisita ad principium individuationis.** — Unde ad principium individuationis habendum non sufficit materia sola, sed requiritur ut materia quodammodo determinetur a forma sub speciali ratione. Imo quia diversa materia potest determinari secundum eamdem *rationem* ab eadem forma, idest in ordine ad eamdem quantitatem habendam, ut patet cum materia corporis viventis renovatur et eadem quantitas in eo perseverat, sequitur quod etiam diversa materia secundum eamdem rationem a forma causatam possit esse principium individuationis respectu ejusdem individui ; non enim principium individuationis est materia praecise sumpta, ut materia est ; sic enim communicabilis est pluribus formis successive ; nam materia ligni potest esse materia cineris, et materia unius animalis materia alterius (cf. S. Th. de princ. indiv.).

214. **Objectio.** — Forma est ratio distinctionis et determinationis specificae quatenus corpus constituit in una specie determinata. Ergo ipsa nullo modo est ratio et principium quantitatis, divisibilitatis, multiplicationis et distinctionis numericae. Ergo pura materia in se ut est radix quantitatis est individuationis principium.

Resp.: Nego primam et secundam illationem. Imprimis distinctio numerica in rebus materialibus supponit distinctionem specificam ; unde nullum datur individuum quod non sit in aliqua specie determinata et constituta, distinctio autem specifica habetur per formam ; igitur sicut individuum materiale supponit materiam ita etiam formam, ex ambobus enim constituitur ; unde sicut ex utraque habet ut sit, ita etiam ut distinguatur, licet diverso modo. Insuper materia et forma habent ut distinguant quatenus sunt *ratio* quantitatis, et quidem materia indeterminate, forma determinate. Unde, ut ait S. Thomas (1), « in materia generabilium et corruptibilium dimensiones *interminativas* oportet intelligere ante receptionem formae. Et ideo divisio quae fit secundum hujusmodi dimensiones proprie pertinet ad materiam. Sed quantitas completa et terminata advenit materiae post formam substantialem » ad quam sequitur species quam sequuntur individua distincta in quantitate terminata juxta exigentiam formae.

215. **Individuatio substantiarum spiritualium in quibus non est materia, neque quantitas.** — Juxta doctrinam S. Thomae substantiae immateriales in eadem specie multiplicari non possunt ; unde neque possunt distingui distinctione individuali quae est pure numerica, sed distinctione specifica, eo ferme modo, quo numeri abstracti a materia multiplicari non possunt in propria specie ; si numerus *viginti* e. g. existeret ab omni materia separatus, non posset esse nisi unus. Item principia abstracta a materia non possunt in propria specie multiplicari, sed unumquodque principium est unum ; idem dicendum est

(1) Supplementum III P., vol. II, q. LXXIV, a. V, ad 3.

de formis ; unde si albedo existeret separata a re alba nonnisi una esse posset (cf. S. Th. P. I, q. L, a. IV).

216. **Objectio.** — Animae rationales sunt substantiae spirituales, et tamen non differunt adinvicem secundum speciem : quomodo ergo differunt.

Resp.: Animae rationales quamvis spirituales, quia tamen sunt incompletae (Ontol., n. 628), ideo ordinem habent transcendentalem et essentialem ad corpus ; et per hujusmodi ordinem, idest secundum quod ad diversum corpus quantum ordinantur, distinguuntur inter se se.

Caput XXVII.

De substantia corporea omnis vitalitatis experte.

(Lepidi, *Cosmol.*, lib. I, sect. III cap. I ;
Schiffini, *Metaph. spec.*, vol. I, pars. I, disp. II, sect. II ;
Nys., *Cosmol.* ; Hugon, l. c. pag. 156 et seqq. et alii supracitat. auct.).

217. **Ratio capitis.** — Juxta ea quae promisimus (n. 7), de corpore generatim sumpto locuti, de corpore vita experte agere debemus ; verum philosophice loquendo de corpore vita experte pauca remanent dicenda cum fere sufficiant ea quae hucusque exposuimus utpote ipsi omnia applicabilia. Igitur tractationem nostram ad praesens caput restringimus.

218. **Esse inorganicum, esse vegetale, esse sensitivum.** — Esse corporeum quid commune omnibus corporibus designat ; tres gradus tamen complectitur, nam corpus aliquod vel est inorganicum vitae omnino expers, vel est organicum ; inorganicum materiam brutam continere dicitur, et habetur primus et infimus gradus essendi corporis ; corpus autem organicum in duo genera dividitur ; vel enim importat esse vivum vita *vegetativa,* quae est vita secundum infi-

mum gradum, et habetur *secundus* gradus essendi corporis; vel vitae vegetativae superaddit vitam *sensitivam,* et habetur tertius gradus essendi. In praesenti capite de corpore secundum primum gradum essendi agimus.

219. **Divisio corporis inorganici.** — Corpus inorganicum, seu substantia corporea inorganica, alia dicitur *ponderabilis,* et ea est, quae sensibus percipitur; alia *imponderabilis* appellatur, et haec non percipitur sensibus, utpote tenuissima, in omnibus corporibus reperitur exterius et interius, imo per totum spatium diffusa esse creditur et tamquam vinculum omnium corporum consideratur; ipsa non in se directe, sed in suis effectibus manifestatur: ab ea quibusdam videtur esse *lux, calor, aeris* motus, *radiatio,* etc.

220. **Quid est generatio.** — Novae substantiae productio non quidem ex nihilo sed ex aliquo subjecto generatio dicitur. Haec autem in corporibus vita expertibus habetur variis modis ut ex dicendis patebit.

221. **Substantia corporea simplex seu elementaris, et composita seu mixta.** — Substantia corporea, ut supra animadvertimus, alia dicitur *simplex,* non quia omni compositione sit expers, est enim quaelibet substantia corporea partibus integrantibus composita, imo etiam ex materia et forma constat (n. 196), sed dicitur *simplex,* quia in alia corpora per actionem chymicam resolvi nequit. — Substantia vero *composita* seu *mixta* ea dicitur, quae ex chymica collatione seu combinatione plurium corporum naturae diversae, resultat, sicut ex hydrogenio et oxygenio habetur aqua (1). — Prima dicitur etiam substantia elemen-

(1) Mixtio de qua agimus non confundenda cum mixtione ordinaria et simplici ad sensum ita a S. Thoma definitur: « *Miscibilium alteratorum et corruptorum secundum formas unio* ». *De generatione,* lib. I, lect. 25.

taris, quia est elementum substantiae mixtae; dicitur etiam simpliciter elementum.

222. **Numerus elementorum et conditiones requisitae ad rationem elementi proprie dicti.** — Substantiae corporeae simplices, seu elementaria corpora nunc circiter septuaginta et quinque (1) enumerantur, haec enim non possunt per chymicam analysim in alias substantias resolvi, quamvis fortasse ex diversis substantiis nobis ignotis coalescant. Sed hoc observandum est, quod ad rationem elementi quatuor conditiones, ut S. Thomas docet, requiruntur: 1.ª conditio est, ut sit causa ex *qua*, idest causa materialis; 2.ª conditio est ut sit *principium*, ex quo aliquid fit *primo:* unde cuprum, ex quo fit statua, non est elementum, quia ipsum habet materiam, ex qua fit; 3.ª conditio est, ut sit intrinsecum, consequenter ut remaneat in eo, quod fit ex ipso; sufficit tamen ut remaneat virtute, ita scilicet ut iterum possit haberi secundum proprium esse: 4.ª conditio est ut habeat aliquam speciem, quae tamen non dividatur in diversas species: unde materia prima proprie non est elementum. Sic autem definitur elementum ab Aristotele: « Elementum dicitur ex quo (corpus mixtum) componitur primo inexistente, indivisibili specie in aliam speciem ».

---

(1) Ab antiquis quatuor tantum elementa admittebantur videlicet: *terra, aqua, aer,* et *ignis*. Sed tamen aliud significare videbantur nomine *elementi* quam nunc significetur; Fredault inter alios putat antiquos nomine *terrae* ut sub nomine elementi expressae, *principium soliditatis* significasse, nomine *aquae principium aquositatis,* nomine *aeris principium aeriforme,* nomine *ignis principium* aut *subtile* aut *fluidum imponderabile* (cf. opus dicti auct. cujus tit. *Dict. de chymie. art. Principes*).

223. **Recensentur conditiones requisitae ad corpus mixtum habendum.** — Advertendum nos loqui de mixtione chymica quae vere mixtio est, vi cujus in eo quod resultat habentur novae proprietates diversae ab iis, quae sunt in elementis, non vero de mixtione quae intelligitur communiter a vulgo et est simplex aggregatio vel cohaesio plurium substantiarum; in ea enim eaedem proprietates remanent. Ad mixtionem de qua loquimur habendam requiruntur tres conditiones: 1.° requiritur quod elementa ex quibus fit mixtio sint divisibilia in minima, ut possint se invicem facilius alterari, alteratio enim omnino requiritur in miscibilibus, secus novae proprietates post mixtionem haberi non poterunt. Haec tamen divisio in minima seu in atomos quae physice indivisibiles sunt, intelligitur esse non in mixto considerato in facto esse, sed in fieri; et hoc diligenter adverte (cf. n. 185); 2.° requiritur inter miscibilia mutua actio et passio, secus quomodo possunt se invicem alterare ad compositum habendum, in quo novae proprietates omnino diversae manifestantur? 3.° conditio est contrarietas, secus haberetur convenientia et similitudo omnimoda, et tunc quomodo esse possent novae et diversae proprietates ex eorum actione uniformi?

224. **Leges servandae in unione elementorum ad mixtum habendum.** — Ut ex elementis habeatur mixtum tres leges servandae sunt: 1.ª dicitur *lex dualismi*, 2.ª *lex proportionum determinatarum*, 3.ª *lex multiplorum*. Lex dualismi in hoc consistit: *Quodlibet mixtum ex binis elementis coalescit.* Et hoc valet sive mixtum coalescat ex substantiis simplicibus, sive ex mixtis: nullam enim exceptionem haec lex pati videtur. Lex proportionum determinatarum in eo consistit quod *elementa oportet ut secundum determinatam*

proportionem inter sese misceantur ; e. g. ut ex mixtione hydrogenii et oxygenii aqua habeatur, requiritur ut hydrogenium ad oxigenium se habeat ut 1 ad 8. Lex multiplorum in eo sita est quod in diversis combinationibus earumdem substantiarum oportet ut si quantitas unius elementi eadem permaneat, quantitas alterius elementi debeat esse pro unaquaque nova combinatione multipla. Sed de his ad chymicos. Haec nobis praelibasse sufficiat.

225. **Quaestiones.** — His positis quaeruntur duo: 1.° an in corpore mixto habeatur nova forma substantialis distincta omnino a formis substantialibus elementorum ; 2.° an formae substantiales corporum elementarium remaneant. Quibus quaestionibus respondetur.

226. **Conclusio.** — 1.° *In corpore mixto nova forma substantialis omnino distincta, imo et diversa a formis substantialibus corporum elementarium habetur ;* 2.° *formae substantiales corporum elementarium actu non sunt ;* 3.° *neque sunt in pura potentia ;* 4.° *sed remanent virtute.*

Prob. 1.ª *pars :* 1.° Corpus mixtum est corpus omnino alterius speciei a corporibus elementaribus, ex quibus resultat ; e. g. aqua est omnino alterius speciei ab hydrogenio et oxygenio. Atqui res alterius speciei ab alia constituitur in sua specie per propriam formam substantialem, quae in alia re, a qua distinguitur non continetur. Ergo in corpore mixto est forma substantialis propria omnino distincta, imo et diversa a formis substantialibus corporum elementarium, ex quibus coalescit.

2.° In corpore mixto sunt novae et diversae proprietates, quae non sunt in corporibus elementaribus. Atqui diversae proprietates non possunt esse nisi a diversa forma substantiali, nam proprietates sunt

nobis via ad cognoscendam naturam corpoream, et ad determinandam ejus formam substantialem. Ergo in mixto est ponenda nova forma substantialis et diversa omnino a formis substantialibus corporum elementarium.

Prob. 2.ª *pars :* 1.° Cum proprietates rei nobis sint unica via ad cognoscendam naturam aliquam et formam substantialem ejus, ex eo quod proprietates alicujus rei amplius non sunt, optime arguitur illam naturam et ejus formam substantialem amplius non esse, vel esse commutatam in aliam ; sicut ex hoc quod in carne, in quam cibus conversus est, amplius proprietates cibi non reperiuntur, optime arguitur naturam cibi et ejus formam substantialem amplius non exstare. Atqui in mixto non sunt proprietates corporum elementarium ; e. g. in aqua non sunt proprietates oxygenii et hydrogenii. Ergo in mixto formae corporum elementarium actu non sunt.

2.° Ubi est una natura, una substantia specifica, nonnisi unum esse substantiale, et ideo nonnisi una forma substantialis esse potest. Sed in mixto, e. g. in aqua, est una natura, una substantia specifica, quae est aqua ipsa. Ergo nonnisi una forma substantialis esse potest, qua aqua constituitur in sua specie, idest forma substantialis aquae, seu mixti, non autem aliae formae substantiales ponendae in ea sunt. — *Confirmatur :* Quaelibet pars aquae, etiam minima, est aqua ; ergo in aqua non potest esse alia forma substantialis quam ipsius aquae.

Prob. 3.ª *pars :* Forma substantialis alicujus dicitur remanere in pura potentia, cum simpliciter illa forma corrumpitur, ita scilicet ut non possit haberi iterum immediate ex subjecto in quo dicitur esse in potentia; sicut e. g. lignum vel forma ligni remanet in pura

potentia in cinere, ex qua non potest immediate haberi: unde illud axioma scholasticorum: Ex *privatione* ad habitum seu ad *formam* non fit regressus. Atqui formae corporum elementarium seu miscibilium ita corrumpuntur in mixto simpliciter, ut ex corpore mixto immediate possit haberi per analysim corpus elementare, et ideo forma substantialis corporis elementaris. Ergo formae substantiales corporum elementarium non remanent in mixto in pura potentia.

Prob. 4.ª *pars:* Illae formae vel etiam illa elementa dicuntur remanere virtute in aliquo, cum ita sunt in eo, ut quamvis non sint in ipso quoad propriam entitatem, possint tamen ex propria virtute illius haberi. Atqui formae elementarium corporum, quamvis quoad propriam entitatem et rationem formalem non contineantur in corpore mixto, tamen continentur in mixto ut possint iterum haberi per analysim chymicam. Ergo formae substantiales corporum elementarium virtute continentur in corpore mixto. — *Maj. declaratur* ex semine, in quo arbor contineri dicitur virtualiter, quia ex propria virtute seminis haberi potest. *Minor* vero patet ex eo quod corpora elementaria, et ideo formae elementares nonnisi ex corporibus mixtis, quae ex eis comflata sunt, erui possunt; et ideo ex propria virtute talium corporum mixtorum.

227. **Corollarium.** — Mixtio de qua agimus est vera generatio, quippe nova substantia ex mixtione elementarium corporum vere producitur; et similiter ipsa mixti seu compositi in sua elementa resolutio. Hae duae generationes tamen adinvicem opponuntur sicut ipse processus oppositus est, quippe prima habetur per synthesim altera per analysim.

228. **Requisita ad generationem.** — Ad generationem multa requiruntur videlicet : *Alteratio, virtus activa, dispositiones in subjecto, et terminus ipsius generationis.* — *Alteratio* omnino requiritur ad generationem, oportet enim ut qualitates in subjecto mutentur, imo ut qualitates contrariae inducantur, quod fit per *alterationem*, quae est : « *Motus a qualitate ad qualitatem contrariam successive acquisibilem* ». *Alteratio* tamen non est cum ipsa generatione confundenda, quippe terminus alterationis est accidens, idest sunt qualitates nempe formae accidentales compositi substantialis ; terminus autem generationis est ipsa forma substantialis quae immediate in materia prima recipitur ; insuper *alteratio* successionem importat, generatio vero est instantanea. — Requiritur etiam *virtus activa* et quidem a substantia realiter distincta (cf. I, 768). — *Dispositiones* autem quasdam ad ipsam generationem requiri patere jam potest ex dictis, per alterationem enim variae dispositiones in subjectum inducuntur. Verum dispositiones ab agente inductae aut praecedunt ipsam generationem et tunc subjectantur in ipso composito antequam inducatur nova forma substantialis, vel eam comitantur in ipso genito, et tunc intelliguntur esse in eodem instanti ac inducitur forma, quae in materia quam informat dispositiones quasdam exigit, quae tamen ab ipsa profluunt ; seu ab ipso agente simul cum forma in materiam seu in novum compositum inducuntur. — *Terminus* in ipsa generatione est requisitum omnino essentiale, nam *generatio* sicut actio et motus sine termino est inconcepibilis ; generatio enim sine *genito* non est generatio ; unde terminus generationis est ipse *genitus*.

229. **Multiplex terminus generationis.** — Multiplex tamen terminus generationis distinguitur, idest 1.° Terminus *qui* adaequatus generationis; et est ipsum suppositum seu ipsum genitum quod est simpliciter; 2.° terminus *quo* totalis; et est ipsa natura seu compositum specificum quod immediate resultat ex inductione formae; 3.° terminus *quo* partialis; et est ipsa forma substantialis quae inducitur in materiam et quae est terminus immediatus generationis; 4.° additur *terminus* secundarius generationis; et sunt accidentia propria quae in ipso composito ex materia et forma resultant. — Ad generationem praeter haec omnia requiritur etiam motus localis quippe alteratio in re quanta seu in re extensione praedita sine motu locali concipi nequit (cf. n. 107).

CAPUT XXVIII.

De differentia viventium a non viventibus.

(ZIGLIARA, *Psychol.*, l. I, c. I; LEPIDI, *Cosmol.*, l. I, sect. III, c. II et III; LIBERATORE, *Cosmol.*, c. III; SCHIFFINI, *Metaph. spec.*, v. I, p. I, disp. II; LORENZELLI, HUGON, MERCIER).

230. **Ratio capitis.** — Tertio loco est agendum in Cosmologia, juxta traditam divisionem (n. 7) de natura corporea vita praedita. Verum ea quae ad scientias experimentales pertinent exponere extra propositum nostrum est; ideo naturam corpoream vita praeditam unice sub latu philosophico considerabimus. Quocirca vita ipsa vel ratio vitae expendenda a nobis est. Hoc tamen non impedit quominus quaedam ad scopum nostrum conferentia ab ipsis scientiis ex-

perimentalibus mutuemus, imo hoc omnino exigit tractatio nostra; non enim philosophia vana abstractio est, sed experientiae innititur; unde studiis scientiarum experimentalium uti debet. Agentes autem de vita corporea tria explananda occurrunt 1.° ipsa vita in genere, 2.° vita prout manifestatur seu prout reperitur in plantis, 3.° vita prout est in animalibus. Verum ea quae explanabimus de vita in genere quantum attinet ad scopum nostrum, sufficiunt ad ipsam rationem vitae vegetativae, de qua proinde tractatum specialem non instituimus. Unde post vitam in genere vitam animalium exponemus. Agentes autem de vita in genere differentiam viventium a non viventibus adsignabimus, inde agemus de ipsa vita, de vitalismo et de simplicitate animae.

231. **Differentia prima et essentialis corporum viventium a non viventibus adsignatur.** — Corpora viventia a non viventibus maxime differunt. Prima et essentialis differentia ab *activitate* repetitur. Nam corpora non viventia activitate quadam pollent, sed quae ad aliquid exterius tendit, et proinde eorum actio dicitur transiens (cf., I, n. 10, *actio*), nam aut attractione, aut repulsione completur, aut impulsum importat; e contra activitas corporis viventis non solum intrinseca est ipsi corpori, sed etiam immanens omnino. Per hujusmodi activitatem intrinsecam et immanentem corpus renovatur quoad materiam, augetur, et in sua specie multiplicatur.

232. **Triplex activitas propria viventis.** — In corpore ergo vivente, quatenus ab alio corpore distinguitur triplex activitas reperitur: activitas qua se in esse conservat, et vires deperditas reparat, et haec dicitur nutritiva; activitas qua augetur in quantitate, et haec dicitur vis augmentativa; activitas

qua se reproducit non individuo sed in sua specie, et haec dicitur vis generativa. Tres vires ergo propriae in corporibus viventibus distinguuntur, vis nutritiva, vis augmentativa, vis generativa. — Sed et aliae differentiae adsignantur corporum viventium a non viventibus, quae multae sunt, videlicet : 1.ª desumitur ex chymica compositione, 2.ª ex figura, 3.ª ex structura, 4.ª ex origine, 5.ª ex incremento et conservatione proprii esse, 6.ª ex duratione (1). — Praeter has differentias considerare oportet ipsummet organismum et ejus originem.

---

(1) Has differentias ita perbelle illustrat cl. P. LEPIDI (l. c.) « 1.º quoad *chymicam compositionem :* In corporibus, enim mineralibus *primae* combinationes elementares legem binariam semper servant, h. e. duobus dumtaxat elementis coalescunt. In corporibus autem viventium *primae* mixtiones ex tribus, vel quatuor elementis fiunt : nam corpora plantarum tribus conflantur elementis, oxygenio nempe, hydrogenio, carbonio ; his, pro corpore animalium constituendo, adjungitur azotum. Praeterea, in mineralibus elementorum proportiones sunt valde simplices; in viventibus valde complexae. — 2.º Quoad *figuram :* Quamvis enim mineralia, cum crystalla fiunt, et ipsa propriam habeant figuram, non tamen sicut viventia. Figura enim mineralium lineis rectis constat, et est angulata ; quae est totius, eadem et cujuslibet partis, quodlibet namque crystallum parvioribus crystallis coagmentatur, modo figuratis eodem ; figura crystallorum ad conservationem totius minime concurrit ; eaque externis agentibus, mechanice, penitus potest transformari. Contra, figura viventium lineis curvis describitur, dulciter ac vario modo flexis ; ipsa non est eadem in toto et in parte ; ad conservationem totius necessario requiritur ; ac externis agentibus nequit transformari. — 3.º Quoad *structuram :* Nam omnes partes corporis mineralis similes sunt inter se atque aequales, nec ulla pollent structura. Contra, corpus viventis partibus dissimillibus totum coalescit, certo ordine constructis, sub lege correlationis et unitatis dispositis ; unaquaeque enim earum ad certum determinatum finem tendit, bono alterius inservit, omnesque fini totius miro consensu respondent. — 4.º Quoad *ortum :* Corpora enim mineralia chy-

233. **Organismus in vivente.** — In vivente corporeo praecipue in animali praeter praedictam activitatem de qua egimus (n. praec.), organismus est considerandus, quippe sine organismo corpus vivens non datur; vivens corporeum enim substantiam organicam importat. Unde vita a Littre (1) dicitur: « Status activitatis substantiae organicae ». Scientia quae agit de organismis viventibus *biologia* nuncupatur; scientia vero quae agit de organismo prout est in sua origine dicitur *embriologia* vel etiam *embriogenia;* de organismo formato considerato in se agit *anatomia,* considerato autem in suis variis functionibus agit *physiologia;* anatomia secundum quod agit de corpusculis quibus habentur telae et de ipsis telis, dicitur *istologia* (2).

---

micis mixtionibus, per vim nempe molecularis attractionis et chymicae affinitatis producuntur. Contra, viventia nonnisi a viventibus nascuntur: *Omne vivum ex vivo.* Et vere quidem, nullo facto probari potest materiam-brutam sine efficacia viventis in substantiam esse versam; sed quaecumque viventia gignuntur ex germine, ope alterius viventis elaborato, semper gignuntur: vis organorum effectrix in germine tantum continetur. Propagatio ergo viventium a productione mineralium penitus est diversa; in viventibus simile a simili, in mineralibus non. — 5.° Quoad *incrementum et conservationem proprii esse:* Mineralia enim crescunt per juxtapositionem materiae, nimirum per extrinsecum accessum seu superpositionem materiae: contra, viventia per intussusceptionem crescunt; intus enim extraneam materiam suscipiunt, eamque activitate propria digerunt, in propriam substantiam vertunt, ac ita suum esse augent et conservant. — 6.° Quoad *durationem:* Mineralia namque, si vis omnis mechanica, quae separat, si reagentia omnia chymica removeantur, indefinita habent durationem; contra singula viventia definitam habent durationem, siquidem, sua periodo completa, intestinus motus eorum esse desinit, ac pereunt.

(1) Cf., MERCIER (*Psichol.,* p. I, § 2, n. 8, ed. V); et A. GAUTIER, *Chimie biologique,* p. I. Parigi, Savy, 1892, citatum a MERCIER hic.

(2) Cf., MERCIER (l. c., n. 10).

234. **Duplex organismus in animali.** — In animali duplex organismus distinguitur, organismus *elementaris*, qui dicitur *Cellula*, et organismus *complexus* qui ex pluribus Cellulis resultat. In quibusdam tamen animalibus non distinguitur nisi organismus simplex qui importat solum unam Cellulam : hujusmodi animalia dicuntur unicellularia et organismus eorum unicellularis (1).

235. **Partes ex quibus constat organismus animalis.** — Organismus ex pluribus partibus et quidem diversis constat quarum quaelibet proprium habet officium in ordine ad conservationem, ad augmentum totius et ad generandum simile ipsi in eadem natura. Chymice loquendo partes seu ele-

---

(1) Gli esseri viventi, ait MERCIER (l. c., n. 11), dei due regni sono formati di una materia dotata di proprietà distintiva che si chiama protoplasma (*πρῶτον* primo, *πλασμα* composizione), formazione od organizzazione elementare. Porzioni di protoplasma si costituiscono in unità o individualità chiamate *cellule*, o qualche volta *plastidi*.

La cellula è composta di due parti principali, il corpo cellulare o citoplasma (*κυτος* cavità, cellula e *πλασμα*) e il *nucleo*. — Il citoplasma è una sostanza molle, granulosa, semiliquida traversata da filamenti di forma varia che sembrano essere la sede di un' attiva circolazione (Vedi *Definition de la vie*, 2.ª ed., p. 10-11 ; LOUVAIN CHARPENTIER, 1898 ; cf., O. HERTWIG, *Die Zelle und die Geuvebe*, s. 8, n. 32. Jena, G. FISCHER, 1892. — A. GAUDIER, *Les manifestations de la vie* nella *Revue générale des sciences*, 15 Aprile 1897, p. 292).

Lo strato esterno che involge il corpo cellulare prende, in un grandissimo numero di cellule una certa consistenza che gli fa dare il nome di *membrana*. La membrana presenta spesso una struttura reticolata apparente, il che induce a credere che essa derivi dal protoplasma mediante una semplice modificazione. Il nucleo è vivo nell' interno del protoplasma; alla sua volta attorniato da una membrana e comprende una *reticella* ed un succo nucleare o enchilema racchiuso nelle maglie di questa reticella.

menta, ex quibus constat corpus animalis quasi ex eis mixtum, praecipua quidem et, ut ita dicam, fundamentalia, sunt quatuor, videlicet: *oxygenium, hydrogenium, azotum,* et *carbonium,* secundaria vero *sulphur, phosphorus,* item sequentia mineralia, videlicet: *calcium, aluminium, potassium, sodium, ferrum, magnesium,* etc.

236. **Praecipua pars seu praecipuum elementum organismi viventis.** — *Cellula* est praecipuum elementum organismi viventis, qui etiam si ex multis cellulis constet, semper ex aliqua cellula primitiva seu primigenia derivatur (1). Cellula primigenia dividitur in plures cellulas, unde efformatur complexus seu congeries (gruppi) cellularum, et inde paullatim efformatur *embrio.*

237. **Cellulae partes.** — Cellula constat ex pluribus partibus: idest: 1° quodam externo involucro quod *membrana* cellularis nuncupatur; 2° quadam substantia pene liquida in membrana inclusa quae *citoplasma* dicitur; 3° corpusculo quodam parvo in ipso citoplasmate incluso cuius nomen *nucleus*; 4° in nucleo vero duo corpuscula continentur quae *nucleoli* vel centrosphaerae dicuntur; 5° in massa vero citoplasmatis granula quaedam continentur quae cro-

---

(1) Viventia aliqualiter complexa si in eorum structura considerentur, videntur constare veluti ex corpusculis quamdam habentibus inter se similitudinem, quae *elementa anatomica* appellantur: ex eis enim organismus compositus seu complexus efformatur. Hujusmodi elementa ab unico elemento primigenio derivantur formam sphericam habente, vel uti ajunt, spheroidalem. Hoc elementum in organismo manet ipsumque cum aliis elementis quae ab eo derivantur constituit; et dicitur *cellula:* quod nomen applicatur omnibus aliis elementis quae eamdem formam ac ipsum habent sicut et illis quae parum in eorum forma ab eo differunt. — Alia elementa vocantur fibrae.

matophora appellantur (1). Citoplasma dicitur etiam *protoplasma;* tamen protoplasma proprie dicitur quatenus importat complexum omnium elementorum cellulae enumeratorum, membrana excepta. In his enim elementis vita reperitur. In protoplasmate omnia corpora veluti elementa sua, quae supra (n. 232) recensuimus continentur.

238. **Phaenomena vitalia cellulae.** — Phaenomena vitalia quae dicuntur etiam functiones vitae cellularis cellulae sunt : *nutritio*, *augmentatio*, *multiplicatio*, *irritabilitas*. Nam cellula utpote corpus vel pars corporis viventis nutritur, augetur, multiplicatur quasi in plures cellulas se ipsam dividendo; insuper non solum ipsa sed etiam ejus energia exercetur et explicatur (si sviluppa) in quo consistit irritabilitas (2).

239. **Efformatio telarum, organorum, apparatuum organicorum.** — Ex cellulis primigeniis varie dispositis et ex fibris (quae sunt filamenta quaedam tenuissima) formantur telae (i tessuti), ex telis

---

(1) Cf. Tognini, *Anatomia vegetale*. Milano, 1897. — Cf. Antonelli, *Theologia pastoralis*, ed. 3ª, pag. 2. — Aloysium Chiesa, l. c., pag. 25.

(2) « Irritabilitas, ait Beaunis (*Nouveau elements de Physiologie humain*. Parix, Germer-Bailliere, 1888, t. I, p. 361), non est exclusiva proprietas elementorum contractilium, ut quidam putarunt, est enim generalis proprietas quae omnibus elementis vita praeditis convenit; solummodo reactio idest manifestatio quae irritationem consequitur varia est juxta naturam elementi irritati; in fibra musculari irritatio est contractio, in cellula glandulari est secretio, in cellula epiteliari seu connectiva multiplicatio cellularis est, in cellula nervea est varius et diversus activitatis modus, videlicet perceptio, sensatio vel aliquid aliud ».

organa et ex organis apparatus organici (1). — Telae (i tessuti) in animalibus in sex species dividuntur, videlicet in *telas epiteliales, conjunctivas, musculares, nerveas, osseas* et *adiposas.* — Organorum apparatus quatuor in animalibus perfectis distingui possunt quorum *primus* facultati nutritivae deservit, alius generativae, tertius sensitivae, quartus locomotivae.

240. **Functiones vitae vegetativae.** — Omnes functiones vitae vegetativae in animalibus ad *nutritionem* reducuntur : (2) *digestio, absorptio, circulatio,* et *respiratio* sunt functiones praeparatoriae *adsimilationis* in qua nutritio proprie consistit, secundum quam nutriuntur *telae* et *elementa anatomica* organismi. Pro qualibet functione sunt plura organa : e. g. pro digestione sunt sequentia : *os* ad recipiendum cibum, *dentes* ad illum molendum et extenuandum, *lingua* ad cibum accipiendum detrusum et depellendum, *aesophagus* ad declutiendum, *stomacum* ad cibum coquendum, *intestinum tenue* ad separandam materiam alibilem a materia non alibili, *intestinum largius* ad materiam non alibilem excipiendam eamque ejiciendam. Hujusmodi autem organa per proprias functiones in unum conspirant, idest ad ipsam nutritionem ad quam, ut dictum est, reducuntur omnes functiones vitae vegetativae.

---

(1) « Organum dicitur instrumentum vitae quod particulari cuidam operationi ejus inservit quae est incompleta. — Organicus apparatus organorum complexum significat pro aliqua functione vitae perficienda quae est completa ; puta pro digestione. — Haec presse loquendo, vulgo tamen organum et apparatus organicus sumuntur promiscue ». (LEPIDI, *Cosmol.*, l. I, sect. III, c. IV).

(2) Cf., MERCIER, l. c., v. I. P. II. n. 17.

241. **Nutritio in cellula et in organismo.** — Tam nutritio cellularis quam nutritio organismi complexi duo importat, videlicet *assimilationem* et *disassimilationem*. Recensitae functiones (n. praec.) ad *assimilationem* ordinantur, functiones autem quae *secretiones* vocantur *disassimilationem* respiciunt (1). Unde functiones organismi complexi non differunt essentialiter a functionibus vitae cellularis; nam organismus complexus, embrione non excluso, ducit originem ab una cellula quae augetur, multiplicatur et ita ipsum organismum complexum efficit; insuper haec ipsa cellula a duabus cellulis simul fusis quarum una a mare altera a foemina in actu generationis dividitur, derivatur (2).

242. **Causa conservationis organismi et reproductionis individui in eadem specie.** — Organismus tam cellularis quam complexus conservatur in individuo vi repetitae seu iteratae *adsimilationis* et *disassimilationis,* quae in ipsa nutritione contingunt, mediante quadam serie repetitae synthesis et analysis chimicae, quae functiones in earum serie consideratae vocantur a recentioribus physiologis *ciclum.* Unde vita individui *ciclum* formare dicitur. — Praeterea organismus seu individuum in eadem specie reproducitur vi ejusdem nutritionis quatenus ad augmentum et ad generationem ulterius tendit, ita scilicet ut etiam in specie considerata relate ad plura individua vita formet *ciclum;* organismus enim uni-

---

(1) « Vi sono due specie di secrezioni, ait MERCIER (l. c., n. 17); le une quelle delle ghiandole salivari, dello stomaco, del pancreas, dell' intestino e forse anche del fegato servono alla digestione; le altre, quali sono p. e. quelle dei reni, del fegato o delle ghiandole sudorifere eliminano i residui inutili o nocivi all' economia ».

(2) Cf., MERCIER, l. c., n. 18.

cellularis dividitur in cellulas quae ab una procedunt et efformantur vi nutritionis (1).

243. **Corollarium.** — Si corpus viventis seu corpus organicum comparetur cum corporibus non viventibus seu inorganicis habetur differentia, imo et diversitas magna ; nam corpus vivens per vim quae est ei intrinseca quoad organismum producitur et fit organicum a cellula originem ducens, quae intrinseca activitate evolvitur usque ad ipsum, se ipsum propria interiori activitate conservat, restaurat, et augetur ; insuper in specie se ipsum reproducit causando individuum sibi simile : haec autem non conveniunt corpori non viventi sicut etiam ei non conveniunt functiones supra descriptae cum sint propriae corporum viventium (2). Quod verificatur non solum de animalibus, sed etiam de vegetalibus.

244. **Variae differentiae inter corpora organica et inorganica ab ipsis antivitalistis assignatae.** — Sed observare praestat quod ipsimet physiologi antivitalistae idest vitalismi osores maximam diversitatem agnoscunt inter corpora viventia seu organica et cor-

---

(1) « Questa serie regolare di manifestazioni, ait MERCIER (l. c.) che ritornano sempre al loro punto di partenza, si trova solamente fra gli esseri viventi ; gli esseri inorganici, anzi gli esseri stessi, che han cessato di vivere e che sono in via di disorganizzazione non posseggono in verun modo la proprietà di compiere un ciclo di tal genere. *Ciascun organismo* conosciuto, animale o pianta, possiede, scrive ST-GEORGE MIVART, allo stato normale determinate relazioni col passato e coll'avvenire, le quali non si trovano nel mondo inorganico. In ogni organismo vi è una naturale inclinazione a compiere un ciclo di ben definiti cambiamenti. I corpi inorganici ed i corpi morti possono subire molte trasformazioni, ma per complicati e moltiplicati che possano essere i loro cambiamenti non costituiscono cicli, e non ritornan mai al punto donde sono partiti ». (*Introduction générale à l'étude de la nature,* p. 5).

(2) Cf., MERCIER, l. c., n. 19.

pora bruta seu inorganica. Renzone duodecim differentias adsignat: 1.° Organismus ex elementis cellularibus aut citoideis resultat; 2.° Organismus vivens vi et activitate assimilandi elementa materialia et in semetipsum transformandi est praeditus; 3.° Organismus ex moleculis differentibus resultat; 4.° Constituitur ex partibus dissimilibus et eterogeneis sed semper juxta ordinem specialem dispositis *fini determinato* correspondentem; 5.° Magna complexitate magnae instabilitati chymicae conjuncta praeditus est; 6.° Forma microscopica corporum viventium non est geometrica idest non angulosa sed sphaerica et cilindrica; 7.° Volumen seu quantitas corporis viventis in qualibet specie satis constans est; in mineralibus autem magnam habet variabilitatem; 8.° Organismus constantissime originem ducit ab organismis similibus ad quos ut pars pertinebat sub forma ovium, seminis etc.; 9.° evolvitur, crescit et augetur per intususceptionem et non per juxta aut suprapositionem sicut in mineralibus; prima correspondet nutritioni, augmentationi, et multiplicationi singulorum elementorum cellularium, singulorum protoplasmatum aut singularum molecularum organizzatarum; 10.° corpus vivens aut phaenomena activitatis emittit puta motum, calorem, lucem, electricitatem; aut vim tensionis in seipso accumulat; 11.° Triplici phasi evolutionis, status, et involutionis cujus termino moritur; 2° tandem organismus in altissimo gradu evolutionis et perfectionis facultate reproductiva praeditus est.

245. **Convenientia corporum viventium et non viventium.** — Quamvis corpora viventia a non viventibus maxime differant, in quibusdam conveniunt, nam metaphysice loquendo proprietates generales omnibus corporibus sunt communes; item physice

loquendo plura phaenomena sunt eis communia; unde in utrisque sunt motus mechanici, et combinationes chymicae ejusdem rationis; et haec omnino requiruntur ad exercitium vitae sicut et quaedam alia, non tamen vitae distinctivum constituunt cum etiam in vivente actiones transeuntes importent (1).

Caput XXIX.

De ipsa vita.

(Aristoteles, *De Anima cum Comm.* S. Thomae, ipse *S. Th.*, p. I, q. 18; Joann. a S. Thoma, *Phil. nat.*, Pesch., Mercier, Farges, *La vie et l'évolution;* Hugon et alii auct. supra citati).

246. **Notio vitae.** — Apud nos ea dicuntur vivere quae ex sua intrinseca natura habent ut possint movere seipsa vel seipsa agere quocumque modo ad operationem. Unde animal in quo amplius non est aptitudo ut possit movere seipsum dicitur mortuum per defectum vitae. Haec vulgaris notio vitae omnino conformis est iis quae in praecedenti capite ex observationibus accuratioribus scientificis exposuimus. Imo id quod in iis essentiale est compendiose continet.

247. **Corollaria.** — I. Ex hac notione sequitur ea proprie vivere quae movent vel agunt se ad operationem in sua *naturali dispositione posita.* Imo viventia quanto magis in propria et connaturali sua dispositione posita apta sunt ut se moveant, vel agant se ad operationem, eo magis vivunt, nam viventia habent ex sua natura, et ideo ex *principio intrinseco ut moveant se,* seu ut moveantur et se agant;

(1) Cf., Mercier, ib., n. 21.

sed quanto magis natura aliqua est in sua naturali dispositione tanto magis est apta ad agendum suas operationes proprias. Unde merito observat Angelicus quod « plantae et aliae res viventes moventur motu vitali secundum hoc quod sunt in sua dispositione naturali, non autem in accedendo ad eam, vel recedendo ab ea » (1).

II. Operatio viventis propria completur in ipso vivente; nam proprium viventis est movere vel agere se ad operationem, imo in hoc consistit propria operatio viventis; et ideo in ipso vivente manet operatio ipsius.

III. Vivens operando perficit se; nam operatio quaelibet est actus et perfectio quaedam; unde si maneat in operante ipsum perficit.

248. **Vita in actu primo et vita in actu secundo.** — Actio vitalis quae procedit a principio intrinseco operantis et in operante manet dicitur vita in actu secundo: principium actionis vitalis dicitur vita in actu primo, et si hujusmodi principium est primum in corpore vivente dicitur anima. Unde anima sic definitur: *Primum principium vitae in his quae apud nos vivunt,* idest in corporibus viventibus; vel etiam: *Actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis* (2).

249. **Conclusio.** — *Immanentia actionis est de ratione vitae in actu secundo.*

Prob.: Illud est dicendum esse de ratione vitae in actu secundo consideratae, sine quo vita in actu secundo in suo constitutivo essentiali non potest intelligi. Atqui sine immanentia actionis vita in

---

(1) P. I, qu. XVIII, a. I ad 2.m.

(2) Cf., *S. Th.*, P. I, qu. LXXVI, a. IV., ad I. et *De Anima* 2°, lect. I. — Quae definitio ab Aristotele tradita est.

actu secundo non potest intelligi in suo constitutivo essentiali. Ergo immanentia actionis est de ratione vitae in actu secundo consideratae. — *Prob. minor:* Ratio vitae in actu secundo importat quod vivens se ipsum moveat vel agat. Atqui movere vel agere se non potest intelligi in suo constitutivo quin intelligatur quod *agere maneat* in ipso quod agitur vel movetur, ut patet ex terminis. Ergo sine immanentia actionis vita in actu secundo non potest in suo constitutivo intelligi.

Confirmatur: Ad rationem vitae in actu secundo, idest ad rationem operationis vitalis, non sufficit esse a principio intrinseco, nam secus omnia corpora viverent, cum sint praedita activitate ex proprio principio intrinseco (n. 118); ergo aliquid aliud requiritur ad rationem operationis vitalis, quod quidem non est, nisi immanentia actionis: scilicet ratio vitae in actu secundo consistit in hoc, quod aliquid agat, vel moveat se; idest per hoc quod actio ejus ab intrinseco procedens maneat in ipso, ut dictum est. (cf. n. 245).

250. **Triplex gradus vitae distinguitur.** — Vivens dicitur illud quod agit a principio intrinseco per actionem immanentem, seu quod movet se ab intrinseco; agere autem a principio intrinseco per actionem immanentem contingere potest magis vel minus perfecte secundum triplicem gradum (1).

251. **Primus gradus vitae.** — Sunt quaedam, quae agunt a principio intrinseco per actionem immanentem, tamen ipsum principium intrinsecum est ab exteriori agente, sicut omnia vegetalia se agunt seu moventur a principio intrinseco, quod est eorum *forma,* sed haec est ab exteriori agente. Unde ha-

(1) Cf. S. Th. p. I, qu. XVIII, a. II.

betur primus gradus vitae quae dicitur vita vegetativa (1).

252. **Secundus gradus vitae.** — Sunt autem quaedam quae agunt a principio intrinseco per actionem immanentem, et hoc principium intrinsecum est ab ipsis quodammodo, sed non plene et perfecte. Ita operantur viventia sensitiva quorum motus, vel actio procedit a *forma* apprehensa, quae est similitudo objecti: talis forma est ab ipsis viventibus per facultatem seu virtutem operativam. Sed cum omne agens agat propter aliquem finem, si finis non est ab ipso operante intentus, actio operantis non est omni modo a principio intrinseco, cum finis habeat vere et proprie rationem causae respectu operationis (I, 800). Quia ergo viventia sensitiva non praestituunt sibi finem in suis operationibus, (nam praestituere finem est agentis intellectivi), sed supponunt a natura praestitutum, sequitur quod eorum actio sit utique vitalis et perfectior, quam operatio vegetalium, sed non sequitur eam esse omnino et simpliciter perfectam in ratione vitae (2). Unde:

253. **Tertius gradus vitae est vita intellectualis.** — Sunt quaedam viventia quorum actio non solum procedit a forma, quae est a principio intrinseco viventis, idest a virtute viventis, sed etiam a fine ab ipso vivente sibi praestituto; et ideo talis actio procedit adhuc perfectiori modo a principio intrinseco. Hujusmodi sunt viventia intellectualia, quae non solum operantur ex forma apprehensa et a propria virtute effecta, sed etiam ex fine sibi praestituto per deliberationem intellectus. Haec vita constituit tertium gradum vitae, qui attenditur secundum vitam

(1) Cf. S. Th. ib., a. III.
(2) S. Th. ib.

intellectualem (1). In homine triplex gradus vitae reperitur, unde anima quae est principium triplicis vitae in his quae apud nos vivunt idest quae est principium vitae et vegetativae et sensitivae et rationalis definiri etiam potest: *Anima est id quo primo vivimus, sentimus, movemur, intelligimus.* Haec igitur animae definitio omnes vitae gradus continet (2).

254. **Conclusio.** — *Infimus gradus vitae est vita vegetativa, medius est vita sensitiva, nobilissimus et perfectissimus est vita intellectiva seu spiritualis.*

Prob. ex dictis: Nam vita attenditur secundum quod aliquid agit actione immanente et ex principio intrinseco. Ergo quo magis aliquid operatur ex principio intrinseco per actionem immanentem eo perfectior vita habetur. Atqui vita vegetativa attenditur secundum actionem immanentem, quae est a principio intrinseco secundum infimum gradum; secundum actionem immanentem quae est a principio intrinseco secundum medium gradum attenditur vita sensitiva, secundum ultimum et perfectissimum attenditur vita intellectiva. Ergo vita vegetativa est infimus gradus vitae, medius vita sensitiva, ultimus et nobilissimus vita intellectiva.

255. **Corollarium.** — Deus inter omnia viventia vivit nobilissimum gradum vitae, ita ut non possit major excogitari. Nam actio immanens ejus non solum est a principio intrinseco, sed imo est ipsum principium intrinsecum, cum sit ejus substantia, quae a nullo alio principio esse potest; insuper finis propter quem Deus agit est ipse Deus, non enim Deus ad alium finem a se distinctum ordinatur, nam ipse est ultimus finis omnium, cum in se sit perfectissimus. (n. 47).

(1) S. Th. ib.

(2) Vide II, De anima, c. II.

Caput XXX.

De mechanicismo et vitalismo.

256. **Quaestio.** — Quaerimus nunc an vires quae sunt in corporibus non viventibus sint sufficientes ad explicandam vitam ejusque originem, hoc est quaeritur an vis vitalis, ut distincta a viribus naturae brutae, sit aliquid accidentale corpori bruto idest non viventi adveniens, et ipsum organicum efficiens et vivens constituens, vel e contra sit aliquid substantiale quod a viribus materiae brutae derivare non possit.

257. **Mechanicismus et vitalismus.** — Quidam idest materialistae nostrae aetatis dicunt vitam nihil aliud esse quam *effectum seu motum quemdam partium quae simul uniuntur secundum modum determinatum* (1). Imo hanc definitionem omnibus corporibus tribuunt. Unde in hac sententia viventia non differunt a non viventibus nisi accidentali quadam differentia. Haec doctrina omnibus corporibus applicata dicitur *Mechanicismus* vel *Mechanismus,* quia non admittit in corporibus nisi motum quemdam ad eum modum quo motus in machinis et ex machinis cernitur; dicitur autem *Organicismus,* vel *biomechanica* considerata respectu corporum viventium seu organicorum. — Praeterea in hac sententia non admittitur in corporibus esse nisi *atomos motu praeditas,* vel *atomos* et vires *mechanicas* ad quas reducantur vires *physico-chimicae;* negatur etiam causalitas finalis, et ad summum admittitur sola causalitas efficiens, quam-

(1) Büchner, *Force et Matière,* p. 458.

vis quidam ex positivistis et materialistis ad hanc etiam secundam negandam procedant et quidem logice. — Sed e contra alii negant omnino corpora ex atomis et motu constare aut viribus accidentalibus praedictis solummodo; et docent dari aliquod principium substantiale diversum in diversis a quo et motus et aliae vires originem ducant. Haec doctrina corporibus viventibus applicata vocatur vitalismus. Tamen in duas sententias dividitur; sunt enim quidam qui adserunt vim vitalem non solum esse quid substantiale, sed etiam per se subsistentem independenter scilicet a materia in quolibet vivente tam in plantis quam in animalibus omnibus, et sic accepta haec sententia dicitur *spiritualismus,* vel *vitalismus spiritualis, vitalismus exaggeratus,* vel *neovitalismus;* in quo eo perventum est a quibusdam uti a Bunge, ab Haachè, a Delphino etc., ut etiam in minima cellula vitae vegetativae vires physicae sensatione, cognitione, intelligentia praeditae et conscientes dicantur (quae doctrina refutabitur dum de anima brutorum erit sermo); alii vero ut scholastici docent vim vitalem esse utique quid substantiale, et consubstantialem materiae, non tamen esse per se subsistentem in puris vegetalibus aut in animalibus, homine excepto (1).

258. **Conclusio I.** — *Vis vitalis est quid substantiale.*

Prob.: 1.° Id per quod corpus vivum in suo esse substantiali formaliter perseverat, est quid substantiale. Sed vis vitalis est id, per quod corpus in suo esse substantiali idem formaliter perseverat. Ergo vis vitalis corporis viventis est quid substantiale. —

---

(1) Cf. Aloysium Chiesa et Mercier, l. c.

Prob. minor: In corpore vivente duo distinguuntur, nempe materia et vis vitalis: ergo aut a materia desumitur aut a vi vitali quod idem in sua substantia perseverat; non autem desumitur a materia, nam ipsa jugiter et totaliter renovatur per nutritionem: ergo a vi vitali desumitur.

2.° Vis vitalis semper eadem perseverat sub innovatione materiae. Ergo aut est accidens aut est quid substantiale; si est quid substantiale, habetur intentus; si est quid accidentale etiam habetur intentus, quia sequitur quod supponat substantiam a materia distinctam in qua et a qua sit: quae substantia debet esse quid vitale, secus non posset esse primum principium hujus accidentis quod est vis vitalis.

3.° Vis vitalis corporis viventis est id per quod corpus vivens in sua essentia substantiali et a corporibus non viventibus distinguitur substantialiter. Atqui quod est hujusmodi est quid substantiale. Ergo vis vitalis corporis viventis est quid substantiale. — *Prob. maj.:* Esse vivum est quid substantiale, cum per esse vivum corpus constituatur in specie viventis, secundum quam ab aliis corporibus specie differt. Atqui corpus vivum nonnisi a vi vitali habet esse vivum. Ergo vis vitalis corporis viventis est id, per quod corpus vivens constituitur in sua specie substantiali et differt ab aliis.

259. **Conclusio II.** — *Vis vitalis est forma substantialis corporis viventis.*

Prob.: Vis vitalis est principium activum dans esse substantiale corpori viventi et specificans et distinguens ipsum (concl. praec.). Sed principium activum dans esse substantiale corpori et specificans ipsum est forma substantialis illius (n. 196). Ergo vis vitalis corporis est forma substantialis illius.

260. **Conclusio III.** — *Vis vitalis in vegetalibus puris non est in se et per se subsistens.*

Prob.: Quod tale est ut non possit esse extra materiam et a materia separatum non est in se et per se subsistens quasi scilicet independens a materia. Atqui vis vitalis in vegetalibus puris talis est ut non possit esse extra materiam et a materia separata quasi scilicet habeat esse separatum a materia. Ergo vis vitalis in puris vegetalibus non est in se et per se subsistens. — *Prob. minor* ex eo quod vis vitalis vegetalium non habet operationem ullam independentem a materia, nam ipsa vegetatio quae est propria et specifica operatio ipsius et nobilissima inter ejus omnes operationes non exercetur nisi in materia et per materiam idest omnino dependenter subjective a materia, nam ipsum corpus organicum est, idest compositum ex materia et vi illa vitali quod vegetat et alias operationes exercet.

261. **Conclusio IV.** — *Vis vitalis non potest esse a materia sicut a principio activo.* — Haec conclusio si intelligatur de materia prima manifesta est, nam materia prima est principium pure passivum (n. 196); igitur probandum est quod ex materia secunda (n. 165) non viva non potest esse vis vitalis; itaque.

Prob.: 1.° Principium actionis immanentis non potest esse ab eo quod est exclusive principium actionis transeuntis. Atqui vis vitalis est principium actionis immanentis, et materia seu corpus non vivens est exclusive principium actionis transeuntis. Ergo vis vitalis non potest esse a materia seu a corpore non vivente. — *Prob. maj.:* Actio immanens non potest esse ab eo quod est exclusive principium actionis transeuntis: ergo a fortiori principium actionis immanentis non potest esse a tali principio. *Minor patet,* non enim actio vitalis potest esse a corpore non vivente.

2.° Si vis vitalis esset a materia, esset admittenda generatio spontanea (saltem ut possibilis) quae tamen absurda est, et factis experimentalibus opponitur ut ipsimet antivitalistae concedunt.

262. **Conclusio V.** — *Vis vitalis non potest esse a viribus mechanicis, aut chymicis, neque potest esse vis alicujus machinae quantumvis elaboratae ab ingenio humano.*

Prob.: 1.° Vis vitalis importat actionem ab intrinseco immanentem, secundum quam multa diriguntur in unum, quod habet esse simpliciter; insuper importat per se rationem principii activi et motus in ordine ad per se unum. Atqui vires physicae, aut chymicae, aut mechanicae non important actionem ab intrinseco principio immanentem, secundum quam multa dirigantur et ordinentur in unum esse simpliciter; neque per se important rationem principii activi in ordine ad aliquid per se unum. Ergo vis vitalis non potest esse a viribus mechanicis, aut physicis, aut chymicis. — *Maj. patet* nam vis vitalis, quae est una et simplex et substantialis, per nutritionem, aut per augmentum omnia quae operatur in individuo ad unum esse simpliciter per actionem immanentem illius individui ordinat et dirigit; et quatenus est generativa ad esse alterius individui ejusdem speciei, quod est unum simpliciter, ordinatur. *Minor* autem *prob.:* Vires physicae sive chymicae, sive mechanicae sunt vires mere corporeae, cum ex viribus materiae brutae expertis vi vitali procedant, et ideo earum actiones non sunt immanentes, sed transeuntes, idest habentes effectum in aliqua re ab agente distincta (1); insuper tales actiones, cum non sint ab aliquo

(1) Mercier sequenti exemplo explicat vires seu actiones chymicas non esse immanentes: Assumantur duo corpora inorganica e. g. *clorum* et *sodium* ex quorum combinatione resultat *clorurum* ex *sodio*. Cum sive naturaliter sive etiam artificia-

uno, quod habet unum esse simpliciter, non possunt ordinare et dirigere ea, quae operantur ad aliquid unum simpliciter; nam multa non possunt esse causa illius quod est per se unum et proinde neque unius ordinis et directionis per se loquendo, sed ad summum hoc habent ab aliquo principio extrinseco.

2.° In quolibet organismo sive complexo ex pluribus vel etiam ex multis cellulis resultante, sive unicellulari habetur varietas et multiplicitas elementorum (n. 232) sicut etiam multiplicitas et varietas virium, tum mechanicarum, tum physicarum, tum etiam chymicarum (n. 242); quae omnia in unitate quadam ordinatissima procedunt mira harmonia in unum esse conspirando, idest ad ipsum organismum efformandum, augendum, restaurandum et in eadem specie multiplicandum. Atqui hujus mirae unitatis, harmoniae et ordinatae conspirationis elementorum tam diversorum, et virium in unum, debet adsignari aliqua una ratio fundamentalis, quae omnia haec simul colligat, teneat, ordinet, dirigat, ab his omnibus distincta, imo et diversa, et

---

liter uniuntur simul per chymicam combinationem mutuo inter se se invicem agunt, ita scilicet ut actio unius ad alterum tendat et in altero terminetur, ut tertium aliquod producatur idest *clorurum* ex *sodio* quod certe non est simplex aggregatio utrorumque, sed substantia per se una ab utroque elemento diversa. — Sed in nutritione cellulae phaenomenon omnino diversum habetur, alimentum enim quod adsumitur ad nutritionem cellulae sive ab extrinseco assumatur directe, sive ex sanguine qui in organismo circumagit derivetur, non efformat cum cellula aliquod tertium ab ipsa cellula diversum et distinctum. Alimentum enim deservit ad ipsam cellulam nutriendam, augendam et multiplicandam. Unde ipsa cellula est terminus actionis nutritivae, quae proinde manet in cellula a qua et in qua est, et ideo est actio immanens. (l. c. n. 21): Advertit insuper citatus auctor nolle adserere omnia phaenomena mechanica aut physico-chymica cellulae esse immanentia, imo multa esse transeuntia (Cf. n. 242).

consequenter ab his non derivata, quae apte dici potest vis vitalis et primum principium vitae. Ergo vis vitalis seu primum principium vitae nequit esse a viribus mechanicis, aut physicis, aut chymicis etc. — *Declaratur minor:* Nam si ratio hujus unitatis, ordinis, harmoniae est in hujusmodi elementis aut viribus, aut est in eis singillatim sumptis, aut simul sumptis; non est in eis singillatim sumptis, nam si singillatim sumantur impossibile est ut sint causa et ratio vitae, secus vita semper haberetur ubi essent ipsa singillatim sumpta, cum agant non ex arbitrio, sed ex necessitate naturae; sed neque potest esse ex eis simul sumptis, nam si simul sumantur, vel considerantur ut ordinata modo praedicto, et tunc *ratio* hujus ordinis, hoc est quod quaeritur; vel considerantur sine ordine, confuse et sine harmonia posita, sed casu et temeritate; et tunc etiam impossibile est ex eis haberi ordinem, harmoniam, determinatam proportionem, conspirationem in unum etc. et rationem seu causam horum (1).

3.° Vis vitalis importat semoventiam in corporibus viventibus seu quod corpus vivens moveat se, importat spontaneitatem, immanentiam actionis, quod corpus seu organismus perficiat et efformet se ipsum, importat plasticitatem, vim quasi inexaustam ex qua efformatur et renovatur organismus intra limites ejusdem typi vel speciei. Atqui haec omnia haberi nequeunt a viribus chymicis et mechanicis, per quas nullo modo haec phaenomena explicari possunt. Ergo vis vitalis ad vires chimicas aut mecha-

---

(1) Cf. S. Thom., Comm. de anima, lect. 7; et MERCIER, l. c., n. 29.

nicas reduci non potest. — *Prob. minor* ex facto et ex confessione ipsorum adversariorum cultorum scilicet scientiarum naturalium illorum specialiter qui antivitalismum profitentur. Ipsemet antivitalista Hyrtl ait: « Hypothesis vis vitalis est omnino necessaria in actualibus scientiae conditionibus, etenim neque viribus physicis, neque viribus chymicis possibile est explicare phaenomena vitalia. Si corporis organici cineres solum substantias quae continentur in materia bruta continent ex hoc non licet inferre vitam talis corporis esse effectum horum elementorum inorganicorum. Absque dubio poetice dici poterit moleculam ferream eadem permanere sive in terra reperiatur sive per spatia circumferatur, sive in gutta sanguinis viscera animalis permeat; sed tamen physiologia nunquam hanc molecolam ferream in sanguine viventis adinvenire poterit, ipsa enim nonnisi in cineribus sanguinis invenitur. Quid ergo fit in sanguine vivo? Est ei omnino impossibile conservare omnes proprietates ad ipsam pertinentes secus a magnete attraheretur et extraheretur ex sanguine. Quid autem de ipsa contingat in corpore vivente nescimus. Chymia non corpora viventia sed mortua examinat ultra quae nihil potest » (1). Bernard antivitalista scribit: « Vis evolutiva seu vis evolutionis in ovulo immanens constituere videtur id *quod est proprium* vitae, cum manifeste appareat hanc proprietatem evolutivam ovi mammiferi, avis aut piscis productivam neque ad *physicam*, neque ad *chymicam* pertinere » (2). Resta antivitali-

(1) *Anatomia dell' uomo*, pag. 5.
(2) *La scienza esper.*, pag. 38.

sta dicit : « Constitutionem physico-chymicam substantiarum organicarum phaenomenibus seu explicationibus vitalibus organismi favere, imo et ut conditionem necessariam requiri manifestum est, sed quod hujusmodi manifestationes possint ad pura phaenomena physica et chymica quae in materia inorganica inveniuntur reduci non videtur posse substineri. Vita in organismis simul cum proprietatibus chymicis et physicis substantiarum quibus eorum corpus constituitur coexistit, sed *aliquid majus* et quid differens importat » (1). Alii plures biologi antivitalistae citari possent (2) qui velint, aut nolint coguntur admittere vim vitalem aliquam (quam quidam ipsorum dicunt ignotam) hyperphysicam et hyperchymicam, materiae ut ipsi dicunt consubstantialem, ad explicanda phaenomena vitae, licet quidam ex ipsis illam vim, quam inesse corporibus scientia biologica evidenter docet, ut aliquid mere subjectivum habeant omnem objectivitatem ei negantes. Videlicet subjectivismum Kantianum in hac re amplectuntur potius quam prejudicio contra animismum valedicant. Sed de subjectivismo Kantiano in praesenti nihil dicendum, de ipso enim egimus in logica (n. 314) et iterum agetur in anthropologia. — Itaque nostra conclusio tam evidenter apparet conformis biologicae scientiae ut formulae doctissimorum biologorum nostri temporis admittentium vim supra vires physicas et chymicas materiae, consubstantialem, simul coordinatae, quibusdam mendis levioris momenti appositis, in modo dicendi cum

---

(1) *Trattato di Anatomia e Fisiologia comparata.* Milano, 1894, Hoepli, pag. 17.

(2) Cf. Luigi Chiesa. *La biomeccanica,* ecc. Desclée, 1905.

St. Albert's Colle

formula Aristotelica et scholastica conveniant quae his verbis exprimitur: Actus primus corporis physici organici potentiam vitam habentis (1).

---

(1) « *La Biologia moderna*, ait Luigi Chiesa, con le sue brillanti scoperte pone nuovo suggello alla dottrina tradizionale circa il concetto della vita. Tolti gli equivoci, dileguati i malintesi, il verdetto della scienza positiva e il verdetto della filosofia tradizionale coincidono esattamente.

Le formule del Wallace, del Naegeli, dell'Askenasy, del Preyer, del Fechner, dell'Agassiz, del De Baer, del De Beaumont, del Blanchard, del Braun, del Brogniard, del Bronn, del Burmeister, del Delff, del Milne Edwards, del Flourens, del Coeppert, del Grisebach, dell' Heer, del Koelliker, del Mivart, del Quatrefrages, del Queenstd, dello Spiess, del Volger, del Wagner e degli altri biologi che abbiam sopra riferite coordinate insieme, forbite da qualche neo e da qualche inesattezza di linguaggio convergono tutte verso una formola suprema, la formola Aristotelica », pag. 67-68. — Et pag. 50: recensitis et expositis doctrinis ipsorum antivitalistarum concludit quod ex Biologia moderna hae conclusiones deducuntur evidentissime: « La vita non procede da un principio spirituale, non procede da un principio dotato di sussistenza propria (*non est sermo de homine de quo dicetur infra*); essa procede da un principio come vuole il Robin, consustanziale alla materia; questo principio dinamico è superiore ai principi dinamici delle sostanze minerali, ed anche delle sostanze organiche ed organizzate prive di vita; questo principio quindi deve investire gli elementi materiali che posson partecipare alla vita e conferire ad essi una elevazione ontologica e dinamica, mediante la quale il carbonio, l' ossigeno, l' idrogeno, l' azoto ecc., deposta l' inerzia propria del mondo inorganico, acquistano la semovenza, la spontaneità e tutte le proprietà transcendenti dell' organismo vivente. Questi elementi materiali, che ora fremono e palpitano di vita sono trasformati, elevati, nobilitati; prima aveano la vita solo *in potenza*, ora l' hanno in atto; quindi essi hanno ricevuto una nuova *attuazione* o determinazione in vigore del detto principio. E questo principio, questa X non sussistente nè spirituale, questa X consustanziale alla materia che investe gli elementi chimici e li trasforma e li attira e li spoglia dell' inerzia e gettan-

263. Origo et finalitas viventis. — I. Omne vivens ergo a vivente esse oportet. Quae nostra adsertio non solum ex dictis evidentissime habetur, sed etiam ex experientiis pluries repetitis a multis et quidem valentissimis naturalistis, quos inter eminent

---

doli nel vortice della vita dona ad essi una elevazione ontologica e dinamica e li abilita alle operazioni vitali, che cos'è? Riunite tutte queste formole imperfette, tutte queste espressioni unilaterali, fondetele tutte in una sola formola luminosa e potente, essa dovrà in fondo coincidere con la classica definizione aristotelica dell'anima. — « Attualità prima del corpo naturale organico che è in potenza alla vita (cioè alle operazioni vitali) ». Plura prosequitur praelaudatus auctor citans S. Thomam, De anima I, 2. — Sed digna sunt quae transcribantur sequentia in confirmationem veritatis adsertae: « Considerate ad esempio un grammo di carbonio che venga assimilato da un organismo vivente. Compiuta l'assimilazione, quel carbonio non è distrutto, ma d'altra parte, esiste forse nelle cellule con quelle proprietà e con quelle attitudini dinamiche che prima aveva? Non è forse avvenuta una profonda trasformazione? Non partecipa forse alla vita delle cellule? Non ha forse acquistato anche esso quelle mirabili proprietà della semovenza, dell'azione spontanea ecc. che sono le note caratteristiche della vita? È questa nuova fioritura di proprietà sarebbe mai possibile se il carbonio non fosse stato investito, modificato, attuato intrinsecamente da un principio più poderoso? E questo principio intrinseco alla materia organizzata che trasforma il carbonio e gli altri elementi chimici in sostanze viventi non corrisponde forse a capello alla forma sostanziale, (*μορφή*, *εἶδος*) all'attualità prima (*ἐντελεχείᾳ ἡ πρώτη*) di Aristotele? (Cf. supra n. 190). Quando il Robin, il Landois e gli altri biologi proclamano che la vita è consustanziale intrinseca alla materia organizzata credon di enunziare un concetto nuovo in opposizione al vitalismo; ma questo concetto è in antitesi col vitalismo esagerato, non col vitalismo tradizionale; anzi esso è la traduzione precisa ed esatta della formola aristotelica *attualità prima*. Tale formola adunque è in perfetta armonia con le esigenze della scienza biologica ». Ivi pag. 52. —

Redi, Schwann, P. Van Renedem, Pasteur, Tyndall, confirmatur (1).

II. Ex quo ulterius concluditur vitam ab initio ab auctore ipsius naturae originem duxisse; nisi fortasse adsurde dicatur vitam nullam habuisse originem.

III. Sequitur etiam ex probatione conclusionum praesentis quaestionis viventia tendere in finem et per legem finalitatis dirigi, non autem casu et coeco modo, nam harmonice et ordinate, quaelibet in propria specie semper ad unum tendunt quasi fixum et stabile in exercitio suarum virium, idest ad seipsa in suo organismo efformanda, restauranda, augenda et ulterius reproducenda ut propria species perpetuetur. Ea enim quae casu et fortuitu procedunt non in unum tendunt per se, et modo constanti (cf. supra n. 119-137).

264. **Obj.** — Materialistae objiciunt: In animalibus quaedam organa sunt quae rudimentalia dicuntur, quae nullam habent aut habere possunt functionem. Ergo ad finem non ordinantur.

---

(1) Cf. plures jam laudatus MERCIER (l. c., n. 38) qui inter alia dicit: « Oggi non vi è più un solo scienziato che osi, in nome dell'osservazione, ammettere la produzione di esseri viventi senza genitori mediante l'azione esclusiva di agenti inorganici ». Et infra addit: « I fautori della generazione spontanea credettero pienamente provata la loro teoria quando il microscopio rivelò un nuovo mondo di organismi in apparenza così simili agli atomi della materia da far credere cosa facile il passaggio da questa alla vita. Infusori animali e vegetali esposte all'aria aperta furono trovate formicolanti di creature, visibili solamente col microscopio. La difficoltà di assegnare un'origine a questi infusori, condusse naturalmente alla supposizione dell'eterogenesi. — Ma le accurate osservazioni di Pasteur e di Tyndall dimostrarono in modo decisivo e completo che ciò che comunica la vita a questi infusori sono esseri viventi organici che vivono nell'atmosfera e si depongono dappertutto dove può entrare l'aria libera ».

Resp.: 1.° Transmisso *antec.*, dist. *conseq.:* Ad finem non ordinantur *organa* illa rudimentalia *transeat*, alia quae ab illis organis distinguuntur *nego*. Argumentum peccat contra logicam, quia ex quibusdam tantum concluditur de omnibus; nam etiamsi detur quod haec organa rudimentalia vocata non ordinentur ad aliquid unum, multa sunt quae manifestissime ordinantur in unum; unde si de illis negatur finalitas, non tamen de his debet negari, imo debet affirmari, quia conceditur haec habere propriam functionem ad aliquid unum commune ordinatam. — Unde ex argumento si concederetur *antec.* sequeretur ad summum quod illa rudimenta essent defectus naturae.

Resp. 2.° Ad *antec.:* Quamvis non cognoscantur functiones illorum organorum non sequitur ea functiones nullas habere; nam multa a recentioribus ignorantur, neque tamen sequitur ea non esse, et stultum est nolle admittere nisi ea quae a nobis cognoscuntur, plura enim progressu temporis nota fient. Unde « nonnulla organa quae inter rudimentalia recensebantur nunc functionem aliquam habere jam inventa sunt »(1). Imo ex ipsis principiis adversariorum deducitur illa organa aliquam habere functionem, si enim nullam habuissent functionem quomodo potuissent juxta principia positivistarum perseverare in esse? nam sicut « organa vi illius legis naturalis quam vocant accomodationis (vulgo: *dell'adattamento*) usu continuato augentur, et roborantur, ita desuetudine infirmantur decrescunt, atrophizantur » (2), destruuntur. Addendum est etiam quod materialistae et evolutionistae dogmatice negantes, ex eo quod non cognoscuntur

---

(1) Per., *Div. Th.*, a. XXIV (1903), pag. 623.
(2) Ib., pag. 624.

organa sive rudimentalia sive alia, nullas habere functiones et officia, progressum scientiae physiologicae omnino perimunt atque quaestiones quae in ipsa moventur vanas omnino proclamant (cf. supra n. 137) (1).

Caput XXXI.

De simplicitate vis vitalis.

265. **Simplicitas vis vitalis et divisibilitas.** — Quoad simplicitatem aut divisibilitatem vis vitalis seu animae non potest dari aliqua responsio communis sed oportet distinctione uti. — Imprimis anima humana simplex omnino et indivisibilis admittenda est; quod patet ex ejus operatione intelligere et velle, quae sunt operationes simplices omnino, ut suo loco dicetur. — Sed si fiat sermo de vi vitali plantarum aut animalium, non eadem est philosophorum, etiam cordatiorum opinio. Quidam enim affirmative sine ulla distinctione respondent. Alii negative de vi vitali plantarum; de animalibus vero distinguunt concedentes indivisibilitatem et simplicitatem perfectioribus, negantes autem imperfectis; alii autem inter quos Mercier (2) dicunt animam brutorum non esse neque divisibilem, neque indivisibilem ut talem, seu per se, quia ut talis idest per se non existit. Itaque respondetur:

---

(1) Cf. nostram *Introd. ad Sacr. Theol.*, p. I, c. VII. — Cf. Prof. Tuccimei, *Fede e Scienza*, N. 26, Pustet, 1904.

(2) l. c., n. 150.

266. **Conclusio I.** — *Nulla anima brutorum aut plantarum est divisibilis per se.*

Prob.: Quod non potest dividi in se acceptum independenter a re in qua est non est divisibile *per se.* Atqui anima brutorum animalium et a fortiori anima plantarum si consideretur in se non potest dividi independenter a re seu a corpore in quo est. Ergo anima brutorum et plantarum non est divisibilis per se. — *Prob. minor :* Anima brutorum aut plantarum si consideretur in se, esse non potest independenter a corpore in quo est, ergo neque sic considerata potest dividi.

267. **Conclusio II.** — *Animae brutorum quorumdam aut plantarum per accidens dividi possunt, et ideo per accidens sunt divisibiles* (1).

Prob. : Illa per accidens dividi dicuntur quae remanent divisa ex divisione rei seu subjecti in quo sunt. Atqui ex divisione animalium quorumdam et plantarum animae ipsorum remanent divisae. Ergo animae quorumdam animalium et plantarum per accidens sunt divisibiles. — *Prob. minor ex facto* de animalibus quae dicuntur annulosa, nam haec vivunt etiam in partes divisa ac si essent tot animalia quot sunt partes in quas dividuntur; non enim haec vita in diversis partibus divisa importat productionem novarum animarum quasi scilicet habeantur novae generationes animalium. — Quilibet ergo organismus divisus vivit vita qua prius vivebat; ratio est quia quaelibet pars divisa vivens est instructa omnibus partibus vel organis ad motum et sensum necessariis et ideo vita et anima in qualibet parte manet. — Eadem ratio afferri potest pro anima plantarum.

(1) S. Th., p. I, qu. LXXVI, a. VII ; et II de Anima, lect. 4.

268. **Conclusio III.** — *Anima multorum animalium neque per se, neque per accidens dividi potest.*

Prob.: Si anima multorum animalium puta equi, bovis, canis etc. posset dividi per accidens idest ad divisionem corporis animalis, hoc esset aut post ipsam conceptionem animalis, dum scilicet animal habetur, aut ante ipsam animalis conceptionem in actu generationis, vel in actu ordinato ad generationem, cum scilicet *cellula* a mare vel a foemina separatur. Atqui 1.° non post conceptionem; nam post conceptionem et nativitatem in multis animantibus si individuum dividatur quocumque modo in partes, e. g. equus, non possunt haberi duo individua viventia, idest duae animae quasi singulae in singulis; 2.° sed neque ante conceptionem in actione scilicet quae tendit ad generationem, in multis animalibus; nam novum individuum non procedit ex uno animali tantum, sed ex duobus, videlicet ex mare et ex foemina. — Unde cellula unius tantum quae dividitur in ipso actu generationis non continet functiones omnes vitae, idest nutritionem, augmentum et reproductionem, proinde neque novum animal, et ideo neque novam animam. Sed novum animal habetur ex unione duarum cellularum maris scilicet et foeminae. In multis ergo animalibus animal individuum non potest dividi in duo viventia, neque proinde una anima in duas animas.

269. **Conclusio IV.** — *Vis vitalis cujuscumque viventis sive unicellarii, sive provenientis ex cellulis duabus tantum maris scilicet et foeminae, si consideretur in se quoad suam rationem substantialitatis praecisa ab extensione cui ex hoc ipso quod est in toto conjungitur, est indivisibilis omnino.*

Prob.: Vis vitalis cujuscumque viventis est quid substantiale et principium primum unitatis corporis

viventis quod est unum simpliciter utpote habens unum esse simpliciter. Atqui principium substantiale unitatis simpliciter sumptae seu principium primum unius esse simpliciter non potest esse aliquid divisibile. Ergo vis vitalis in se considerata idest in sua essentia substantiali non est divisibilis. *Prob. minor* ex eo quod secus non posset esse principium primum unius esse simpliciter idest viventis. — Insuper si supponatur ipsam esse divisibilem in partes essentiae tunc quaerimus an ipsa importet unum esse simpliciter resultans ex illis partibus ; si dicatur ipsam non importare unum esse simpliciter ex illis duabus partibus essentiae conflatum, tunc sequitur quod non habet unitatem, et ideo non potest esse causa et ratio ut habeatur vivens quod habet unum esse simpliciter ; si autem dicatur habere unum esse seu unitatem simpliciter tunc quaeritur ratio et causa hujus unitatis, quae procul dubio debet esse aliquod principium substantiale et omnino indivisibile in partes essentiae secus esset procedere in infinitum. Et ideo in omnibus viventibus oportet devenire ad aliquod principium substantiale quod in sua essentia consideratum importet indivisibilitatem ita ut non habeat partes essentiae seu substantiales (1).

---

(1) Cf. S. Th., p. I, qu. LXXVI, a. VIII, c.

Caput XXXII.

De animalibus.

(Zigliara, *Psych.* l. I., c. II., a. III.; Tissot, *Anthropol. Sp.* p. I. c. II: Sect. II).

270. **Ratio capitis.** — De vegetali vita in specie nihil dicimus quia nobis in hoc compendio in quo brevitati studemus satis esse videntur ea quae egimus de vita in genere, nam haec omnia quae disseruimus de vita in genere vegetalibus applicari pos sunt; insuper quaedam addemus specialiter in anthropologia. Igitur statim de vita animali agere incipimus, de qua tamen solum principaliora attingere intendimus juxta exigentiam nostri compendii. Unde agemus de ipsis animalibus, de eorum primo principio vitae idest de anima, de ejus facultatibus seu de sensibus atque de ipsa sensatione.

271. **Distinctio vitae animalis et vitae vegetalis generice considerata.** — Abstracte loquendo facile esse videtur adsignare differentiam inter vitam vegetalem et vitam animalem. Character seu distinctivum vitae animalis a vegetali a sensatione desumitur; unde animal illa substantia vivens dicitur quae ad sentiendum ordinatur; vita autem vegetalis importat solum nutritionem, augmentum et reproductionem in eadem specie, quae tamen importantur etiam in vita animali. Sed in concreto difficile quandoque est discernere an aliqua substantia vita praedita sit vegetali tantum vel etiam sensitiva, licet ut in pluribus quam facillime discerni possit (1).

(1) Ad rem faciunt quae habet Milne Edwards (*Zoologie*, 3 ed., p. 10 e 11); ait enim: « Il limite tra il regno animale e il vegetale non è sempre così facile a riconoscersi come si potrebbe credere a prima vista, perchè si danno esseri di

272. **Numerus animalium.** — Numerus specierum animalium valde magnus est; *zoologi* testantur fuisse adinventa ultra decies centena millia specierum animalium. Longum esset omnes species enumerare et extra propositum nostrum, sicut etiam longum esset eas in classes distribuere prout consuevit apud zoologiae tractatores; unde nos contenti erimus divisionem in praecipuas classes tradere.

273. **Diversae classificationes animalium.** — Diversae sunt classificationes animalium, videlicet naturalis, artificialis, et philogenica seu moderna. *Prima* desumitur ex convenientia, ex similitudine in natura, ex dissimilitudine et disconvenientia; *secunda* desumitur ex convenientia quae attenditur in aliquo membro determinato, puta in organo motus, et ita secundum hanc classificationem contingit ut uniantur simul diversissima animalia, ut e. g. aves, serpentes, vermes etc. Haec tamen divisio est parum scientifica. *Tertium* genus classificationis, quae dicitur philogenica in eo consistit quod animalia dividuntur iuxta

---

una grande semplicità di struttura, che sembrano stabilire il passaggio fra questi due gruppi e che mettono qualche volta il naturalista in imbarazzo allorchè cerca di classificarli, ma nell' immensa maggioranza dei casi niente è più facile che distinguere un animale da una pianta e le incertezze di cui abbiamo or ora parlato son forse dovute piuttosto all' imperfezione delle nostre cognizioni che alla natura delle cose. Perciò non conviene che noi ci arrestiamo qui, e possiam dire in un modo generale che gli animali differiscono dalle piante per caratteri di un' alta importanza dedotti a un tempo dalla natura dei fenomeni nei quali si manifesta la vita in questi esseri, dal loro modo di struttura e dalla composizione chimica delle principali materie costituenti il loro corpo.... I vegetali son corpi che si nutrono o posson riprodursi, ma non sentono nè si muovono volontariamente. Gli animali invece son corpi che si nutrono, si riproducono, sentono e si muovono volontariamente ». Cf. MERCIER, l. c., n. 148.

legem praesuppositam, quod nempe prius vixerint animalia imperfectiora et inde perfectiora; et hoc erui dicunt ex reliquiis fossilium quae in variis stratis telluris adinventa sunt. Nos primam, secundam, et tertiam classificationis speciem per summa capita sub oculis subjiciemus; et quidem prout ab Aristotele et Linnaeo et Cuvier exponitur, et prout traditur a C. Claus.

274. **Classificatio animalium ab Aristotele tradita.** — Aristoteles (384-322, a. C. N.) dici potest primus qui classificationem scientificam animalium dedisse traditur. Divisit autem animalia cum sanguine, et animalia sine sanguine. Priora nunc dicuntur *Vertebrata*, posteriora *Invertebrata*. Non tamen putandum est posteriora revera sanguine carere, sed eorum sanguis *ruber* non est.

Animalia cum *sanguine* ita subdividuntur:

1.° *Vivipara.*
2.° *Aves.*
3.° Quadrupedia ovipara.
4.° Pisces.

Animalia sine sanguine ita subdividuntur:

1.° Mollusca
2.° Crostacea
3.° Insecta
4.° Testacea.

275. **Classificatio animalium tradita a Linnaeo.** — Linnaeus (a. 1737) classificationem artificialem tradidit ex colore et ex calore sanguinis, nam sanguis animalium alius est *rubeus calidus*, alius *rubeus frigidus*, alius est *albus;* sed inde alias subdivisiones adiunxit, sive ex corde, sive ex respiratione, sive etiam ex organis reproductionis.

Animalia cum sanguine rubro et calido:

I. *Mammifera* seu *Mammalia*, seu *Vivipara*, cor cum duobus ventriculis et duobus atriis. — Sub quibus continentur, 1.° Primates, 2.° Bruta, 3.° Ferae, 4.° Glires, 5.° Pecora, 6.° Belluae, 7.° Cetae.

II. *Aves*. Cor cum duobus ventriculis et duobus atriis, *ovipara*. — Sub quibus continentur: 1.° Accipitres, 2.° Picae, 3.° Anseres, 4.° Gallinae, 5.° Passeres.

Animalia cum sanguine rubro et frigido:

III. *Amphibia*. Cor cum uno ventriculo et uno atrio, respiratio pulmunaris. — Sub quibus continentur: 1.° Reptilia, 2.° Serpentes.

IV. *Pisces*. Cor cum uno ventriculo et uno atrio, respiratio branchialis. — Sub quibus continentur: 1.° Apodes, 2.° Jagulares, 3.° Thoracici, 5.° Abdominales, 5.° Branchiostegi, 6. Condropterygii.

Animalia cum sanguine albo:

V. *Insepta*. Cor simplex habent. — Sanguinem album, antennas articulatas. — Sub quibus continentur: 1.° Tisanura, 2.° Ortoptera, 3.° Pseudoneuroptera, 4.° Hemiptera, 5.° Diptera, 6.° Lepidoptera, 7.° Neuroptera, 8.° Coleoptera, 9.° Hymenoptera.

VI. *Vermes*. Cor simplex habentes et Sanguinem album. Tentacula inarticulata. Respirationem branchialem. — Sub quibus continentur: 1.° Rotifera. 2.° Gefirea, 3.° Anelloida. Quidam sub vermibus ponunt etiam Molluscoida propter affinitatem quam habent cum ipsis.

VII. *Molluscoida*. Animalia aquatica scheletro orbata, et inarticulata sunt. — Sub quibus continentur sequentes ordines: 1.° Briozoa, 2.° Brachiopoda.

VIII. *Mollusca*. Animalia sunt sine scheletro, corpus habent molle, inarticulatum, pelle musculari involutum. — Sub quibus continentur: 1.° Acephala 2.° Cephalophora.

276. **Classificatio animalium tradita a Lamarkio.** — Lamarkius (1744-1829) non a sanguinis colore, sed a vertebratione classificavit animalia; unde distinxit ea in *vertebrata* et in *invertebrata.*

Sub vertebratis continentur: 1.° Mammifera, 2.° Aves, 3.° Reptilia, 4.° Pisces. — Sub invertebratis vero continentur animalia omnia inferiora quae subdividuntur in articulata et in inarticulata.

277. **Classificatio a Cuvier tradita.** — Cuvier (1769-1832) retenta divisione Lamarkii subdivisit *articulata* in *crostacea branchialia* et *insecta trachealia,* et inarticulata subdivisit in *mollusca* et in *zoophita* sive *radiata.*

278. **Classificatio filogenica tradita a C. Claus** (1). — Nunc affertur exemplum classificationis filogenicae prout tradit Claus:

1.° Protozoa
2.° Coelenterata
3.° Echinodermata
4.° Vermes
5.° Artropoda
6.° Molluscoida
7.° Mollusca
8.° Tunicata
9.° Vertebrata.

Vertebrata autem subdividuntur ut sequitur;

1.° Pisces
2.° Amphibia
3.° Reptilia
4.° Aves
5.° Mammifera

Haec pro modulo nostro sufficiant. Qui plura cupit adeat tractatus zoologicos qui multi sunt (2).

(1) ZEHENBUECH, *der Zoologie*, Marburg, 1897.

(2) Inter alios consuli potest Prof. TUCCIMEI, *Elementi di Zoologia* per uso degli Istituti etc. 1900. MICHELETTI, *Anatomia e fisiologia animale.* Parte II, Torino, 1899.

CAPUT XXXIII.

De primo principio vitae seu de anima animalium

(ZIGLIARA, *Psycol.* lib. I, cap. II; LEPIDI. l. c. cap. IV; LIBERATORE, l. c., art. III, IV, V; SCHIFFINI, l. c., sect. V; MERCIER, *Psycolog.*, v. I, par. II, n. 117 et 137 HUGON, WILLEMS).

279. **Quid senserint philosophi circa vitam animalium.** — Quidam antiqui philosophi posuerunt bruta animalia non esse animata; quam sententiam renovavit Cartesius, ut quibusdam videtur; ipsam amplexati sunt Cartesiani. Docent igitur ipsi bruta animantia esse pura automata, seu esse veluti quasdam machinas, quae ordinatissime suas operationes exercent. Unde juxta Cartesianos bruta animalia non sentiunt, quamvis sentire dicantur.

280. **Conclusio.** — *Bruta animantia vere sentiunt, et ideo vera anima sensitiva praedita sunt.*

Prob.: 1.° Ubi sunt organa sensoria omnino ejusdem rationis ac ea sunt, quae reperiuntur in corpore humano, et eadem phaenomena et effectus apparent, ibi est vera sensatio. Atqui in brutis animantibus sunt organa sensoria ejusdem rationis ac sunt ea, quae reperiuntur in corpore humano et insuper eadem phaenomena apparent; canis e. g. coram domino tripudiat et quasi laetatur; quod non contingit si organo visus sit orbatus; item latrat contra extraneum si oculos in ipsum convertat, licet auditu careat; ad cibum accurrit, imo ipsum cibum congruum a non congruo discernit etc. Ergo in animantibus brutis est vera sensatio.

2.° Illud tanquam verum et certum est retinendum cujus negatio non solum falsa, sed etiam ridicula a communi hominum sensu habetur. Atqui negatio sen-

sationis in brutis animantibus non solum ut falsa, sed etiam ut ridicula a sensu communi hominum habetur; nam non solum absurdus, sed etiam ridiculus censeretur si quis serio sensationem esse in brutis animantibus negaret. Ergo in brutis animantibus sensatio ut certissima est retinenda.

3.° Bruta animantia ostendunt ex modo operandi habere conscientiam propriae sensationis. Ergo vere et proprie sentiunt. — *Prob. antec.* Nam bruta animantia se movent ad cibum, fugiunt non solum verberantem, sed etiam eum qui eis verbera minatur. Quod certum indicium est ea habere conscientiam propriae sensationis, idest ea sentire.

281. **Quaestio altera.** — Secundo quaritur an vita sensitiva possit haberi ex temperata harmonia organici corporis, et sensatio consistat in motu fibrillarum simul cum mechanica cerebri reactione. Partem affirmativam docent materialistae recentiores et positivistae reducentes functiones vitae sensitivae aut ad vires mechanicas, aut chymicas, aut physicas (1); sed

(1) Positivistae et Materialistae, ait Mercier, nonnisi tres explicationes tradunt quoad phaenomena psychica idest vitae sensitivae. Quidam (ut Cabanis, Kant, Vogt etc.) ad vires chymicas reducunt ut alimentorum digestionem, aut secretionem bilis mediante jecure; alii (ut Büchner, *force et matière*, 6 ed. p. 322) dicunt talia phaenomena esse vibrationes molecularum aut atomorum; TAINE (*De l'intelligence*, l. IV, c. IV) docet esse aspectum interiorem phaenomeni physici aut chymici. — Facile dictu est factum seu phaenomenon physicum non esse nisi reactionem chymicam, aut motum vibratorium. — Sed hujusmodi explicationes non sunt nisi verba quae rem inintelligibilem reliquunt: a Taine autem quaerimus rationem illius aspectus interioris phaenomeni physici aut chymici; cum ab aliis aspectibus summopere differat, oportet adsignare rationem diversam, quae scilicet est in animali et non in aliis substantiis principium primum illius manifestationis et aspectus, quod nos animam dicimus. (l. c., n. 145).

haec sententia non est nova, cum ab antiquis materialistis admissa fuerit (1).

282. **Conclusio.** — *Temperata harmonia organica corporis non potest considerari ut primum principium vitae sensitivae.*

Prob.: Primum principium sensationis sicut et cujuslibet actionis vitalis non potest esse nisi aliquid substantiale ipsi sentienti intrinsecum, quo sentiens constituitur in sua specie substantiali et quo ab aliis, idest a non sentientibus distinguitur. Atqui temperata harmonia organica corporis non est aliquid substantiale corpori viventi seu sentienti intrinsecum, quo sentiens in sua specie constituitur ab aliis distinctum, cum supponat corpus in sua specie constitutum, imo cum sit aliquid accidentale. Ergo temperata harmonia organica corporis non potest esse primum principium sensationis. — *Prob maj.:* Sensatio est actio vitalis a substantia sentiente vere procedens, in ipsa immanens ipsamque perficiens; imo per sensationem substantia sentiens intelligitur quid sit in sua specie, et quod distinguatur ab aliis substantiis non sentientibus. Atqui sensatio non procederet a substantia sentiente, neque substantia sentiens intelligeretur quid esset in sua specie, neque intelligeretur distingui ab aliis per sensationem, nisi in sentiente esset aliquod principium substantiale, quo sentiens constituitur in sua specie substantiali, quo ab aliis distinguitur, et a quo est ipsa sensatio. Ergo principium primum sensationis in sentiente est aliquod principium substantiale etc.

283. **Corollaria.** — I. Ex quibus patet sensationem non consistere in motu fibrillarum adjuncta reactione cerebri; nam reactio cerebri est actio transiens, motus autem fibrillarum potest esse a principio extrin-

(1) Cf., Rosselli, *Summa Philos.*, pars. IV, qu. XIV, a. I.

seco, quod repugnat actioni vitali. Si vero dicant talem motum esse a principio intrinseco, sequitur quod principium intrinsecum sensationis distinctum a fibrillis vel a cerebro existat in sentiente, et ideo habetur id quod intendimus.

II. Sequitur etiam animam sensitivam brutorum esse formam substantialem illorum, cum sit principium substantiale specificativum ipsorum, nam in brutis animantibus est unum esse simpliciter, idest esse animalis, quod non est nisi ab anima sicut a proprio actu specificante (cap. prec. n. 256).

284. **Quaestio tertia.** — Demonstrata substantialitate animae sensitivae (n. 256 et n. 278), quaeritur de spiritualitate respectu ipsius. Quidam antiqui philosophi quos inter Pythagoras, Anaxagoras, Platonici et omnes, qui animarum transmigrationem docent, videntur concessisse brutis animantibus animam spiritualem. Inter recentiores Montaigne et Florens bruta animantia praedita intelligentia dicunt; imo sermo recentiorum tribuens brutis intelligentiam valde frequenter reperitur.

285. **Conclusio.** — *Anima brutorum non est spiritualis.*

Prob.: Substantia spiritualis proprie loquendo est solummodo illa, quae est intellectu seu ratione et voluntate praedita. Sed anima brutorum non est intellectu et voluntate praedita. Ergo anima brutorum non est substantia spiritualis. — *Prob. minor:* Unaquaelibet res naturaliter non solum attingit objecta suis facultatibus, praecipue nobilissimis propria, sed etiam se attingere talia objecta praebet evidentissima signa: e. g. arbor non solum vegetat, sed praebet signa suae vegetationis, sicut et animal suae sensationis; et hoc est quia unaquaeque res per suas, praecipue nobiliores, operationes ad bonum universi patenter

et manifeste tendit. Atqui bruta animantia per operationes intellectus et voluntatis ad bonum universi concurrere nullum signum praebent. Ergo bruta animantia, et ideo eorum anima, intellectu et voluntate praedita non sunt. — *Prob. minor:* 1.° *Operationis intellectus nullum signum praebent:* nam *primum* signum operationis intellectus naturaliter est quaedam *expressio* mentis in vultu qua animal rem conceptam se velle quasi manifestare significat; *secundum* signum est loquela, seu ipsa actualis conceptus et intellectionis manifestatio, sine qua intellectus praecipue substantiae indigentis, qualis est animal, tormentum est, non perfectio; *tertium* signum est membrum aliquod quod intellectui veluti instrumentum deserviat ad opera artis conficienda, quae sunt propria intellectus; *quartum* signum, quod tamen dependet ex tertio, est progressus quidam in perfectione operum, quae a ratione procedunt; *quintum* signum est admiratio circa insolita, quorum causa ignoratur, et ab intellectu naturaliter inquiritur; *sextum* signum est disciplina illa, quae animi reflexionem exigit; *septimum* signum est sensus religionis, vel aliquid simile, per quod ostendatur substantiam intellectu et ratione praeditam attingere universalia sub ratione necessitatis, immobilitatis, aeternitatis, sub ratione veri, pulchri et honesti. Atqui talia signa nullo modo apparent in brutis animantibus, ut patet singula consideranti. Ergo bruta animantia operationis intellectus nullum signum praebent. — 2.° *Nullum signum praebent operationis voluntatis;* Signa voluntatis sunt: *primum* circa proprias affectiones et cupiditates exercere imperium; *secundum:* naturam corporalem per operationem, praecipue artis, sibi subjicere dominio non transitorio, sed permanenti. Haec autem signa non esse in brutis animantibus evidenter apparet;

nam voluptate et necessitate ad corporalia quasi eis subjecta bruta impelluntur (1). Ergo nullum est in brutis signum operationis voluntatis.

286. **Objectio.** — A quibusdam animantibus brutis quaedam opera producuntur, quae in eis esse principium artis ostendunt, et ideo intellectum; e. g. nidum hirundinis aut domus castoris sunt vere opera artis. Ergo in brutis animantibus vere est intellectus.

Resp. negando consequentiam; imo ex talibus operibus oppositum demonstratur; nam ad ea producenda sufficit instinctus naturae seu inclinatio quaedam naturalis in eis existens; et si consideretur modus quo ab eis procedunt nonnisi ab instinctu determinato et peculiari uniuscujusque esse possunt. Nam quod ab intellectu et ratione ad modum artis procedit, non procedit modo perfecto statim ab initio, sed per studium, per inquisitionem et per disciplinam; proinde hujusmodi opera eo perfectiora procedunt quo magis in his producendis, intellectus exercetur; e contra a brutis animantibus opera propria eodem modo et perfecte semper producuntur, sine studio, sine disciplina, sine progressu et statim ab eorum ortu: omnes castores eodem modo suas conficiunt domus, omnes hirundines eodem modo nidificant. Quare hoc? Quia forsan perfectiori intellectu quam homo ipse, donantur bruta animantia? — Insuper animalia bruta ad perfectiora opera imperfectiorum conficienda sunt inepta, imo difficiliora ab inferioribus perficiuntur quorum quae-

---

(1) S. Thomas sic hanc rationem paucis illustrat loquens de brutis: « Non operantur ad diversa et opposita quasi intellectum habentia, sed sicut a natura mota ad determinatas operationes et uniformes in eadem specie, sicut omnis hirundo similiter nidificat », II. C. G. c. 66.

dam vix homo potest: araneae opus, idest tela, calculi sublimioris leges continere mathematici animadverterunt: quas leges araneam percipere absurde affirmatur (cf. supra n. 136-2ª pars). Ergo nonnisi ex instinctu naturae agentes bestiae sua opera conficiunt (1).

CAPUT XXXIV.

De sensibus animalium.

(*Period. D. Thom.* (1902) fasc. III, ser. 2, v. III, pag. 253; ZIGLIARA, *Physic.*, lib. III, cap. II, art. III; LEPIDI, l. c.; MERCIER, l. c., vol. I, p. II, n. 117-118). HUGON, WILLEMS, ANTONELLI, *Medicina Pastoralis*, v. I.).

287. **Sensus externi animalium recensentur.** — Sensus animalium quidam sunt externi; et sunt *visus, auditus, olfactus, gustus* et *tactus,* de quibus aliqua diximus in logica (n. 265): hi sensus nonnisi objecta exteriora percipiunt: *visus,* qui nobilissimus est inter omnes, ordinatur ad percipiendum colorem, *auditus* ad percipiendum sonum, *olfactus* ad odorem, *gustus* ad saporem et *tactus* ad diversas qualitates corporum percipiendas ordinatur, videlicet ad *calidum, frigidum, durum, molle, humidum* etc. — Horum omnium fundamentalis est *tactus,* qui est per totum corpus diffusus et sine quo alii sensus exerceri non possunt.

288. **Sensus interni recensentur.** — Praeter sensus externos etiam sensus interni in animantibus admittendi sunt, qui quatuor recensentur, videlicet *phantasia,* quae etiam *imaginatio* nuncupatur, *aestimativa, memorativa* sive memoria et *sensus commu-*

(1) Cf. MERCIER, *Psicol.*, v. I, parte II, Trad. it. pag. 265, 6.o et seq. et ROSSELLI, *Summa Philos.*, pars, IV, quaes. XIV, art. II. LEPIDI, l. c.

nis. Phantasiae nomine intelligitur facultas interior vi cujus animal *species* objectorum, quae per sensus externos percipit, modo quasi habituali retinet et conservat, atque reproducit et ex speciebus perceptis novas species efformat in semetipso, licet objecta sensibus externis percepta absentia sint. Hujusmodi facultatem esse in brutis animantibus manifestum est ex eo quod ea, quae sensibus externis perceperunt, quaerunt; e. g. canis quaerit dominum, cibum, domum etc.

289. **Aestimativa est in brutis animantibus.** — Per experientiam notum est bruta animantia ea, quae sunt sibi utilia et nociva discernere; unde ovis fugit lupum, hirundo quaerit paleam et limum ad nidificandum, etc. Haec facultas a scholasticis et communiter a philosophis aestimativa vocatur. Vi hujus facultatis quaedam operantur quandoque bruta, quae opera rationis et intellectus primo aspectu videntur. Aestimativa instinctus etiam dicitur, qui tamen majorem habet extensionem cum dicatur etiam de inclinationibus appetitus etc.

290. **Vis memorativa.** — Non solum in animantibus est vis, qua utilia a nocivis discernunt, sed etiam vis memorandi ea quae noxia, aut utilia esse perceperunt, aut experti sunt; seu est in eis vis quaedam conservandi intentiones utilitatis et nocumenti; canis e. g. non solum hominem gestantem baculum, per quem percussus fuit, sed etiam locum, in quo recepit verbera fugit. Haec *vis* recte *memorativa* appellatur: et ad imaginationem pertinere videtur.

291. **Sensus communis in animantibus.** — Animal non solum objecta exteriora percipit, sed etiam percipit seu sentit se objecta exteriora sentire, ac ea inter se discernit, quod quidem a quolibet recensito sensu praestari non potest, cum unusquisque unice

circa proprium objectum et quidem exterius positum occupetur. Unde alia facultas seu alius sensus ab eis distinctus ponendus est interius, qui recte sensus *communis* dicitur; nam ipse omnia objecta aliorum sensuum, sensationes et subjectum sentiens percipit et discernit. Dicitur etiam sensus *intimus* a scholasticis, et non differt a *conscientia sensitiva,* qua animal sentit se sentire quatenus scilicet ad testificandas affectiones subjecti sentientis ordinatur (cf. I, n. 283). Haec omnia facillime habentur ex iis quae exterius communiter apparent; sed oportet interius sensuum investigare naturam ex recentioribus adinventis quae congruis istrumentis habentur. Quod perficiemus organismum eorum examinando.

292. **Media organica quibus vita animalis exercetur.** — Vita animalis in suo exercitio considerata consistit in *sensatione,* quae dicitur etiam perceptio sensitiva, in *appetitione,* in *locomotione.* Sensatio et appetitio exercetur per systema nerveum, locomotio vero per musculos et per ossa, quae proinde basis materialis dici possunt totius vitae animalis et relationis cum mundo exteriori.

293. **Quid est systema nerveum.** — Systema nerveum constat ex cellulis nerveis et ex fibris (cf. n. 243 et 247), quae originem ducunt ex cellulis tanquam ex centris, et quae se habent quasi organa transmissoria. Fibrae nihil aliud sunt quam prolongationes quaedam cellularum cum quibus systema nerveum constituunt. Cellula, prout importat duas prolongationes (prolungamenti) *unitas nervea*, appellatur a Waloeyer *neuron* (neurone), et dicitur etiam *elementum nerveum* (1).

(1) Cf van Gehuchten, *Le sistème nerveux de l'homme,* 9, pag. 145, Lovanii, 1893.

294. **Systematis nervei divisio.** — Systema nerveum in duas partes dividitur quarum una dicitur *cerebrum spinale* vel *cephalum-rachideum* (cerebellum et medulla), altera pars *sympaticum* appellatur. Systema *cerebrum spinale* sive immediate sive mediante *sympathico* in totum organismum influit.

295. **Systematis cerebri spinalis partes praecipuae.** — Quoad scopum nostrum attinet duae partes praecipuae considerantur in systemate *cerebri spinalis:* pars centralis quae dicitur *axis cerebri spinalis* vel *centra nervea;* et pars peripherica quae importat *organa sensuum* et nervos periphericos.

296. **Natura, origo et divisio praecipua nervorum.** — A prima parte Systematis nervei cerebri spinalis hoc est a medulla cerebri, quae congeriem cellularum importat fibrae nerveae originem ducunt habentes periphericam formam ex quibus constant nervi (1). Nervorum quidam *motores* dicuntur, alii *sensitivi,* alii *mixti.* Sed etiam fibrae distinguuntur in motrices et sensitivas. Ad partem alteram idest

---

(1) Dalla sostanza grigia del midollo spinale, ait laudatus Mercier (l. c., n. 45), dal midollo allungato, dalla protuberanza dei peduncoli cerebrali e dai gangli della base del cervello (ma non dalla sostanza grigia della scorza), partono fibre nervose periferiche che formano col loro insieme i nervi. Explicat autem Mercier quid sit « la sostanza grigia e i gangli » his verbis: « v' hanno nel cervello degli ammassi di cellule nervose in due regioni differenti: uno strato periferico che si chiama « Strato corticale grigio » e masse situate più in basso, che si chiamano gangli della base. *I gangli della base* sono in ciascun emisfero, il talamo ottico, il corpo striato o nucleo caudato e il nucleo lenticolare. I centri dello *strato corticale* si chiamano anche centri psicomotori: difatti essi vengono riguardati come il punto d' arrivo delle sensazioni, e il punto di partenza dei movimenti volontari ». (l. c., n. 42), cf. etiam Prof. TUCCIMEI, *Zoologia,* n. 229.

peripheriam in qua sunt organa sensuum fibrae motrices pervenientes et in musculis terminantes expanduntur in eorum extremitate. Extremitas expansa dicitur italice *placca motrice*. Ibidem terminantur etiam fibrae sensitivae mediante apparatu sensitivo speciali unicuique sensui.

297. **Organa sensuum.** — Ad organa sensuum habenda requiruntur fibrae, nervi, cellulae nerveae. Ita enim haec disponuntur ad organa efformanda: Cellulae nerveae ad centra nervea (cf. n. 291), quae sunt in cerebro, pertinentes junguntur seu communicationem habent cum cellulis, quae in peripheria reperiuntur, mediantibus nervis, qui nihil aliud sunt quam fasces seu congeries fibrarum praedictas cellulas conjugentes. Hujusmodi fasces in eorum decursu stricti sunt, sed in extremitatibus scilicet centrali et peripherica dissociantur et veluti in filamenta aperiuntur seu distribuuntur ad recipiendas exteriorum objectorum impressiones quae transmittuntur ad centra nervosa, ubi sunt cellulae nerveae, mediantibus *fibris* efferentibus quae dicuntur *centripetae*. In hujusmodi filamentis peripheriis fibrarum cum cellulis organa sensuum consistunt (1).

---

(1) De organis sensuum ita loquitur pluries laudatus Mercier: « Posti sulla superficie della pelle e delle mucose, oppure congiunti coi muscoli che servono ad effettuare i nostri movimenti essi subiscono l'influenza meccanica fisica o chimica degli agenti esterni, ne trasmettono il contraccolpo alle cellule centrali dell'encefalo, e del midollo spinale e così c'informano di ciò che avviene intorno a noi. In grazia delle fibre intercentrali e delle fibre motrici che partono dai centri un'impressione partita da qualunque parte periferica, può arrivare se non direttamente almeno coll'ajuto dei circuiti intermedi, a qualunque destinazione nell'interno, e provocare o suggerire qualunque movimento riflesso o intenzionale ». (l. c., n. 46).

298. **Diversitas in organis sensuum.** — Filamenta nervorum sensitivorum in suo termino considerata pro quolibet organo sensorio diversificantur. Unde organa sensuum speciales apparatus habent; dicuntur autem corpuscula tactus, papillae linguae, cellulae olfactus, coni seu parvi baculi (i bastoncini) retinae, et organa Cortis. Et sic habentur organa sensuum qui dicuntur externi.

299. **Agens seu excitans et movens organum sensitivum.** — Pro quolibet organo sensus objectum aliquod designatur quod vocatur a recentioribus *proprium* excitans *normale.* Pro *visu* ponitur *lux* recepta in aliquo corpore quod fit lucidum, idest actio *physica eteris luminosi.* Pro *auditu* adsignatur *sonus* seu *rumor,* qui consistit in actione physica, idest in aeris vibrationibus, quae a corporibus sonoris proveniunt. Pro *olfactu* adsignantur *odores,* qui actione chymica, hoc est in combinatione gaz cum substantia nervea nervi olfactus consistit. Pro *gustu* adsignantur *sapores,* qui consistunt in actione chymica simili illi a qua excitatur olfactus. Pro *tactu* autem agens normale excitans ipsum adsignatur actio mechanica, quae in corporum pressione consistit et vi cujus tactus se extendit ad percipiendum objectum quod dicitur durum, molle, humidum; adsignatur etiam ut agens excitans tactus actio physica quae in vibrationibus calorificis consistit.

300. **Conditiones requisitae ad nervorum activitatem.** — Tum ad exercendam activitatem motricem, tum etiam sensitivam seu psychicam tres conditiones requiruntur: 1.ª est *circulatio sanguinis* et *respiratio,* ut scilicet cellulae nerveae, mediantibus vasibus capillaribus deferentibus, jugiter *sanguine* perfuso *oxygenio* madefiant et quasi nutriantur; 2.ª conditio est *determinata temperatura* quae in animalibus

sive vertebratis sive invertebratis, in quibus sanguis frigidus reperitur, continetur inter 0.°-45.° circiter; sed in iis quae sanguine calido praedita sunt temperatura magnam habet determinationem; quando normalis est continetur inter 36.°-37.° 5 circiter; 3.ª conditio requisita est quaedam activitatis *interruptio* quae per somnium habeatur; nam activitas in somnis quamvis omnino non cesset, tamen summopere remittitur: haec conditio nomine *discontinuitatis* designatur.

301. **Fibrarum et nervorum proprietates.** — Duae in praesenti recensentur fibrarum et nervorum proprietates, videlicet *eccitabilitas* et *conductibilitas;* imo secunda videtur esse modus seu species particularis primae. — Ad nervi conductibilitatem requiritur ut *cilindrus axis* fibrae nulla interruptione afficiatur, solus enim cilindrus-axis conductibilitati deservit, conductibilitas autem dicitur *centripeta* si est in fibra centripeta seu sensitiva, quae scilicet a peripheria ad centrum impressionem receptam effert; dicitur *centrifuga* si est in fibra centrifuga seu motrice, quae scilicet defert a centro ad peripheriam. — Sed et hoc advertendum est fibras ex quibus nervus constat non involvi inter se; sed rectae manent, neque anastomizantur in cursu suo.

302. **Observatio.** — Transmissio impressionum et motus magnam habet velocitatem in fibris seu nervis; in nervis enim motoribus habet quolibet momento secundo circa 30 unitates mensurationis, quae dicuntur italice *metri,* et in nervis sensitivis circa 60.

303. **Organa sensuum externorum in sua structura in ordine ad perceptionem considerata.** — Nunc oportet ut ipsa organa sensuum considerentur in ordine ad perceptionem. Primus qui occurrit considerandus est visus.

Visus. Ut perceptio visus seu ut visio perficiatur requiritur inter alia: 1.° *Nervus opticus,* qui cum centris nervosis cerebri connexionem habet (cf., n. 293), et qui ex parte quae peripheriam respicit in sua terminatione expansiva *retinam* (in qua imagines objectorum inversae fiunt) efformat, quae exterius in filamenta, quae coni (coni o bastoncelli) dicuntur terminatur. Haec filamenta seu coni excitantur a luce, excitatio autem mediantibus fibris, ex quibus nervus opticus constat, ad centra sensitiva encephali transmittitur. — 2.° Requiritur *lens* biconvessa, quae crystallina appellatur, liquore diaphano madefacta; quae juxta majorem vel minorem distantiam objecti, suam convessitatem minuere aut augere potest (1). — 3.° Requiruntur musculi interius qui contractione illius lenticulae curvitatem et ideo convessitatem augentes aut minuentes disponunt seu aptant retinam ad recipiendas excitationes ab objectis in diversa distantia positis (2). — 4.° Posita excitatione ab objecto proveniente in conis seu in terminationibus nervi optici seu retinae, excitatio transmittitur ad centra nervea et inde habetur perceptio.

Auditus in ordine ad perceptionem : Ad perceptionem auditus requiritur nervus acusticus qui in suis terminationibus peripheriçis a vibrationibus corporum percutiatur et excitetur, ejusque excitatio ad centrum nerveum correspondeus positum in cerebro communicetur. Hujusmodi autem nervi acustici terminationes *fibrae Cortis* appellatae super membranam cochleae tenduntur ad modum cordarum citharae : et ad vibrationes non eodem modo se habent, imo quae-

(1) Cf., MERCIER, l. c., n. 52, et prof. TUCCIMEI, l. c., n. 218, ed. a. 1900, Parav.

(2) Cf., MERCIER, l. c., n. 52, et prof. TUCCIMEI, l. c., n. 218, ed. a. 1900, Parav.

libet fibra determinatae vibrationi correspondet. Ex quo habetur multiplex aptitudo ad percipiendum sonum (1).

Olfactus et gustus : Sicut autem ad visum et auditum requiritur nervus correspondens, ut dictum est, ita *nervus* olfactui et gustui correspondens ponendus est conjungens scilicet peripheriam cum centro correspondente cellularum nervearum in cerebro. Unde odores in parvis corpusculis contenti simul cum aere in os aut in narem vi respirationis ingredientes et transeuntes excitant terminationes seu cellulas in quas expanditur nervus olfactus, et excitatio ad centrum, mediante nervo seu fibris quibus nervus constat, transmittitur ; et sic habetur perceptio olfactus. — Eodem ferme modo agunt in terminationes gustus ea quae mediante saliva in ore solvuntur et determinant gustum ad perceptionem. Notanda est affinitas tactus et gustus, quae tanta est ut se se invicem compleant et quandoque difficillimum sit eorum perceptiones discernere.

Tactus : Ad perceptionem tactus etiam nervi sensitivi requiruntur qui in tota superficie corporis animalis sunt cum centris nerveis communicationem habentes. Sed in quibusdam partibus corporis, praecipue in extremitatibus, eorum terminationes sunt

---

(1) Cf., MERCIER, l. c. ; et prof. TUCCIMEI, l. c., n. 208, qui dicit : « Posto fuor d'ogni dubbio che l'impressione del suono e la stimulazione del nervo acustico avvengano nel laberinto membranoso, nella chiocciola e precisamente nel canale cocleare bisogna collocare il senso dell'altezza e del timbro dei suoni dove cioè finiscono le diramazioni del nervo cocleare ». Et paucis interiectis subdit : « Il numero delle fibre basilari essendo circa 6000, esse corrisponderebbero quasi esattamente agli intervalli musicali anche più leggeri percettibili agli orecchi più delicati ».

in majori multitudine, sicut in extremitatibus digitorum, in labiis, in linguae extremitate: ex quo fit ut delicatiores et sensibiliores sint hujusmodi partes.

304. **Corollarium.** — Diversitas sensationis desumitur tum a diversitate facultatis organicae, idest a diversitate dispositionis organismi, tum a diversitate objectorum, idest excitantium ipsas facultates sensitivas; nam alia ratio adsignari non potest, et tum facultas sensitiva tum objectum seu excitans ineluctabiliter tanquam causae verae sensationis se ostendunt seu commonstrant. Aliter tamen et aliter; nam ipsa facultas sensitiva seu organismus est id a quo procedit seu elicitur actio sensitiva, et in quo esse intelligitur; objectum autem se pandit tanquam aliquid ordinatum ad proprium sensum excitandum et determinandum, ut sensus ad respectivam actionem eliciendam procedat. Unde si facultas sensitiva laedatur vel destruatur non sequitur respectiva sensatio. Neque actio unius potest procedere ab alia facultate. Item objectum quod agit et determinat unam facultatem non potest agere et determinare aliam facultatem.

305. **Radix sensuum externorum.** — S. Thomas loquens de sensu communi dicit esse communem radicem et fundamentum omnium sensuum externorum (1). Et non solum radix communis et fundamentum dici debet, sed etiam finis eorumdem sensuum externorum; nam apprehensio seu perceptio sensuum externorum ordinatur ad perceptionem seu apprehensionem sensus communis eo ferme modo quo imperfectum ordinatur ad perfectum. Et revera quilibet

---

(1) P. I, LXXVIII, a. 4 ad 1.^{m}.

sensus externus proprium objectum tàntum percipit, et ideo ipsum ab objecto alterius sensus non distinguit; e contra sensus communis interior percipit omnia sensuum externorum objecta ipsaque ad invicem discernit. In ipso ergo completur cognitio aliorum sicut in fine (1).

306. **Doctrinae hujus, quae est S. Thomae, convenientia cum recentioribus adinventis.** — Haec S. Thomae doctrina cum recentioribus adinventis summe cohaeret. Nam sensus externi impressiones, mediantibus fibris, ex quibus constat eorum nervus, transmittunt ad centra nervea, quae sunt radix harum fibrarum nervi, et eorum peripherica-rum terminationum ex quibus organa sensuum externorum constituuntur. Haec autem utpote derivata a centris nerveis quasi expansiones, et, ut ita dicam, prolongationes seu diramationes ad mundi exterioris impressiones recipiendas ordinatas, possunt considerari tamquam media quibus ad ipsa centra nervea impressiones transmittuntur ut in eis habeatur perfecta illa cognitio seu perceptio quae per solos sensus externos haberi non potest. Unde apte dici possunt radix seu fundamentum et finis sensuum externorum. Et quamvis hujusmodi centra nervea plura sint (cf., n. 291) ita scilicet ut unicuique sensui externo proprium centrum correspondeat tamen inter se se communicationem quamdam habent et unitatem mediantibus fibris, cum cellula quaquaversus suas prolungationes idest fibras emittat; unde praeter fibras centripetas et centrifugas (cf., n. 297) dantur etiam fibrae intercentripetae quibus inter se se ipsa centra conjunguntur; et fibras ipsas diversarum cellularum anastomizari certissimum est.

(1) Cf., ib. ad 2.m.

— Vi hujus communicationis habetur unitas in organismo interiori ad recipiendas impressiones diversas sensuum externorum et quaedam associatio ita scilicet ut ex transmissa ad respectivum centrum nerveum impressione recepta in aliquo sensu exteriori, puta in visu, mediantibus fibris, excitetur vel associetur sensatio objecti jam alias percepti in alio centro correspondente alteri sensui externo e. g. auditui. Haec tamen unitas quidquid in contrarium quidam recentiores adserant, non sufficit, nisi ponatur alius sensus specialis cui ab omnibus et singulis sensibus impressio propria transmittatur, quo mediante omnia aliorum sensuum objecta anima percipiat et ea abinvicem discernat. Et ita potest haberi perceptio objectorum omnium illorum sensuum et discretio unius ab alio in sensu interiori qui merito sensus *communis* appellatur.

CAPUT XXXV.

De principio proximo et subjecto sensationis.

(ZIGLIARA, *Cosmol.*, lib. III, cap. I, a. III et c. II, a. IV; MERCIER, l. c., n. 90, 130 HUGON, l. c.).

307. **Diversitas sensationis.** — Diversitas sensationis imprimis considerari potest ex diversitate organorum seu ex diversitate sensuum; et ideo sensationes sunt diversae juxta diversas partes organismi; unde alia est sensatio visus quae dicitur visio, alia auditus etc. de quibus supra locuti sumus; sed et alia sensationis diversitas consideratur, quae tamen in toto corpore reperitur; unde sensationes quaedam dicuntur *tactiles*, quae scilicet ex pressione corporis derivantur; aliae dicuntur *termiche*, quae scilicet ex diversa temperatura, puta calore, aut

frigore proveniunt; aliae dicuntur *musculares,* quae scilicet ex contractione musculorum habentur ex qua scilicet excitatur fibra nervea musculo conjuncta vi cujus motus organorum sentiuntur; aliae tandem *dolorem* important, et hae ex nimia et vehementi nervorum excitatione derivantur sive ex mutatione status organismi.

308. **Sensatio passiva et sensatio activa.** — Sensatio dupliciter considerari potest passive et active. Sensatio passive accepta est vel ipsa affectio causata ab actione objecti in sensum, idest in facultatem sensitivam seu in organismum vitalem, et sic supponit actionem ex parte objecti a quo sensus afficitur et determinatur, vel est affectio ex musculorum contractione proveniens, aut ex eo quod ipsamet organa mutantur. Sensatio autem active accepta est ipsa perceptio sensus quae dicitur cognitio, vel etiam *intentio* inquantum activitas sensus intenditur circa ipsum objectum a quo sensus fuit excitatus.

309. **Quaestio prima.** — Nunc variae quaestiones sunt solvendae: 1.° quaeritur an anima sola sit principium *quo* elicitivum actionis sensitivae et subjectum cui actio sensitiva inhaereat, vel e contra sit compositum ipsum, idest ipsum animal, sive organismus animatus, ita ut facultas sensitiva non sit vis animae solius, sed sit aliqua vis, quae ipsam naturam animalis consequi intelligitur. Cui quaestioni, licet multi oppositum doceant, tamen cum scholasticis ita respondendum esse censeo:

310. **Conclusio.** — *Sensatio non a sola anima procedit sed a composito, idest a natura ipsa animali: unde ipse organismus animatus est verum subjectum sensationis.*

Prob.: 1.° Natura specifica animalis, quae est ipsemet organismus animatus, oportet ut habeat ope-

313. **Conclusio II.** — *Species intentionalis sensibilis in facultate existens non potest esse nisi ab objecto, quod sentitur, in facultatem agente.*

Prob.: Illa species aut est ab ipsa facultate producta, aut est a Deo, aut est ab objecto. Sed non est ab ipsa facultate producta, nam facultas, in qua est talis species, et a qua est sensatio, est omnino indifferens quantum est de se ad hoc vel illud objectum sentiendum, et ideo ad illam vel aliam speciem sensibilem, per quam sentit, habendam; non est a Deo, nam nonnisi arbitrarie hoc adseritur; et insuper frustra objecta exteriora in sensus suas exercerent actiones, cum species sensibilis, quae dicitur a Deo producta sufficeret ad sentiendum; unde haberetur occasionalismus quem in ontologia refutavimus (n. 763). Ergo nonnisi ab objectis quae sentiuntur esse potest. Insuper objecta sensibilia vere agunt in sensus, ut patet ex facto, et ipsos determinant per quamdam impressionem: ergo illa determinatio, quae est ratio determinatae sensationis vere est ab objecto sensibili, quod sentitur.

314. **Conclusio III.** — *Species sensibilis intentionalis immaterialis est et spiritualis.* — Per haec verba *spirituale* et *immateriale* in praesenti non intelligitur aliquid independens a materia sive in se, sive ratione subjecti, nam, ut patet ex dictis (n. 307) species sensibilis intentionalis subjectatur in organismo animato; sed intelligitur aliquid prout contradistinguitur ad materiam, ad esse physicum et naturale, quatenus scilicet species neque materiam importat, neque esse physicum et reale objecti a quo est, ut putabant antiqui philosophi, qui ponebant cognitionem fieri per defluxionem imaginum materialium (cf. S. Th. p. 1.ª q. 84 a. 2.° et 3.°), sed quatenus importat esse objecti sentiti repraesentative. Quo sensu dicit S. Thomas

(c. g. l. II. c. 62) : « Omnis virtus cognoscitiva inquantum hujusmodi est immaterialis; unde et de sensu qui est infimus in ordine virtutum cognoscitivarum, dicit Aristoteles quod est susceptivus sensibilium specierum sine *materia* secundum esse intentionale et spirituale », idest repraesentative. Quibus animadversis, conclusio nostra magis declaratione, quam probatione indiget ; unde :

Declaratur : Species sensibiles intentionales in sensibus internis conservantur, nam per phantasiam objecta repraesentantur etiam absentia, et quandoque etiam vividius percipiuntur per ipsam quam per sensus externos, ut patet in somniantibus. Sed absurdum omnino est adserere quod species intentionales, quae in phantasia conservantur, *materiam* vel aliquid reale *physicum* objectorum includant. Ergo tales species immateriales et spirituales dicendae sunt, quatenus objecta, quae in eis percipiuntur repraesentative et similitudinarie continentur.

315. **Quaestio tertia.** — Agentes de sensatione tum in ordine ad subjectum sentiens tum in ordine ad objectum sentitum remanet quaerendum et determinandum ubinam contingat sensatio, an scilicet in centris nerveis, qui sunt in cerebro (cf., n. 291) aut in sensibus peripheric is sive sint sensus externi, in quibus consideratur ordo ad objecta exteriora, sive sint sensus musculares in quibus consideratur ordo ad ipsos motus musculares in ipso corpore subjecti sentientis existentes.

316. **Sententiae.** — Putant quidam, quos inter Taine, sensationem nullo modo perfici in ipsis sensibus peripheric is, sed in centris nerveis quae sunt in cerebro et a quibus sensus peripherici tum exteriores scilicet, tum musculares originem ducunt (cf., n. 292). Ex qua sententia sequitur sensationem exter-

nam non esse nisi allucinationem. Unde Taine distínguit duplicem speciem allucinationis, allucinationem falsam, quam vocat anormalem, et quae correspondet nostrae, et allucinationem veridicam quae est ipsa sensatio regularis cui objectum respondere nos dicimus.

317. **Conclusio.** — *Sensatio vere perficitur in sensibus peripheric is tum externis, tum muscularibus.* — Non intendimus per hanc conclusionem negare sensationem perfici etiam in centris nerveis, imo dicimus perceptionem completam et perfectam nonnisi per centra nervea haberi posse, non enim sensus externus aut muscularis percipit se sentire, oculus c. g. non videt se videre. Tamen adserimus sensus periphericos sentire objecta.

Prob.: 1.° Sensatio perfici dicenda est in eo loco ubi naturaliter nostra conscientia ad testificandum fieri naturaliter inclinatur. Atqui nostra conscientia naturaliter inclinatur ad testandum sensationem, quae dicitur externa aut muscularis, fieri in respectivis sensibus peripheric is, idest externis, vel muscularibus. Ergo in his fieri sensatio dicenda est.

Confirmatur 1.° ex eo quod non solum naturaliter inclinatur sed fere semper ineluctabiliter nos compellit ad assentiendum sensationem fieri in sensibus respectivis peripheric is, sive externis sive muscularibus.

Confirmatur 2.° ex eo quod secus conscientia naturaliter inclinaret et impelleret subjectum sentiens modo constanti in errorem. Quod admitti nequit.

318. **Objectio.** — Conscientia quandoque nos inducit in errorem, sicut cum quis amputata manu sentit dolorem in manu ipsa. Ergo sensatio non perficitur in sensibus etc.

Resp. 1.°: Nego consequentiam, quae illogice procedit: ex eo quod contingit aliquid quandoque, concluditur idipsum semper contingere et quasi per se.

Resp. 2.°: *Dist. antec.:* Circa proprium et primarium objectum *nego;* circa objectum secundarium, *subd.:* quandoque et per accidens, *conc.;* per se et semper *nego.* — Duplex objectum distingui potest respectu conscientiae, primarium circa quod error est impossibilis, et hoc importat exclusive affectiones subjecti sentientis (cf., I, n. 285), et secundarium inquantum scilicet conscientia praeter affectiones et ratione affectionum testificatur quaedam alia, ut puta partem subjecti in qua sint affectiones, et quod subjectum sentiat objecta sensibilia, circa quae potest esse error; sed hoc nonnisi per accidens esse potest, non autem per se; quatenus scilicet conscientiae alia facultas immiscetur, puta imaginatio, vel quatenus mediante alia facultate obnoxia errori, conscientia testatur. — Unde error in casu nostro ad ipsam imaginationem refertur ex habitudine scilicet contracta, inquantum vi associationis imaginatio simul indispositioni solitae quae dolorem manus comitabatur in brachio, dolorem manus vivide reproducit. Unde objectio potius nostram conclusionem confirmat inquantum scilicet imaginatio non posset dolorem manus reproducere nisi prius in manu dolor vere fuisset, idest in extremitate nervorum qui figura manus terminabantur; nunc etiam in eadem extremitate nervorum producitur; et imaginatio ex assuetudine repraesentat eorum extremitates secundum illam figuram qua prius donabantur.

2.° Si sensatio in peripheria non est, idest in sensibus externis etc. sed est omnino interna, objecta exteriora non sunt nisi illusiones uti fautores hujus sententiae inferunt. Sed adserere objecta, quae ut exteriora apparent ineluctabiliter, non esse realia est inducere subjectivismum aut scepticismum, est contraire naturae et rationi (cf., I, 277), imo cum organismus peripherieus et ipsamet centra nervea sint

objecta quae ab iisdem sensibus referuntur, sequitur etiam haec esse quid pure subjectivum et illusorium. Videlicet philosophi qui nostram conclusionem negant, talem explicationem tradunt sensationis quae ad negandam sensationis causam, fundamentum et principium, et consequenter ipsam realitatem sensationis logice ducat. Quae consequentia manifestissime ostendit falsitatem et absurditatem explicationis ipsorum et probat nostram conclusionem.

319. **Quaestio quarta.** — Quaeri tandem potest de anima quae est formaliter sensitiva, et quae est propria brutorum animantium, an sit substantia, et per se subsistens et immortalis. Et quidem ipsam esse substantiam, non accidens, jam patere potest ex dictis (n. 278); ostendimus enim ipsam esse principium specificativum animalis et primum principium actionis sensitivae; igitur remanet inquirendum an sit per se subsistens et immortalis.

320. **Conclusio.** — *Anima pure seu formaliter sensitiva non est per se subsistens, neque immortalis.*

Prob.: Nulla substantia est vere in se et per se subsistens, quae non valeat per se solam propriam operationem exercere, nam agere naturaliter sequitur esse; insuper unaquaeque res in bonum universi per aliquam operationem conspirat, cum bonum totius universi sit finis omnium rerum. Atqui anima, quae est formaliter sensitiva, per se solam sine corpore nullam potest operationem exercere, imo nullam operationem habere potest, nam organum corporeum non solum est medium necessarium ad sensationem exercendam, quod sufficeret ne diceretur per se subsistens, sed imo actio sensitiva nonnisi ex organismo corporeo animato elici potest et nonnisi in organismo animato subjectari. Ergo anima formaliter et pure sensitiva non est per se subsistens. — Secunda pars

ut corollarium deducitur; nam si anima sensitiva brutorum animantium non est per se subsistens, sequitur quod a corpore dependeat; et ideo, soluto corpore, perit, et proinde immortalis non est.

321. **Corollaria.** — I. Ex his sequitur animam formaliter sensitivam esse substantiam omnino incompletam, et insuper dependentem in suo esse a materia, proinde non posse dici immaterialem seu spiritualem (I, 634 et seq.).

II. Sequitur etiam ipsam non solum in suo esse, sed etiam in suo fieri a materia dependere, ac proinde ipsam educi de potentia materiae, sicut educuntur aliae formae, non quidem per virtutem corpoream vitae expertem sed per virtutem substantiae viventis sensitivae, hoc est per generationem.

Dices: Ad providentiam divinam pertinet naturas rerum servare, non perdere. Ergo dicendum est quod anima sensitiva non corrumpitur, corrupto corpore.

Resp.: Disting. antec.: Ad providentiam divinam pertinet naturas, servare secundum speciem, *transeat* vel *conc.:* secundum individuum, *subdist.;* si res ex sua natura est incorruptibilis, *conc.;* secus *nego;* et *nego conseq.* Ad providentiam divinam pertinet omnia regulare et ordinare in finem secundum propriam naturam; igitur quorum natura corruptibilis est, ita regulantur et diriguntur ut sinantur corrumpi, ut patet de rebus corruptibilibus: hoc verificatur etiam de anima sensitiva quae per accidens corrumpitur, idest ad corruptionem corporis.

322. **Sententia quorumdam recentiorum circa animae brutorum substantialitatem.** — Quidam philosophi recentiores ponunt animam brutorum vivificare materiam, non vero ei dare esse simpliciter, sicut etiam ponunt esse vim immaterialem atque proinde manere separatam a corpore licet

sine ulla operatione vitali, et ideo immortalitate carere (1).

323. **Critica et refutatio.** — Ex hac sententia quae statutae conclusioni opponitur sequeretur 1.° quod anima brutorum non esset forma substantialis corporis; 2.° quod haberet esse per creationem idest vel singulae animae crearentur in singulis generationibus, aut supponerentur creatae in praeparatione; et hoc vel simul ab initio, vel successu temporis, utrumque autem omnino arbitrarie adseritur sine ullo fundamento; insuper quaeri posset in hac hypothesi ubinam moram propriam habeant antequam corpori uniantur; 3.° haec doctrina fovet metempsyichosi, quia, ea posita, nulla est ratio negandi animas quae fuerunt in aliquo corpore, inde ad aliud corpus transmeare vivificandum; imo ita affirmandum esse ipsa positio et persistentia in esse animarum suadet; ad quid enim aliae animae novae cum aliae quae jam corpora vivificarunt praesto in materia adsint? 4.° nulla est ratio has animas distinguendi a viribus aliis materiae seu eo ipso quo ponuntur existere in mundo in materia in statu latenti sine vita per tantum tempus, praecipue si ponantur nunquam ab existentia cessaturas; 5.° Congruentius diceretur materiam mundanam vim

(1) In periodico cui titulus *La Rassegna Nazionale*, fasc. I. Febbraio 1909, ita haec doctrina exponitur: « L'anima solleva la materia alla vita e la domina ma non le toglie l'essere suo nè lo dà, disse Augusto Conti. Questa energia è pel Rosmini, pel Balmes, pel Conti ed altri, contro l'opinione scolastica, immateriale, benchè la sua efficienza vitale non esca mai dai limiti dell'organismo stesso e si restringa ad operare sopra di esso, e quindi la sua attività, non l'esistenza, cessa colla morte del composto » et in nota citationes hae habentur. Augusto Conti. *Armonia delle cose*, cap. 14-33. Morando, *Filosofia*, vol. I, pag. 338.

vegetativam et sensitivam modo latenti possidere et suo tempore juxta circumstamtias evolvi; 5.° consequenter omnem materiam vita substantiali et vegetativa et sensitiva esse praeditam; 6.° viventia a non viventibus non differre nisi accidentaliter; 7.° vitam proprie ut est aliquid distinctum a proprietatibus quae vitalitatem non important vere consistere in pura modificatione accidentali organismi idest vel in temperata harmonia fibrillarum (cf. n. 278) vel in aliquo simili.

Breviter: Admissa sententia in qua ponitur animam brutorum animalium post eorum mortem remanere veluti vim, consequitur vel eam esse admittendam separatam a materia omni activitate et actione destitutam, vel in materia ut ejus actus sine ulla actione vitali, actionum tamen vitalium capax mediante ipsius materiae evolutione; atque ipsa generatio spontanea vel ejus possibilitas in medium affertur. — Alia addi possent contra hanc sententiam puta quod si est *immaterialis* hoc est independens a materia oportet ut per se subsistat a materia separata; unde multitudo animarum sensitivarum a materia sine propria operatione ponenda erit, idest ponendus erit mundus immaterialis ab animabus brutorum animalium constitutus mortuus omnino, quippe propria operatione illae animae ponuntur destitutae. — Non enim est ulla ratio eas ponendi in materia et si in materia ponantur hoc est in mundo materiali omnia inconvenientia supra notata sequuntur. — Insuper haec immaterialitas hoc est independentia a materia omnino arbitrarie ponitur, non enim est aliqua operatio in animabus illis ex qua erui possit, siquidem nulla operatio in eis manet; operatio enim vitalis brutorum animantium ab organismo repetitur animato, est enim non operatio solius animae sed com-

positi hoc est ab ipsa animalis natura elicita (cf. n. 307). Sequeretur etiam quod anima brutorum haberet esse per creationem.

324. **Epilogus eorum quae in Cosmologia explanata sunt.** — Cosmologia inter metaphysicae specialis partes recensetur; ejus objectum est mundus corporeus: unde Cosmologiae nomine *sermo* seu *tractatus* philosophicus de mundo corporeo intelligitur; mundi enim corporei supremas causas seu rationes investigat. Supposita mundi existentia uti facto evidentissimo characteres essentiales substantiae corporeae recenset atque examinat; hujusmodi autem caracteres sunt: Omnimoda compositio, finitas, essentialis dependentia et subjectio, contingentia atque ex eis ad rationem seu causam mundi corporei existentiae statuendam assurgit, mundo scilicet omnino extrinsecam atque ab eo diversam; quippe materia improducta exclusa cum ejus ornatu viribusque contra materialistas omnes et pantheistas, atque mundi aseitate rejecta, ejus originem a Deo optimo maximo ab ipso mundo omnino diverso, per creationem ex nihilo, hoc est per actionem Dei liberam statuit. Ostendit etiam mundum non semper fuisse praecipue quatenus motum et successionem importet, et licet agnoscat scientiis experimentalibus adiuta mundum esse antiquissimum, non tamen hominis existentiam ultra id quod ex Sacra Scriptura vel ex traditione habetur amandat. Mundum semper duraturum docet licet immutatum et innovatum iri persentiat. Inde naturam corpoream in ordine ad locum considerat, examini subjicit, atque docet quod licet ei naturaliter esse in loco competat, non tamen ei repugnat absolute loquendo in nullo loco esse, unde et duo corpora posse esse in eodem loco adserit etsi virtute non naturali sed solum divina; sicut etiam quod

non repugnat ei idest substantiae corporeae esse simul in pluribus locis virtute divina per praesentiam propriae substantiae, licet hoc ei nunquam circumscriptive convenire possit. Potest autem corpus naturali virtute esse in pluribus locis successive motu mediante, qui nihil est aliud quam *successiva relatio praesentiae corporis mobilis pluribus partibus spatii seu loci* a vi motrice causata quam cum motu nunquam confundere licet, quippe ab eo omnino distincta est. Unde vires diversae distinguuntur specie, sed motus in sua ratione formali uniformitatem importat et non differt nisi secundum majorem aut minorem velocitatem, vel secundum aliam et aliam directionem; quae differentiae omnino accidentales sunt. Imo motus jugiter renovatur cum constet ex partibus non permanentibus sed fluentibus et successivis; unde nihil de motu priori in posteriore manet, atque proinde absurdum est omnino adserere vel motum in motum, vel (et hoc multo magis absurdum est) motum in vires aut vires in motum transformari; ideo etiam absurdum est omnino adserere motum habere rationem principii et causae vel ipsum transire de mobili in mobile. Neque motus competit corpori ex intrinseca sui natura inquantum corpus, quippe corpus de se ad motum vel quietem omnino indifferens est; nota est enim omnibus inertia materiae. Corpus autem multiplex est; unde multa corpora in natura distinguuntur tum numero tum specie, vel etiam genere; et corpora simplicia habentur, quae scilicet in plura corpora diversa resolvi nequeunt, et corpora composita. Distinctio autem specifica corporum juxta diversas proprietates et actiones attenditur. Proprietates autem praecipuae et fundamentales corporum tres recensentur idest *extensio, potentia agendi seu*

positi hoc est ab ipsa animalis natura elicita (*cf.* n. 307). Sequeretur etiam quod anima brutorum haberet esse per creationem.

324. **Epilogus eorum quae in Cosmologia explanata sunt.** — Cosmologia inter metaphysicae specialis partes recensetur; ejus objectum est mundus corporeus: unde Cosmologiae nomine *sermo* seu *tractatus* philosophicus de mundo corporeo intelligitur; mundi enim corporei supremas causas seu rationes investigat. Supposita mundi existentia uti facto evidentissimo characteres essentiales substantiae corporeae recenset atque examinat; hujusmodi autem caracteres sunt: Omnimoda compositio, finitas, essentialis dependentia et subjectio, contingentia atque ex eis ad rationem seu causam mundi corporei existentiae statuendam assurgit, mundo scilicet omnino extrinsecam atque ab eo diversam; quippe materia improducta exclusa cum ejus ornatu viribusque contra materialistas omnes et pantheistas, atque mundi aseitate rejecta, ejus originem a Deo optimo maximo ab ipso mundo omnino diverso, per creationem ex nihilo, hoc est per actionem Dei liberam statuit. Ostendit etiam mundum non semper fuisse praecipue quatenus motum et successionem importet, et licet agnoscat scientiis experimentalibus adiuta mundum esse antiquissimum, non tamen hominis existentiam ultra id quod ex Sacra Scriptura vel ex traditione habetur amandat. Mundum semper duraturum docet licet immutatum et innovatum iri persentiat. Inde naturam corpoream in ordine ad locum considerat, examini subjicit, atque docet quod licet ei naturaliter esse in loco competat, non tamen ei repugnat absolute loquendo in nullo loco esse, unde et duo corpora posse esse in eodem loco adserit etsi virtute non naturali sed solum divina; sicut etiam quod

non repugnat ei idest substantiae corporeae esse simul in pluribus locis virtute divina per praesentiam propriae substantiae, licet hoc ei nunquam circumscriptive convenire possit. Potest autem corpus naturali virtute esse in pluribus locis successive motu mediante, qui nihil est aliud quam *successiva relatio praesentiae corporis mobilis pluribus partibus spatii seu loci* a vi motrice causata quam cum motu nunquam confundere licet, quippe ab eo omnino distincta est. Unde vires diversae distinguuntur specie, sed motus in sua ratione formali uniformitatem importat et non differt nisi secundum majorem aut minorem velocitatem, vel secundum aliam et aliam directionem; quae differentiae omnino accidentales sunt. Imo motus jugiter renovatur cum constet ex partibus non permanentibus sed fluentibus et successivis; unde nihil de motu priori in posteriore manet, atque proinde absurdum est omnino adserere vel motum in motum, vel (et hoc multo magis absurdum est) motum in vires aut vires in motum transformari; ideo etiam absurdum est omnino adserere motum habere rationem principii et causae vel ipsum transire de mobili in mobile. Neque motus competit corpori ex intrinseca sui natura inquantum corpus, quippe corpus de se ad motum vel quietem omnino indifferens est; nota est enim omnibus inertia materiae. Corpus autem multiplex est; unde multa corpora in natura distinguuntur tum numero tum specie, vel etiam genere; et corpora simplicia habentur, quae scilicet in plura corpora diversa resolvi nequeunt, et corpora composita. Distinctio autem specifica corporum juxta diversas proprietates et actiones attenditur. Proprietates autem praecipuae et fundamentales corporum tres recensentur idest *extensio, potentia agendi seu*

activitas, et potentia patiendi. Ad has omnes aliae proprietates revocari possunt. Unde corpus definitur: *Substantia extensa potentia agendi et patiendi praedita.* Omnia vero corpora ad finem ordinantur et quidem per propriam operationem, finis autem aut intrinsecus est ipsi corpori vel extrinsecus; imo ad finem tum intrinsecum tum extrinsecum cuilibet corpori convenit ordinari. Quae duplex corporis finalitas ex ipsis scientiis naturalibus mirifice confirmata apparet. Unde in mundo habentur leges quibus corpora diriguntur quae leges aut ab intrinseco principio corporum originem habent aut a principio extrinseco; omnes tamen contingentes sunt quoad earum existentiam vel ad summum necessitate hypothetica gaudent. Proinde Deus qui auctor corporum atque legum quibus corpora diriguntur, est, supra leges est constitutus, atque ideo et praeter et contra et supra illas agere potest, operando miracula. Ut corporum natura quid sit, et in quo consistat statuatur Cosmologica scientia in corporum distinctione atque finalitate, quae per corporum proprietates atque operationem manifestatur, insistit; ipsam corpoream substantiam a suis proprietatibus diligenter distinguit atque ex chymia in suis minimis particulis divisam aut divisibilem considerat; inde ad principia corporum statuenda generali et indeterminata quadam ratione assurgit, atomismum examinat juxta quem corpora ex moleculis vel ex atomis constare veluti ex primis principiis essentialibus adseruntur atque hujusmodi systema extra quaestionem vagari nihilque de primis principiis corporum explicare concludit; quippe atomi et a fortiori moleculae utpote extensione praeditae vera corpora licet minima, sunt, de quibus prima principia quaerimus sicut et de corporibus magnis. Inde,

refutato atomismo, systema entium simplicium ad trutinam revocat, sub duplici praecipuo aspectu considerat atque ipsum nihil explicare in hac quaestione imo absurditatibus scatere concludit, quippe in eo inter alia inconvenientia, neque personalitas in viventibus, neque distinctio naturae specificae in corporibus ullo modo salvatur. Quia igitur ad tria reducuntur systemata quibus naturae corporis constitutiva principia adsignantur, explosis duobus praecedentibus ut absurdis, remanet verum hylemorphismus seu systema scholasticum quod est tertium. Unde principia prima constitutiva corporum sunt materia prima et forma substantialis; per haec enim duo principia et convenientia corporum et distinctio specifica optime explicatur cum eorum proprietatibus. Unde corpora omnia in sua essentia considerata constant duabus substantiis incompletis quae corpora non sunt, sed sunt *potentia* realis substantialis et actus quo ipsa potentia essentialiter determinatur, specificatur; et sic habetur corpus. Materia ergo utpote potentia pura habet esse et existentiam a forma a qua pendet et quae est principium essendi et operandi in corporibus; est tamen in rebus corporeis principium individuationis non quidem simpliciter et absolute accepta, sed quatenus per formam determinatur et constituitur radix quantitatis determinatae. In corporibus vitae expertibus id quod praecipue in Cosmologia est considerandum est eorum mixtio per quam habetur nova natura et vera generatio. Ipsa tamen corpora quae mixcentur in corpore novo mixto non manent nisi virtute, quatenus scilicet iterum ex resolutione corporis mixti iterum haberi possunt. In Cosmologia juxta a nobis traditam divisionem agitur etiam de vita seu de viven-

tibus, quippe ad mundum corporeum viventia pertinent unde ipsa vita in genere expenditur in plantis atque in animalibus. Multae autem inter viventia corpora et non viventia adsignantur differentiae; sed ad tres praecipuas recte possunt revocari, videlicet ad nutritionem, ad augmentationem, ad generationem; quae differentiae non solum in ipso vivente cum jam perfectum est, sed etiam in suo progressu considerato, in suo exordio, imo in ipsa cellula perfectissime adinveniuntur. Unde id per quod vivens a non vivente distinguitur in eo reperitur quod vivens in sua naturali dispositione positum moveat seipsum atque seipsum sua operatione perficiat. Ipsa autem vita duplex distinguitur, in actu primo et est substantia seu vis vitalis substantialis cum suis proprietatibus operativis quae ex ea consequuntur; et vita in actu secundo quae est ipsa operatio vitalis, et quae immanentiam in vivente importat. Distinguitur autem triplex vitae gradus, idest secundum quod vita importat *vegetationem, sensationem, ratiocinationem seu intellectionem.* Neque vis vitalis ullo modo cum viribus aliis materiae confundenda est sive ordinariis sive physicis sive chymicis etc. neque cum mechanicismo potest comparari; quippe haec omnia superexcedit summopere. Non tamen ita exaltanda ut a materia in suo esse independens proclametur, quippe est forma materiae ab eaque sicut in operando ita in essendo pendet, licet a materia bruta derivari non possit. Anima sive plantarum sive animalium divisioni per se non subjacet; in quibusdam tamen viventibus subjacere potest et de facto subjacet per accidens; ut contingit in animalibus anulosis; unde secundum se considerata est substantia indivisibilis omnino. Animalia summopere a plantis distinguuntur, quippe sensatione atque

proinde anima non pure vegetativa sed sensitiva praedita sunt. Species animalium in magna multitudine sunt constitutae, unde animalia a zoologis in varias classificationes dividuntur: famosae sunt classificationes traditae ab Aristotele, a Linnaeo, a Lamarkio, a Cuvier, a Claus. Fuerunt quidam philosophi ex schola Cartesiana, qui animalia esse praedita vera sensatione negarunt, et uti machinas consideranda censuerunt; at eorum doctrina utpote evidenter absurda communiter rejecta est. Materialistae et positivistae nostrae aetatis animae substantialitatem negantes vitam in temperata harmonia organici corporis aut in motu fibrillarum consistere dixerunt, verum haec doctrina parum vel nihil a mechanicistarum doctrina differre evidentissimum est atque ad ipsam reduci, nisi adseratur dari effectum sine causa. Non minus absurda est sententia eorum qui posuerunt animam brutorum esse spiritualem et per se subsistentem quippe nulla operatio est in ipsa ex qua id inferri possit. In brutis animantibus non intellectus sed sensus est et quidem externus et internus; externus quidem quintuplex sicut et in ipso homine, et internus quadruplex; idest phantasia, aestimativa facultas, memorativa, et sensus communis. — Sensationes autem mediante nerveo systemate exercentur; unde ex nervis qui ex fibris resultant quae ex cellulis nerveis et praecipue ex centris nerveis originem ducunt, efformantur organa sensus quae exterius quinque recensentur *visus, auditus, olfactus, gustus et tactus.* Unde habetur diversa sensati, quae desumitur tum a diversitate organorum tum a diversitate objectorum. Radix tamen sensus externorum sicut et finis sensationis externae est sensus communis, quippe in eo omnes perceptiones objectorum conveniunt atque

per eum ipsa objecta diversa discernuntur. — Licet anima sit principium sensationis, tamen ipsa sensatio non in anima sola subjectatur seu residet sed in ipsis sensibus seu in organismo ab ea animato; neque in ipsa substantia seu natura animalis, sed in facultatibus ab ea manantibus, actus enim et potentia oportet ut sint in eodem genere. Imo ad sensationem eliciendam plures conditiones requiruntur praeter ipsas facultates, sed praecipue species intentionalis sensibilis exigitur quae quamdam immaterialitatem habet. Cum igitur subjectum sensationis non sit anima sensitiva sola, neque in brutis animantibus alia operatio superior ut est intellectio reperiatur, sequitur animam brutorum neque per se subsistentem neque immortalem esse, sed corrumpi corrupto corpore, non quidem quasi dissolvatur in partes quibus caret, sed quia ex corpore sicut in suo agere ita in suo esse dependet; est enim substantia omnino incompleta.

ANTHROPOLOGIA

SEU TRACTATUS DE HOMINE

CAPUT I.

Anthropologiae objectum et divisio.

325. **Ratio hujus tractatus.** — *Anthropologia* idem est ac *tractatus de homine.* Cum homo ad mundum visibilem ut ejus pars *nobilissima* pertineat, ipse in sua natura omnes gradus essendi, qui in mundo sensibili reperiuntur, complectitur; imo, quamvis modo inferiori, etiam gradum essendi substantiarum, quae sunt omnino a materia separatae, in se habet. Habet enim esse commune cum corporibus inanimatis, vegetare cum arboribus, sentire cum animalibus et intelligere cum angelis (1). Unde homo *parvum mundum* constituere videtur; proinde non absonum erit instituere specialem tractatum circa ipsum.

326. **Anthropologiae objectum.** — Anthropologiae objectum ergo est ipse *homo,* cujus nomine intelligitur illud ens seu illa substantia, quae pro-

(1) Cf. S. Greg. Hom. 29 in Evang.

priam activitatem per multiplicitatem omnium operationum vitalium explicat, quae ad tria genera reducuntur, idest: ad vegetandum, ad sentiendum et ad ratiocinandum. Prima duo genera homo habet communia cum coeteris, ultimum vero, idest ratiocinari, in quo intelligere includitur, est sibi proprium; per ipsum enim ab aliis omnibus discernitur. Homo ergo prout est principium harum operationum, et praecipue intelligendi et ratiocinandi, est objectum hujus tractatus. Omnes ergo conclusiones, quae ipsum hominem respicientes deduci possunt ex eo quod homo est principium vegetationis, sensationis et ratiocinationis, consequenter et intellectionis, constituunt scientiam *anthropologicam* (cf. I, n. 354 et seqq.).

327. **Anthropologiae divisio.** — Homo potest dupliciter considerari: 1.° in se prout est quoddam compositum ex anima rationali et ex corpore organico; 2.° in ordine ad suas operationes. De homine in se considerato prout constat ex anima et corpore sufficienter agitur per hoc quod natura animae rationalis, et animae ordo ad corpus, declaratur; proinde 1.° dicemus de ipsa anima rationali in se, 2.° de anima in ordine ad corpus. Quoad ordinem autem, quem homo habet ad operationes suas, dicendum est 1° de facultatibus operativis, hoc est de potentiis hominis seu animae rationalis, 2.° de ipsis operationibus. Quibus omnibus determinatis, adsurgendum remanet ad causam ipsius animae inquirendam, et proinde animae origo statuetur.

Caput II.

De hominis natura.

(S. Thom. P. I. qu. 75 a. 4, c. g. l. II. c. 56, De pot. qu. 15 a. 10).

328. **Ratio capitis.** — Hominis natura dupliciter potest considerari 1.° generatim ut est principium determinatarum operationum, quatenus scilicet sine studio et inquisitione menti exhibetur et communiter ab hominibus apprehenditur ut quid distinctum ab aliis naturis, 2.° in sua intima constitutione prout menti objicitur per diligentem philosophicam inquisitionem. Prima consideratio est basis et fundamentum secundae, quae praeter primam et vulgarem hominis cognitionem importat etiam cognitionem intimam singularium hominis partium cum consectariis. In praesenti igitur hominis naturam sub primo aspectu consideramus exponentes ea quae de homine indubitanter exhibentur; hoc tamen non impedit quominus a nobis philosophice determinetur et definiatur, quippe definitio rei ex iis quae omnibus apparent tradi potest rectissime.

329. **Ea quae in homine apparent.** — Ea quae in homine apparent sunt corpus et vita per varias operationes manifestata quae, uti jam advertimus, sunt vegetatio, sensatio, ratiocinatio in qua intelligere includitur; quia igitur res quaelibet per proprias operationes cognoscitur et declaratur, ideo homo seu natura hominis per praedictas operationes declarari debet.

330. **Hominis definitio.** — Homo, utpote principium praedictarum operationum quae in ipso complentur, quaedam substantia vivens imo et persona

quaedam est; quippe ut operationes et alia accidentia substentare valeat, oportet ut per se subsistat. Unde homo vere dici potest substantia vivens vita vegetativa, sensitiva et rationali seu substantia ordinata ad vegetandum, ad sentiendum, ad ratiocinandum. At substantia ordinata ad sentiendum per sensus vere et proprie dicitur animal; proinde homo dici potest *animal;* et quia est ordinatus ad ratiocinandum, ut dictum est, ideo recte dici potest: *Animal ordinatum ad ratiocinandum;* sed ordo ad ratiocinandum in aliqua substantia importat rationalitatem; ergo homo recte dici potest: *Animal rationale.* Quae expressio est vera hominis definitio; nam, ut inspicienti patet, *animal* designat genus proximum, *rationale* vero differentiam specificam (cfr. I, 48); idest exprimit id in quo convenit cum brutis et id in quo ab eis discriminatur; nam, ut ait Angelicus, « Animal significat id quod habet naturam sensitivam; rationale vero quod naturam intellectivam; homo vero quod habet utrumque » (1).

331. **Aliae hominis definitiones expenduntur.** — Aliae dantur hominis definitiones a diversis. Primo occurrit notanda definitio platonica quae dicit: *Homo est anima rationalis mentis particeps et corpore utens.* — Haec definitio omnino falsa est, quippe nomine hominis non anima intelligitur, sed ipsum compositum quod per animam vivit. Corpus enim non est homini extraneum sed intrinsecum, sicut etiam ordo ad sentiendum; unde homo est vere animal sicut vere est vivens, et praeter animam corpus organicum vere includit in sua essentia; anima enim est pars, licet nobilissima, ejus. — Similiter admitti nequeunt sequentes hominis definitiones:

(1) P. I. qu. 85. a. 5 ad 3.^{m}.

Homo est organismus perfectissimus, est animal bipes implume etc. quia pars nobilissima ejus et ipsa differentia specifica seponitur. Advertendum etiam esse quasdam locutiones veras quae tamen non sunt vere definitiones; ita e. g. *homo est substantia,* vel *ens cogitans,* vel est *natura sui conscia.* Hujusmodi enim propositiones non solum de homine, sed etiam de angelis, imo et de Deo verificantur. De homine tamen praeter definitionem numero praecedenti traditam possunt dari aliae definitiones verissimae ex proprietatibus seu ex accidentibus propriis ejus, dummodo tamen observentur leges in logica traditae (I, 47-48).

332. **Corollarium.** — Ex dictis sequitur hominem non posse dici *principium animalitatis* aut *rationalitatis,* sicut neque *intelligentiae;* nam principium distinctum et praesuppositum omnino a principiato esse debet, unde principiatum in sui essentia non includit; *animalitas* autem et *rationalitas* in hominis essentia includuntur, unde homo dici potest subjectum habens animalitatem, rationalitatem, sed non principium etc. — Similiter non potest dici intelligentiae principium; nam cum quodlibet compositum partes ex quibus constat supponat, homo supponit materiam et animam rationalem, quae independenter ab homine est vere et proprie intelligentiae principium; quod proinde ab homine supponitur. Unde haec hominis definitio a Rosminio tradita, idest: *Homo est subjectum quoddam animalitatis simul et intelligentiae principium* non solum ut definitio falsa est sed etiam uti propositio, quippe falsum enuntiat.

333. **Natura et persona in homine.** — In homine duo sunt distinguenda et prae oculis habenda, *natura* scilicet et *persona; natura* importat ipsum compositum ex materia et forma complectens ani-

malitatem et rationalitatem et est principium quo operationum; *persona* vero praeter naturam importat esse sui juris et incommunicabilitatem alteri supposito, unde est principium quod operationum quae a natura ut a principio quo procedunt. (Cf. I, 638 et seqq.).

Caput III.

De animae humanae simplicitate et substantialitate.

(Aristoteles, *De Anima cum Comm.* S. Thomae, ipse *S. Th.*, p. I, q. 75, II, c. g.; qq. disp. *De Anima;* Comm. Cajet, Bannez, Javello in 1.m P., *S. Th.*, l. c.; Suarez, Joann. a S. Thoma, Sylvester, Maurus, *De Anima;* Goudin, *Physic.*, pars IV, disp. un., qu. IV; Zigliara, *Psych.*, l. I., c. III.; Liberatore, *Psychol.*, c. II, art. I et II; Rosselli, *Summa Philos.*, Pars secunda, quaest. XVI, art. I; Schiffini, *Metaph. spec.*, pars alt. disp. I, sect. I; Lorenzelli, Pesch, Mercier, *Psycolog.*, Hugon, Willems).

334. **Ratio capitis.** — Agentes de natura animae humanae in se, imprimis ejus simplicitas est statuenda atque substantialitas, inde ejus spiritualitas sive independentia a materia, et tandem ejus incorruptibilitas atque immortalitas. Quod variis capitibus breviter perficiemus.

335. **Quid doceant materialistae circa essentiam seu naturam animae rationalis.** — Materialistae et positivistae, sententiam antiquorum materialistarum sequentes, non solum docent animam sensitivam brutorum animantium, ut diximus supra (n. 282) aut esse materiam aut ad vires physicas aut chimicas materiae revocari, aut consistere in temperata harmonia organici corporis, aut esse ipsum corpus, sed idipsum docent de anima rationali. Inter antiquos materialistas recensentur Democritus, Leucip-

pus, etc.; inter recentiores autem De Lamettrie (1709-1751), Cabanis (1757-1808), Haeckel, Buchner et alii, quos citatos videre poteris in logica (I, n. 343). Hi omnes animae substantialitatem ac simplicitatem negant. Sunt qui exclusive admittunt perceptionum complexum relationem mutuam inter se se habentium. Hi dicuntur phaenomenistae (1).

---

(1) Taine negat tum substantialitatem materiae seu naturae corporeae, tum animae, seu naturae spiritualis. « Analysis, ita ipse loquitur, ex qua in substantia et in vi non habentur nisi entitates verbales, et materiae et spiritui applicari potest. Tam physice quam moraliter *vis* est proprietas quam phaenomenon vel factum habet ut post ipsum aliud phaenomenon sequatur. Haec proprietas abstracte accepta nomine substantivo designata fit vel est substantia; sed talis non est in se vere et proprie, sed ob sermonis utilitatem sic consideratur ». *Dell'Intelligenza*, vol. I, pp. 347-349. Et ib. pag. 343 « *To ego* nihil est aliud quam entitas verbalis et illusio seu phantasma metaphysicum.... Affectiones, puta sensatio saporis, dolor in crure, memoria concertus, gustatio etc. sunt ipsa componentia nostram personalitatem seu *το ego* quod est distinctim et successive una affectio post aliam. Unde ab initio est unice sensatio saporis, inde nihil aliud quam dolor, et tandem memoria concertus ». — Haec est doctrina absurda et inconcepibilis positivistarum nostrorum dierum qui potius compassione (nisi irrisione digni dicantur) quam refutatione indigent. Unde Aloysius Chiesa ita positivistas perstringit (*La Base del Realismo*, pagg. 11-12): « Positivismus ait: *To ego* est illusio metaphysica; tamen adest series nostrarum repraesentationum. Nostrarum? quomodo nostrae dicuntur si *το ego* non existit et est illusio? » imo quomodo contingit ipsa illusio si non est qui illuditur ab ipsa illusione distinctus? — « In corporibus substantia non est; sed tantum in eis sunt phaenomena, actiones; corpus agit, at non subsistit; phaenomena evolvuntur sine ulla re cui tribuantur ad quam pertineant. Phaenomena seu effectus existunt, at non existunt vires a quibus procedant, hae enim sunt pura nomina fictitia a metaphysicis introducta » (quae nihil significant) ad utilitatem sermonis!! « Inutile est prosequi, quippe omnis positivismi adsertio contradictionibus plena est ».

336. **Conclusio I.** — *Anima rationalis non est corpus.* — Haec conclusio imprimis probata quoad utramque partem manet ex iis, quae in cosmologia exposuimus (nn. 262 et 282). Sed ob rei gravitatem iterum probanda est. Itaque.

Prob. 1.°: Actio corporis ultra corpora non se extendit. Sed actio animae rationalis se extendit ultra corpora. Ergo anima rationalis seu intellectualis non est corpus. — *Major* patet, nam corpus non agit ultra suam speciem, et multo minus ultra suum genus; insuper corpus nonnisi rem extensam attingere potest. — *Minor* etiam constat, nam actio animae rationalis, quae est intelligere et velle, se extendit ad res intelligibiles, ad ordinem moralitatis et spiritualitatis, quae corpora excedunt (1).

2.° Corpus quidquid continet, per quantitatis commensurationem continet. Atqui intellectus, seu anima intellectiva, continet alia a se non per quantitatis commensurationem. Ergo anima intellectiva non est corpus. — *Maj. patet*, quia corpus aliud corpus continet, ita ut pars corporis contenti correspondeat parti corporis continentis, et quidem major pars majori, et minor minori. — *Minor. prob.* ex eo quod intellectus non intelligit neque comprehendit rem aliquam intellectam per quantitatis commensurationem; nam, quando intelligit, non per partem sui intelligit partem alicujus corporis, sed se toto intelligit totum et partem ejus.

3.° Nullum corpus replicatur supra seipsum, quamvis pars ejus possit replicari supra aliam partem. Atqui anima intellectiva replicatur supra se ipsam secundum se totam; nam ipsa *intelligit* se et *vult* se, imo in-

---

(1) *S. Th.*, c. g., l. IV, c. LXVI, 3.

telligit etiam ipsum suum *intelligere,* et vult ipsum suum *velle,* quae actiones sunt replicativae seu reflexivae. Ergo anima intellectiva non est corpus.

4.° Anima intellectiva non constat ex materia. Ergo non est corpus. — *Prob. antec.:* Anima intellectiva est principium essentialiter activum et quidem nobilissimum, se extendens sua activitate nobilissima ad omnia etiam quae summopere, imo in infinitum distant, nam ipsa intelligit et vult: materia autem est principium passivum potentiale et imperfectissimum a sua extensione et quantitate coarctatum. Ergo anima in sui natura non includit materiam. — *Confirmatur:* Principium activum et passivum, quod est materia, realiter distinguuntur in corpore (n. 195).

337. **Corollaria.** — I. Anima rationalis non est extensione praedita; extensio enim est corporis proprietas.

II. Non est composita compositione essentiali neque integrali.

338. **Conclusio II.** — *Anima rationalis est quid simplex* (1) *et substantiale.* — Haec etiam conclusio probata manet ex dictis in cosmologia (nn. 258 et 268), tamen specialiter haec addimus:

Prob. 1.ª *pars.:* Operationes propriae animae rationalis, quae sunt intelligere et velle, sunt omnino simplices actus. Ergo etiam anima rationalis est omnino simplex. — *Consequentia* patet, non enim effectus omnino simplex potest procedere a re composita: nam vel totus procedit ab una parte, et tunc alia superflua est et nihil producit (I. n. 772), et ideo non est activa, et non est anima; vel partim ab una et partim ab alia effectus producitur, et

(1) Cf. vol. I, n. 42, 49 et seqq.

tunc effectus habet partes et non est simplex. — *Antec.* est manifestum, quia intelligere et velle attingere possunt, imo de facto attingunt, objecta simplicia; igitur si dicantur composita ex partibus, vel quod attingunt objectum simplex per partem sui, et tunc illa pars est intellectio et volitio, alia vero pars non est intellectio aut volitio, neque actus, sed nihil.

Prob. 2.ª *pars.:* 1.° Quamvis materia hominis, sicut et materia cujuslibet viventis, jugiter renovetur et totaliter immutetur, ut patet ex ratione nutritionis, ut physici docent, tamen semper eadem conscientia, idem semper subjectum cogitans perseverat; ego e. g. sum ille ipse ego, qui eram abhinc decem, viginti et triginta annis, et a coeteris semper eodem modo distinguor. Ergo mea personalitas, meum *ego*, non constituitur in se, neque distinguitur ab aliis per materiam: ergo per aliquid omnino a materia distinctum et diversum. Ergo in me est aliquid a materia distinctum, diversum, stabile, idem perseverans, quod procul dubio est aliquid substantiale, utpote ad meam personalitatem intrinsece pertinens et ipsam constituens. Hoc autem est quod recte anima rationalis vocatur, utpote principium ratiocinationis. Ergo anima rationalis est quid substantiale et incorporeum.

Confirmatur: Mea personalitas, idest τὸ *ego*, est quid substantiale et permanens, nam *ego* sum ille ipse *ego* qui eram abhinc decem, viginti etc. annis; ergo per aliquid substantiale constituitur. Atqui nonnisi per animam rationalem constituitur mea personalitas. Ergo anima rationalis est quid substantiale. — *Prob. minor:* 1.° Nam ego ipse sum eadem semper persona, quae ratiocinatur et intelligit, quod non esset si non constituerer per animam rationalem, nam persona constituitur per id quod est nobilissimum in illa; hoc autem

non est nisi principium intellectionis, idest anima rationalis. 2.° Mea personalitas non constituitur per materiam quae jugiter, et progressu temporis tota renovatur, ut docent physici : ergo per aliquid a materia distinctum, quod anima vocatur et est principium primum intellectionis in me.

2.° Anima humana est principium specificativum et distinctivum hominis ab aliis rebus tum inanimatis quam animatis, tum vegetalibus quam animalibus. Sed principium specificativum et distinctivum substantiae puta hominis, animalis etc. est quid substantiale. Ergo anima humana qua homo constituitur in sua specie humana ut ab aliis distinctus est quid substantiale.

339. **Corollarium.** — Ex quibus patet evidentissime animam rationalem non consistere in temperata harmonia corporis humani, nam haec harmonia nihil est aliud quam modificatio corporis et accidens ejus (Cf. supra n. 281 seqq.) a vi substantiali et specificativa corporis directa et dependens. (Cf. *S. Th.*, c. g., II, c. 63, 64).

CAPUT IV.

De spiritualitate animae humanae.

(Cf. auct. cap. praec. citatos).

340. **Quaestio prima.** — Quaeritur nunc an anima rationalis, quamvis corpus non sit, neque materiam includat, tamen in suo esse a materia vel a corpore dependeat, ita ut sine corpore vel sine materia subsistere nequeat ; breviter : quaeritur an sit per se subsistens et spiritualis. (Cfr. I., 634).

341. **Determinatio quaestionis.** — Si anima rationalis per se ipsam intelligit et non per organismum corporeum, sequitur ipsam in suo operari non dependere a corpore, sed esse omnino independentem; nam tunc ejus actio, quae est intelligere, ab ipsa sola procedit, et manet in ipsa; et ideo anima etiam in suo esse a corpore et a materia erit omnino independens. Sufficit ergo ad probandam animae humanae spiritualitatem probare quod intellectus non est facultas organica seu corporis, sed solius animae, quae corpus non est. Hoc tamen non excludit quod idipsum aliis argumentis probetur.

342. **Conclusio.** — *Anima rationalis est spiritualis seu per se subsistens* (1).

Prob.: Intellectus non est facultas organica seu compositi, sed est solius animae; ergo intelligere, quod est propria operatio animae intellectivae seu humanae, subjective non dependet a materia; ergo neque ipsa anima in suo esse a materia dependet. — *Conseq. patet,* nam agere sequitur esse et ei proportionatur. — *Prob. antec.* multipliciter:

1.° Ad hoc ut facultas aliqua organica percipiat sua objecta, oportet ut nihil horum objectorum habeat in semetipsa. Atqui facultas intellectiva percipit omnia corpora omnino organica et inorganica nullo excepto. Ergo facultas intellectiva in sua natura nihil corporum sive organicorum sive inorganicorum habet; ergo facultas intellectiva est omnino inorganica. — *Prob. maj. inductive:* Ad hoc ut oculus colorata percipiat, oportet ut nullum coloratum habeat in se; nam si in se haberet unum coloratum, non posset

(1) Consuli possunt praeter cit. auct.: Per. Div. Th. (1902) fasc. 3, ser. II, v. III, pag. 253; S. Augustinus, *De Genesi ad litter.*, l. VII, c. 12-21; *De quantitate animae,* c. III-IV; *De Trinit.*, c. VI-X; Janet, Bernier, Guibert.

omnia colorata percipere; idipsum dicendum est de aliis potentiis organicis; unde si tactus in se habeat calorem, non potest percipere alia objecta calida; si gustus in se habeat aliquem saporem, alia sapida percipere non potest; alia enim omnia videntur illum ipsum saporem habere. Item cum sonus est in aure, auris non potest audire et distinguere alios sonos sicut oportet, etc. Et multo minus posset percipere quilibet organus sensorius alia objecta extra se posita, si aliquod determinatum objectum permanenter in ipso existeret; sicut si lingua esset permanenter affecta colerico humore (sicut in infirmis contingit) etiam dulcia viderentur esse amara. Si autem aliquis sapor determinatus esset ipsa natura gustus, alii sapores non possent ullo modo percipi a gustu; item si auris esset sonus etc. (1)

2.° Hoc est singulare in intellectu quod percipit actum suum et seipsum totaliter. Atqui nullus orga-

(1) Hoc argumentum proponi potest sub hac forma: Facultas intellectiva percipit omnia corpora omnino tum organica quam inorganica. Atqui facultas organica non percipit omnia corpora. Ergo facultas intellectiva non est facultas organica. *Prob. minor* 1.° ex hoc quod secus perciperet etiam se ipsam, cum sit quoddam corpus, quod tamen est impossibile ut argumento sequenti dicemus; 2.° quia objectum proprium et formale facultatis organicae percipientis omnia corpora non posset esse nisi corpus inquantum corpus, non enim potest esse aliquid universalius corpore, cum ultra corpora non se extendat perceptio facultatis organicae, ut ipsimet materialistae concedunt. Atqui corpus inquantum corpus non potest esse objectum formale et primarium facultatis organicae et corporeae. Ergo facultas organica non percipit omnia corpora. *Prob. minor* ex hoc quod cum facultas organica sit corporea et corpus, sequeretur quod ejus objectum esset ei semper praesens, imo esset in ipsa; sed in facultatibus organicis hoc constanter habetur quod praesentia proprii objecti impedit cognitionem aliorum; ergo objectum formale et primarium facultatis organicae corpus esse non potest. Cf. S. Th., l. c., a. II. c.

nus percipit actum suum aut se. Ergo intellectus non est organica facultas. — *Prob. minor* 1.° inducendo per singula: oculus non percipit actum suum, neque auris, neque gustus, neque tactus etc. Et quamvis sensus communis percipiat actus sensuum externorum, non tamen percipit se. — *Prob.* 2.° *eadem minor:* organus cum sit corporeus, materialis, extensus, non potest agere supra seipsum in seipsum reflectendo, praecipue se totum amplectendo. — *Prob.* 3.° *eadem minor:* Si organismus seu facultas organica percipere se posset, necessario et semper seipsam perciperet, cum sit sibi semper praesens, eo ferme modo, imo a fortiori, quo percipit objectum quod est ei praesens, sicut gustus semper percipit dulce, si dulce semper existat in ore; imo si facultas organica seipsam percipere posset, omnia perciperet ad modum sui esse, sicut gustus ad modum dulcis et amari percipit ex eo quod dulce vel amarum ponitur in ipso (1).

3.° Quilibet sensus redditur ineptus ad percipienda objecta inferiora, imo et corrumpitur a praesentia et actione excellentis sensibilis, ut patet inducendo per singula. Atqui intellectus non corrumpitur a praesentia excellentis intelligibilis, non ineptus redditur ad intelligenda inferiora, sed e contra redditur aptior; nam qui superiora intelligit facilius intelligit inferiora. Ergo intellectus non est materialis sicut organismus, sed aliquid sine materia, distinctum ab organismo et a corpore, seu ab organismo independens (2).

4.° In senibus, in quibus debilitatur organismus, vis intellectiva saepe est perfectior: senes enim prudentiores et sapientiores sunt, quam essent cum

---

(1) c. g. l. IV. c. LXVI, 4.
(2) ib. 5.

erant juvenes perfectissimum organismum habentes. Ergo vis intellectiva non est facultas organica neque ab organismo dependens.

5.° Nulla facultas organica apprehendit aliquid ut a corporibus distinctum; solus intellectus apprehendit objecta praescindendo a corporibus et corporibus superiora, imo ipsa corpora modo universali et sub quadam necessitate apprehendit; ex rebus perceptis ad alia cognoscenda certe adsurgit licet sensibus percipi aut experiri non possint. Ergo intellectus non est facultas organica, neque ab organismo dependet (1).

6.° Nulla facultas organica recipit in se formas universales, idest abstractas a conditionibus materialibus, cum ipsa, utpote materialis, nonnisi materialiter formas recipere possit, ac proinde individuas, contingentes et repraesentativas solummodo individui determinati. Atqui intellectus recipit in se formas universales, quae ad omnia repraesentanda ordinantur, etiam infinita si dentur; et quidem sub ratione necessitatis, immobilitatis, aeternitatis (I, 195 et seq.). Ergo intellectus non est facultas organica, seu non pertinet ad organismum, sed ad animam solam et est ab organismo omnino independens (2).

7.° Anima humana in suis operationibus nobilissimis quae sunt intelligere et velle non dependet et non coarctatur a materia, sed extra materiam excurrit ab ea independens. Ergo etiam in suo esse est a materia independens, incomprehensa, materiae cuilibet supereminens; atque proinde immaterialis et spiritualis est dicenda omnino. — *Consequentia*

---

(1) ib. 2.

(2) Cf. S. Th., c. g. l. II, c. LXXI. Nost. Int. p. I, c. VIII; Zigliara, Prop. l. I, c. V.

patet, nam operari sequitur esse et natura operationis sequitur naturam principii a quo ipsa operatio procedit ac ipsam manifestat. — *Prob. antec.:* Intelligere animae humanae non coarctari a materia imo extra ipsam materiam excurrere quotidiana experientia docet, quippe saepissime est apud omnes homines, materialistis non exceptis, sermo de rebus aeternitate praeditis (cfr. n. 56 seqq.), incorporeis, immaterialibus, de rebus extra-sensibilibus, de rebus extra spatium, extra tempus et mutabilitatem positis, de rebus materia ipsa nobilioribus, imo cogitationem esse materia quid nobilius nonnisi demens negare potest: at ipsa nobilior certe non esset si ab ipsa materia vel a substantia materiali procederet ab ea dependens. — Similiter ipsum *velle* animae extra materiam ferri seu tendere totum genus humanum testimonium ineluctabile perpetuo perhibet; quippe homo incessanter ad spiritualia tendit, unde materiae aut instincturi animali cedere obbrobrium est ipsi, quasi scilicet contra naturam suam nobilissimam, qua ad spiritualia fertur, ageret. Unde videmus homines bonae voluntatis super materiam etiam proprii corporis sicut super cupiditates materiales exercere imperium ita ut ipsam mortem aspernantur. Quod certe non esset nisi ipsum *velle* supra corpus atque materiam esset constitutum, nisi ea esset nobilius atque ab ea independentiam haberet. (Cf., n. 285).

Confirmatur: Esse animae ab eo dependere non potest a cujus abstractione in operando perficitur. Atqui anima humana per abstractionem a materia in suo esse perficitur. Ergo anima humana a materia est independens et spiritualis. — *Prob. minor* ratione S. Thomae dicentis: « Perfectio animae humanae consistit in abstractione quadam a corpore, perficitur enim anima scientia et virtute; secundum

scientiam autem tanto magis perficitur quanto magis immaterialia considerat; virtutis autem perfectio consistit in hoc quod homo corporis passiones non sequatur, sed eas secundum rationem temperet et refrenet ». (C. G., l. II, c. 79, 2).

343. **Solvuntur difficultates.** — *Obj.* 1.ª Quod tangit corpus neque spirituale, neque simplex est. Atqui anima humana tangit corpus. Ergo neque spiritualis, neque simplex est.

Resp.: Dist. maj.: Quod tangit corpus contactu quantitativo neque..., *conc.;* quod tangit.... contactu virtutis, spirituale non est, *nego.* Et, *contrad. minor., nego conseq.* — Anima non tangit corpus eo modo, quo unum corpus tangit aliud, idest applicando suam quantitatem; nam anima quantitatem seu extensionem non habet; sed tangit corpus applicando suam virtutem; et hoc manifestum est ex modo diverso tangendi, nam corpus nonnisi exterius tangit aliud corpus, extensionem suam extensioni alterius corporis applicando, sed anima interius corpus tangit in quacumque parte ipsum penetrando, et quasi in ipso incedendo et pervadendo ipsum.

Obj. 2.ª Intelligere est actio propria hominis. Atqui homo est substantia quaedam composita ex anima rationali et corpore organico. Ergo intelligere non est actio solius animae, sed totius compositi.

Resp.: Dist. maj.: Ut suppositi seu ut *principii quod, conc.;* ut naturae seu ut *principii quo, subdist.:* Ratione partis formalis ipsius, quae est anima intellectiva, *conc.;* ratione totius naturae humanae, ut constat ex anima intellectiva et corpore, *nego. Conc. minorem* et *nego conseq.* — In homine duo considerantur: 1.° persona, quae est principium *quod* intellectionis, et cujuscumque actionis; et sic vere homo est qui intelligit et operatur (I, 639 seq.); 2.° natura

humana, quae est principium *quo* operationum; tamen aliter est principium *quo* operationum sensitivarum et intellectivarum; sensitivarum ut est quoddam compositum ex anima et corpore, intellectivarum per nobiliorem partem sui, idest, per animam intellectivam.

Instabis: Quaelibet natura est principium *quo* suae propriae et specificae operationis. Atqui propria et specifica operatio naturae humanae est intelligere. Ergo natura humana, quae est composita ex anima et corpore, est principium *quo* intellectionis.

Resp.: Dist. maj.: Quaelibet.... est principium vel ratione sui, ut est quoddam totum, vel ratione partis suae, *conc.;* semper ratione sui complete sumpti, *nego. Conc. min.* et *nego conseq.* — Ad hoc ut natura sit principium *quo* suae operationis, sufficit ut pars ejus sit principium *quo:* e. g. ut corpus vel organismus animalis possit dici principium *quo* visionis, sufficit ut *oculus,* qui est pars corporis, sit principium *quo* visionis; et similiter ut natura humana dici possit principium *quo* intellectionis sufficit ut anima intellectiva, utpote pars ejus, sit principium *quo* intellectionis.

Urgebis: Operatio formae, quae totum suum esse communicat materiae, non a sola forma est, sed a composito; nam compositum habet esse formae, idest, vel sensitivum vel intellectivum. Atqui anima intellectiva totum esse suum communicat materiae seu corpori. Ergo propria operatio animae intellectivae, idest intelligere procedit a composito.

Resp.: Dist. maj.: Est a composito si forma communicat esse suum secundum omnem gradum essendi, *conc.;* secus, *nego.* Et *contrad. min.:* totum esse suum, idest, secundum omnem gradum essendi, *nego;* secundum aliquem gradum essendi, *conc.* — Anima in-

tellectiva non communicat esse suum corpori secundum omnem gradum, sed secundum gradus inferiores, idest secundum quod est principium vegetationis et sensationis, non autem secundum quod est principium intellectionis; idest dat corpori esse vegetativum et sensitivum, non esse intellectivum; nam esse intellectivum materiae communicari formaliter non potest. Unde anima, utpote simplex, dat corpori esse suum totum, sed non totaliter, ut melius explicabitur infra.

Obj. 3.ª Intelligere animae dependet a phantasmatibus; ergo a corpore. Ergo anima etiam in suo esse dependet a corpore.

Resp.: Dist. antec.: Intelligere animae dependet a phantasmatibus subjective, *nego;* objective et ministerialiter, *conc.;* et in eodem sensu, distincto *primo conseq. nego secundum conseq.* — Concedimus quod intelligere animae in praesenti statu indigeat consortio et ministerio phantasmatum, et sic a corpore dependeat; sed haec dependentia est pure objectiva, quatenus scilicet anima indiget ut ei per phantasma exhibeatur objectum; sed tamen non dependet subjective quasi sit actus phantasiae aut corporis, et ideo ratio non sequitur (1).

Obj. 4.ª Physiologi ostendunt intellectionem dependere ex cerebri activitate seu vitalitate, quod legi conservationis energiae subjicitur. Ergo intelligere ex communi energia corporis derivatur idest ex ipso organismo legi energiae subjecto.

---

(1) P. I, qu. 75, a. II, ad 3.m ita scribit Angelicus: « Corpus requiritur ad actionem intellectus non sicut organum quo talis actio exerceatur, sed ratione objecti; phantasma enim comparatur ad intellectum sicut color ad visum. Sic autem indigere corpore non removet intellectum esse subsistentem; alioquin animal non esset aliquid subsistens, cum indigeat exterioribus sensibilibus ad sentiendum ».

Resp.: Dist. maj.: Ostendunt *intellectionem* dependere ex cerebri activitate sicut a conditione praerequisita *conc.*, sicut a causa efficiente *elicitiva nego.* — Et *nego conseq.* — Concedimus intellectum in suo exercitio sicut a conditione dependere a phantasmatibus seu a phantasia quae in cerebro residet utpote facultas organica, et ideo dependere etiam sicut a conditione ab energia ipsius cerebri atque legi ejus conservationis subjici; sed ex hoc non sequitur intellectum a tali energia non distingui. — Imo oppositum potius ostenditur, nam cum cerebri materialis energia sit major vel minor juxta volumen cerebri sequeretur quod si energia illa esset causa et principium intellectionis, illi qui majus cerebrum habent perfectius intelligerent; idest intelligere mensuraretur in sua intensitate et perfectione e cerebro ipso; quod esse falsum patet ex ipsa experientia. Contingit enim saepe quosdam viros summopere alios ingenio praecellere quin vix eos in magnitudine cerebri excedant, imo quandoque excedi; quod semper contingit in mulieribus illis quae viros ingenio excedunt. Unde ipsimet physiologi concedunt nullum argumentum afferri posse ex cerebro contra animae spiritualitatem. Audiatur insignis physiologus Mosso: » Si l'on demande à un physiologiste une preuve irréfutable de la non existence, dans le cerveau, d'une force immaterielle, *il ne peut la donner*, mais en jugeant par *analogie*, en rapprochant les phénomènes cérébraux de tous le autres phénomènes naturales, il se voit contraint d'admettre que le cerveaux, lui aussi, est sommis à la loi de la conservation de l'énergie » (1).

(1) Cit. apud HUGON. *Biologia et psychologia*, pag. 89. Sed et hoc observatione dignum est omnino quod quorumdam materialistarum jactantium adinvenisse organum intellectus in cerebro

344. **Quaestio secunda.** — Secundo loco quaeritur: An repugnet omnino cogitatio seu intelligere ipsi materiae, ita ut ne ex potentia quidem Dei absoluta fieri possit ut materia intelligat vel cogitet.

345. **Errores.** — Lockius licet spiritualitatem animae humanae admittat, tamen non consentit eam posse demonstrari apodictice ex ipsius animae operatione quae est intelligere, quippe, ait ipse, hanc actionem ex Dei absoluta potentia materiae non posse convenire temerarie adseritur; quis enim potentiam divinam metiri potest? Insuper quis unquam omnes materiae vires explorasse contendere aut adserere potest? — Huic doctrinae adhaerere vel saltem non satis ab ea recedere videntur illi qui corpora ex monadibus perceptione praeditis composita adserunt (cfr. n. 186);

---

jactantia profligata est saeculo nuper elapso. Quocirca audiatur Surbled: « Irritis ineptisque experimentis animo fracti sequioris aevi physiologi, ait cl. G. Surbled, cerebrum perinde ac *organum intellectus* et animae *propriam sedem* arbitrabantur et perperam opinati cerebrum inexcitabile prorsus esse, principium motionis et sensationis in medulla oblungata localizaverant, quam unam sensibilitate praeditam reputabant, encephalo autem potentias immateriales, intellectum scilicet et voluntatem, assignabant. Gravissimus hic error.... anno 1870 funditus rejectus est ab inventione *centrorum moventium* et *sensitivorum* corticis cerebralis. Haec theoria a Fritsch et Hitzig ortum habuit.... Cerebrum porro, quod veteribus nostris (*materialistis*) organum spiritus visum est, nonnisi aliud est quam *organum sensibilitatis* et *motionis*, ipsiusque superficies corticalis disseminata est centris *sensitivis et motivis* quorum actio in dies magis ac magis a physiologis et clinicis comprobatur; omnes ejus partes sunt exploratae atque perpensae, nulla ipsarum ignota manet: nulla tamen intellectui assignatur » (Cf. Period. Div. Th. serie I, tomo 6, pag. 390) neque ab ipsis physiologis materialistis. Unde concludit citatus auctor: « Ex ea quae in praesenti dicitur scientia, manifeste infertur intellectum nullo organo esse alligatum, physiologicam

sicut etiam illi quos supra (n. 257) vitalismo exaggerato addictos citavimus. Etiam Bergson perceptionem materiae ascribit (1). Verum hi videntur confundere ipsam perceptionem sensitivam quae sensibilia individua respicit exclusive cum ipsa perceptione intellectiva quae est intelligere, quod ad universalia, necessaria, sempiterna se porrigit. A qua confusione ipsemet Lockius alienus non est, quippe, ut infra dicetur, turpiter sensum et intellectum confundit atque utriusque objectum inscite miscet.

346. **Conclusio.** — *Intelligere seu cogitatio omnino materiae repugnat.*

Prob. 1.°: Repugnat materiae sua operatione attingere objectum seu esse abstractum a materia, esse necessarium, sempiternum, esse simplex seu ipsam rationem simplicitatis; sicut etiam repugnat materiae re-

---

functionem non esse, non esse corporeum, adeoque omnimoda immaterialitate praeditum esse. Hoc argumentum admodum praestans atque omni exceptione majus (*si consideretur ad hominem contra praefatos materialistas non enim habet tantam efficaciam sicut argumenta scholastica a nobis adlata*) mirum in modum confirmatur, si cerebrum hominis cum simiae cerebro conferatur, siquidem inter utrumque mirabilis similitudo morphologica apparet. Diu porro perspectum est hominem et simiam qui in omnibus ad intellectum spectantibus toto coelo discrepant (*idest temquam affirmatio et negatio*), anatomice tamen mire convenire. Utriusque cerebri maxima similitudo est singulariter notanda. Alterum enim ab altero neque conformatio neque structura distinguunt, sed tantum ipsius cerebri pondus et massa quae coeterum haud quid essentiale videntur. Anatomice itaque similia utriusque organa encephalia, etiam physiologice similia esse debent, easdem nempe functiones peragere et nuper invecta *doctrina localizationum* et ipsorum munus designavit: ea siquidem praesunt functionibus vitae relationis, hoc est sensibilitati et motui ».

(1) *Eléments de la phil. de Newton, Matière et Mémoire*, pag. 249.

flecti, et replicari supra seipsam. Atqui intelligere seu cogitatio attingit objectum seu esse abstractum a materia, a tempore et spatio, esse necessarium, esse sempiternum, est operatio reflexiva qua subjectum cogitans replicatur supra se ipsum secundum se totum, quippe seipsum totum intelligit. Ergo intelligere seu cogitatio a materia omnino repugnat ita ut neque ex potentia Dei fieri possit quod materia cogitet, quippe contradictoria seu repugnantia ne Deus quidem facere potest (I, 535).

2.° Intelligere est quid nobilius ipsa materia, imo summopere materiam in nobilitate excedit. Ergo a fortiori principium ipsum intelligendi materiam excedit in sua natura: ergo principium intelligendi supra materiam constituitur et ab ea distinguitur.

3.° Repugnat quod effectus excedat causam a qua procedit. Atqui intelligere excedit summopere in nobilitate materiam. Ergo repugnat quod a materia procedat.

CAPUT V.

De immortalitate seu de incorruptibilitate animae humanae.

(S. Th., p. I, l. c., a. VI cum comm. supra citatis; c. g. l. II. c. 55 cum comm. Ferrariensis; GOUDIN, l. c.; ROSSELLI, l. c., art. II; ZIGLIARA, l. c. a. IV; LIBERATORE, l. c., a. IV; SCHIFFINI, l. c., sect. VI; LORENZELLI, MERCIER, HUGON, WILLEMS).

347. **Immortale et incorruptibile.** — Quod nunquam moritur immortale dicitur; incorruptibile autem dicitur quod corruptioni non subjacet. Unde quidquid est immortale dici potest incorruptibile, sed non quidquid dicitur incorruptibile apte dici potest

immortale. Materia prima e. g. dici potest incorruptibilis, non tamen dici potest immortalis. Igitur incorruptibile, si est vita praeditum essentialiter, dici potest immortale. Quia ergo anima, de qua loquimur, est essentialiter vita praedita, in praesenti idem est incorruptibile et immortale.

348. **Corruptibile per se, corruptibile per accidens et corruptibile per causam extrinsecam.** — Aliquid potest esse subjectum corruptioni tripliciter: 1.° per se, 2.° per accidens, 3.° per causam extrinsecam. Quod corrumpitur ex hoc quod in partes, ex quibus coalescit, resolvitur, dicitur corrumpi per se, sicut corpus animalis; quod autem cessat esse ex eo quod subjectum, in quo est, fit indispositum, aut in partes resolvitur, dicitur corrumpi per accidens. Sic corrumpitur anima brutorum, quia ipsa, cum sit simplex, non resolvitur in partes, sed cessat esse ex eo quod corpus, in quo est, dissolvitur. Per causam extrinsecam autem dicitur corrumpi illud, quod licet de se non tendat ad non esse, tamen ab aliquo agente extrinseco, a quo pendet, destruitur.

349. **Immortale ab intrinseco et immortale ab extrinseco.** — Immortale duplex distinguitur: ab intrinseco et ab extrinseco. Immortale ab intrinseco dicitur illud, quod neque per se, neque per accidens corruptioni subjicitur; illud autem quod aut per se, aut per accidens corruptioni est subjectum, si forte semper conservetur in esse a Deo, dicitur immortale ab extrinseco; e. g. si Deus animal aut animam bruti semper in esse conservaret, animal aut bruti anima esset immortalis, non tamen ab intrinseco, sed exclusive ab extrinseco; e contra Angelus ex sua natura intrinseca est immortalis, quia cum sit simplex et per se subsistens, neque per se, neque per accidens tendit in corruptionem.

350. **Quaestio definienda.** — Quaestio ergo definienda in praesenti haec est, an anima humana sit immortalis, et quomodo, an ab extrinseco, an ab intrinseco. Duo ergo definienda sunt : 1.° an anima humana sit immortalis, 2.° an sit immortalis ab intrinseco, vel solummodo ab extrinseco.

351. **Conclusio I.** — *Anima humana immortalis est.*

Prob. : 1.° Quod tamquam certum admittitur a consensu communi generis humani est ut tale omnino retinendum (I, n. 326). Atqui animam humanam esse immortalem admittitur a sensu naturae communi, cum nulla natio, nullus populus, nulla gens existat, quae immortalitatem animae humanae non agnoscat, ut patet ex historia. Ergo anima humana vere immortalis est (1).

2.° In anima humana est naturalis et fundamentalis tendentia ad felicitatem, quam ipsa incessanter quaerit et quam potest invenire, natura enim non dat inclinationem ad id quod est impossibile. Atqui si anima humana non est immortalis, non est possibile ut talis inclinatio expleatur, et inveniatur felicitas. Ergo anima humana immortalis est. — *Prob. minor :* Vera felicitas non potest inveniri nisi expellatur omne malum : non autem amovetur omne malum, admissa hac sola praesenti vita, cui mors et destructio conjungitur (2).

---

(1) Quoad hoc argumentum ex consensu generis humani, Cf. Fustel de Coulanges, *La cité antique*, l. I. c. I-II; Vigouroux, *La bible et les découvertes*, t. III, liv. II, c. IV. — Henri Martin, *La vie future.*

(2) Audiatur cl. Piat qui ita illustrat nostram minorem: « Supposez, ait ipse, que tout se termine au néant ; et notre pensée n'a plus aucun moyen de s'égaler à son objet essential. Par là même la tristesse éclôt dans notre coeur et s'y fortifie

3.° Sanctitas et justitia divina exigunt ut unicuique tribuatur juxta opera sua, idest bene agentibus congruentia et proportionata praemia conferantur, male autem agentibus congruentes et proportionatae poenae, ita scilicet ut sanctitas et justitia divina splendescat et publice manifestetur (cf. n. 48). Atqui in hac vita debita praemia bene agentibus non semper conferuntur, neque male agentibus debitae poenae; cum saepe virtuosi viri tribulationibus, egestate etc. vexentur, et male agentes prospere vivant. Ergo admittenda est altera vita, in qua sanctitas et justitia Dei omnibus patefiant.

Confirmatur : Et merito quidem haec tria idest genus humanum, desiderium felicitatis, justitia et sanctitas divina nos cogunt ad animi humani immortalitatem confitendam, nam ut ait Tullius « Nisi haec (immortalitas animorum) pro certis habeantur necesse est homines in maximarum rerum ignoratione versari, quibus sublatis (vel in dubium vocatis) nulla potest esse pietas, nulla sanctitas, nulla religio; et perturbatio vitae sequitur, magnaque confusio; fides etiam et societas humani generis et una excellentissima virtus justitia tollitur » (Tusc. l. I).

352. **Conclusio II.** — *Anima intellectiva sive humana est immortalis ab intrinseco.*

Prob. : 1.° Anima humana neque per se corrumpitur, neque per accidens. Atqui quod neque per se corrumpitur, neque per accidens est incorruptibile ab intrinseco (n. 348). Ergo anima humana est incor-

---

toujours davantage. Plus nous avons de vigueur de pensée, plus le sentiment de l'universelle vanité nous étreint, plus nous éprouvons de satiété et de dégoût. A mesure que notre raison s'approche de son but qui est la vérité, notre sensibilité s'éloigne du sien qui est le bonheur ». *Destinée de l'homme*, pp. 160-161.

ruptibilis ab intrinseco. — *Prob. maj.:* Anima humana non habet partes in quas resolvi possit, cum ipsa non sit corpus, imo sit simplex (n. 335-337). Ergo per se non corrumpitur (n. 347). Anima humana, utpote intellectiva, est per se subsistens, et ideo ipsa est independens a materia et a corpore (n. 341); ergo neque corrumpitur ex corruptione corporis; ergo non corrumpitur per accidens.

2.° Naturalè et fundamentale desiderium, seu naturalis et fundamentalis inclinatio propria alicujus naturae specificae praecipue nobilissimae, oportet ut impleatur cum talis inclinatio frustra esse non possit. Atqui desiderium essendi semper est naturale, proprium et fundamentale in natura intellectiva. Ergo naturale desiderium essendi semper, quod est in anima humana, expletur de facto, et ideo anima humana est immortalis. — *Declaratur minor:* Naturale, proprium et fundamentale desiderium naturae cognoscitivae sequitur naturalem, propriam et fundamentalem cognitionem ejus, et ideo respicit objectum naturale, proprium et fundamentale talis cognitionis; naturale autem, proprium et fundamentale objectum cognitionis intellectivae est esse universale, necessarium, et esse semper. Ergo desiderium essendi semper est naturale, proprium et fundamentale in natura intellectiva, ut intellectiva est. (Cf. S. Th. c. g. l. II, c. 84, 1).

Confirmatur ex facto: In homine est naturale desiderium *essendi semper*, ut patet ex facto ipso. Naturalis autem inclinatio non potest esse frustra; nam opera frustranea sunt opera insipientiae, quae in auctorem naturae cadere non possunt. Atqui si anima humana non esset immortalis, tale desiderium esset frustra, nam homo mortalis est. Ergo dicendum est quod anima humana est immortalis.

Dices: Anima humana potest a Deo annihilari: ergo saltem ex hac parte dubitari licet de ejus immortalitate.

Resp.: Dist. antec.: De potentia absoluta, *conc.:* de potentia ordinaria, *nego.* Vel etiam: *transmitto antec.* et *nego conseq.* — Ex hac difficultate magis roboratur nostra demonstratio, nam permanentia rerum in esse non judicatur ex eo quod Deus facere possit, sed ex natura ipsarum rerum. Ratio est quia ad providentiam et sapientiam Dei pertinet res conservare in esse secundum conditionem naturae ipsarum rerum et secundum leges in ipsis rebus a Deo statutas. Ergo sicut ex eo quod conditio alicujus naturae est ut corruptioni subdatur, optime infertur absque omni dubio, quod res illa non est incorruptibilis, et non semper perseverat in esse, quamvis Deus possit illam rem conservare in esse ut sit semper; ita etiam ex eo quod res ex sua natura non subest corruptioni optime infertur, et absque omni dubio, quod semper perseverabit in esse. Insuper, ex eo quod res habent naturam magis firmam optime et absque omni dubio concludimus quod earum esse majorem habet diuturnitatem: e. g. quod terra habeat majorem diuturnitatem, quam animal, et sol majorem diuturnitatem quam lapis, et quod semper magis resplendeat quam luna, quamvis ex omnipotenti Dei virtute oppositum fieri possit. Ergo ex eo quod aliquod ens nullo modo corruptioni vel dissolutioni ex sua natura subjicitur, optime et absque omni dubio deducitur semper perseveraturum in esse, licet ex virtute omnipotentis Dei oppositum fieri possit.

3.° Anima humana perficitur per hoc quod a corpore abstrahitur, imo quanto magis abstrahitur a corpore per suas operationes tanto magis perficitur; insuper ejus operatio secundum quam abstrahitur a

corpore attingit esse seu objectum sempiternum, imo et ipsa corruptibilia apprehendit abstrahendo ab eorum corruptione, ab eorum contingentia, ab eorum tempore; unde prout sunt apprehensa a mente habent incorruptibilitatem, necessitatem et sempiternitatem. Atqui operatio sequitur esse et ei proportionatur, natura operationis et modus designat naturam et modum essendi subjecti cujus est. Ergo anima non perit per hoc quod corpus corrumpitur, sed magis perficitur, et semper perseverat in esse. — *Major* quoad primam partem *prob.:* Anima perficitur scientia et virtute; secundum scientiam tanto magis perficitur quanto magis immaterialia considerat, et quanto immaterialius res materiales apprehendit; virtutis autem perfectio consistit in hoc quod homo corporis passiones non sequatur, sed eas secundum rationem temperet et refrenet. Secunda pars majoris manifesta est (cf. I. n. 202 in resp. 2.ae obj.) (1).

353. **Solvuntur difficultates.** — *Obj.* 1.ª Res quae habet durationem infinitam est infinita. Atqui anima humana non est infinita. Ergo non habet durationem infinitam, et ideo non est incorruptibilis.

Resp.: Dist. maj.: Res quae habet durationem infinitam in esse formaliter ex ipsa essentia sua, *conc.;* quae habet durationem infinitam in esse, per esse distinctum ab essentia, *nego. Transeat minor,* et *nego conseq.* — Anima humana habet utique durationem infinitam; sed quia habet durationem formaliter ex esse quod ab ipsa distinguitur, et quod convenit ei per influxum et causalitatem divinam, ideo ipsa non est infinita, simpliciter loquendo, in sua essentia; est tamen in ipsa aptitudo ad retinendum esse semper, et semper de facto retinet, supposito divino influxu.

(1) Cf. S. Th., c. g., l. II, c. LXXIX-LXXXI.

Obj. 2.ª Quod dependet a corpore quoad suam originem, cum corpore perit. Atqui anima humana dependet a corpore quoad suam originem. Ergo anima humana cum corpore perit.

Resp.: Dist. maj.: Quod dependet quoad suam originem a corpore sicut a causa, sive principali sive instrumentali, cum corpore perit, *conc.;* quod dependet a corpore sicut a conditione pura, *nego.* Et, *contrad. min., nego conseq.* — Anima humana utique dependet a corpore sicut a conditione, nam ipsa non producitur nisi in corpore; sed tamen cum in sua operatione, et ideo in suo esse, a corpore non dependeat (n. 341), neque a corpore dependet, sicut a causa, ut suo loco magis declarabitur: et ideo ratio non sequitur.

Obj. 3.ª Anima humana dependet a corpore sicut a subjecto et a causa. Ergo ipsa perit cum corpore. — *Prob. antec.:* Anima humana 1.° individuatur a corpore, 2.° adolescit et senescit cum corpore. Sed quod est hujusmodi dependet a corpore sicut a subjecto et a causa. Ergo anima humana dependet a corpore sicut a subjecto et a causa.

Resp. nego antec. et *conseq., ad prob. dist. maj.* quoad 1.ᵐ partem: Anima humana individuatur, hoc est fit individua et haec anima, per ordinem ad corpus, *conc.;* individuatur per hoc quod est actu in corpore formaliter loquendo, *nego* (n. 216); quoad 2.ªᵐ partem *maj. dist.* etiam: Anima..... adolescit et senescit quoad suam substantiam considerata, *nego,* nam in sua substantia est omnino simplex et invariabilis; quoad facultates seu potentias operativas, *subdist.:* quoad facultates communes, quae sunt principia vegetationis et sensationis, *transeat.;* quoad facultates sibi proprias, quae sunt principia intelligendi et volendi, *nego.* Anima humana in sua sub-

stantia utpote simplex et spiritualis, semper eadem invariabilis omnino perseverat; quoad operationes autem quas habet communes cum corpore adolescere et senescere intelligitur, quatenus tales operationes sunt magis vel minus perfectae; hoc tamen non contingit ex parte animae, sed ex parte organismi corporei, qui magis fortificatur in adolescentia et debilitatur in senectute. Unde ait Aristoteles quod si senex acciperet oculum juvenis, idest si haberet organismum perfectum et dispositum sicut juvenis, videret sicut juvenis. Proinde dixi *transeat.* At si loquamur de operatione propria animae, quae est intelligere et velle, perfectius exercetur in aetate adulta simpliciter et absolute loquendo, quam in juventute. Et senes prudentiores sunt et firmiori voluntate deliberant et firmius et immobilius propriis persuasionibus adhaerent: judicium eorum securius et maturius est. Contingit tamen quandoque quod in senibus neque intelligere et velle perfecte exercentur: sed hoc non est ex eo quod animus eorum senescat, nam secus in omnibus senibus magis vel minus semper id contingeret, sed est ex eo quod intellectus in praesenti statu indiget consociatione imaginationis, ut procedat in actum suum; imaginatio autem est facultas organica, quae ex ipsa senectute debilitatur (1). (Cf. S. Th. c. g. l. II, c. 81).

Obj. 4.ª Argumentum ex desiderio naturali non tenet quia, ut ait Spencer, tale desiderium ex extrinsecis circumstantiis derivatum est, idest ex vanis statibus insensibilitatis temporaneis quibus homo subjicitur puta dormitionis, synchopis, catalepsis etc. ex quibus ad vitam se redire percipit: unde idea primitiva mortis facta est idea vitae per longum

(1) Cf. BILLUART: *Tract., de opere sex dierum,* diss. III, a. I.

tempus suspensae (1). Inde spes, desiderium, et persuasio vitae futurae et immortalitatis. Ergo tale desiderium errore potius quam naturali desiderio innititur; atque proinde non est signum aut testimonium immortalitatis.

Resp.: Nego antec. et *conseq.* — Anima enim ex hoc ipso quod est intellectiva et spiritualis, ut ostensum est, apprehendit esse semper et quidem naturaliter uti nempe proprium et naturale suum objectum, proinde in ipsum naturaliter fertur per appetitum, hoc est per voluntatem; naturam enim quamlibet inclinatio seu appetitus sequitur ad esse proprium conservandum: unde in omnibus entibus quaedam lucta pro existentia ab ipsis materialistis admittitur. In natura autem cognitione praedita est *naturalis* inclinatio seu appetitus in objectum apprehensum quod sub ratione boni exhibetur: unde in natura animali est naturalis inclinatio et appetitus in bonum sensibile; in natura vero intellectuali in bonum intelligibile, quod primo et per se est bonum sempiternum, hoc est bonum quod importat esse semper. Est autem omnino absurdum deducere ideam atque desiderium immortalitatis et esse sempiterni ex dormitione, catalepsi, aut ex vitae majori suspensione. Hae enim causae, utpote improportionatae omnino, absurdissime inducuntur.

---

(1) « L'idée primitive de la mort devient l'idée d'une vie longtemps suspendue ». Ita Spencer. *Principes de Sociologie.* Traduit par M. E. Cazelles T. I. Paris. Germer, Baillière et C. 1880.

Caput VI.

De unione animae humanae ad corpus.

S. Th., p. I, qu. LXXVI cum comment. Caiet, Bannez, Sylvius, ipsemet *S. Th.* e. g. l. II, c. 56, 56, 68 seqq. — Joannes a *S. Th.* — Zigliara, *Psych.*, I, II, c. I; et *de mente Conc. Viennensis* — Rosselli, l. c., quaest. XIX, art. I; Liberatore, l. c. cap. III, art. I; — Lepidi, Schiffini l. c., sect. II, III e IV; — De Maria, Lorenzelli, Mercier, Germano, Hugon, Willems, Rabier, *Psychol*).

354. **Ratio capitis.** — Considerata anima humana in sua natura, consideranda est in ordine ad corpus. Et plura sunt determinanda: 1.° de ipsa unione ad corpus, 2.° de ejus unitate et multiplicatione, et 3.° de sede ipsius respectu corporis. De primo in praesenti capite, de aliis in sequentibus dicetur.

355. **Variae species unionis recensentur.** — Plurium rerum copulatio *unio* dicitur, quae multiplici modo inter varias et distinctas res contingere potest. Unde habetur unio *logica*, unio *realis*, quae est vel *accidentalis*, vel *substantialis*; et *substantialis* quae est *personalis* vel *essentialis*.

356. **Unio substantialis et accidentalis.** — Seposita unione logica quae est copulatio seu coniunctio plurium ad unum esse intentionale, ut contingit in propositionibus, in praesenti est sermo de unione *reali*, quae est conjunctio duarum vel plurium rerum ad unum aliquid reale habendum. Cum ex conjunctione plurium rerum habetur unum aliquid reale quod est nova substantia et per se unum, principium scilicet novarum proprietatum et operationum, habetur unio substantialis ad quam proinde duae conditiones requiruntur 1.° ut partes quae uniuntur sint substantiae, 2.° ut illud quod resultat sit nova

substantia et per se unum. — Cum vero ex conjunctione duarum vel plurium rerum non habetur nova substantia quae sit unum per se, principium novarum proprietatum et actionum unio est accidentalis. Haec unio potest contingere multipliciter juxta rerum diversitatem, vel inter duas substantias completas ut inter nautam et navim ; vel inter substantiam et accidens ut inter corpus et ejus impenetrabilitatem, inter animam et ejus facultates; vel inter plura accidentia ut inter albedinem et extensionem, inter intellectum et scientiam vel actum intelligendi.

357. **Unio in persona, unio personalis, unio essentialis.** — Omnia quae in aliqua persona puta in Petro inveniuntur, sive rationem substantiae sive rationem accidentis habeant dici possunt ei unita *in persona* (1). Unde unio *in persona* magnam habet latitudinem cum se extendat etiam ad accidentia. Unio vero *personalis* habetur cum ex conjunctione duarum vel plurium substantiarum unum suppositum resultat cui actiones substantiarum unitarum conveniant et tribuantur, ut principio *quod :* unio *essentialis* habetur inter duas substantias cum ex earum conjunctione *nova essentia* et una natura specifica resultat.

358. **Unio personalis et hypostatica.** — Quia hypostasis et persona saepe promiscue accipiuntur unio personalis et hypostatica idem significari videntur ; at non ita res se habet stricte et proprie loquendo, quia *unio hypostatica* exclusive sumitur ad indicandam illam mirabilem unionem quae est inter divinam et humanam Christi naturam ; hae enim naturae ambae sunt substantiae, et in persona eadem

(1) Ait Angelicus : « Omne quod inest alicui personae, sive pertineat ad naturam ejus, sive non, unitur ei in persona ». P. III. qu. II. a. II.

Verbi divini uniuntur cui utriusque actiones tamquam principio *quod* tribuuntur, sed ex eis non resultat ipsa persona Verbi divini, quae ab humana natura plene supponitur.

359. **Conclusio.** — *Unio animae humanae et corporis est personalis et essentialis.*

Prob. 1.ª *pars:* Unio personalis inter duas substantias habetur cum ex earum unione resultat unum suppositum ab utraque substantia componente sigillatim sumpta distinctum cui tribuuntur actiones utriusque substantiae ut principio *quod* (n. 356). Atqui ex unione animae humanae et corporis resultat unum suppositum quod est homo ipse, puta Petrus ab utraque substantia componente idest tum a corpore tum ab anima distinctum, cui actiones tam corporis quam animae tribuuntur ut principio *quod;* nam homo est qui movetur motu locali, qui cadit, qui aegrotat etc. sicut etiam homo est qui sentit, qui vivit, qui intelligit, qui tristatur etc. Ergo unio animae et corporis est personalis.

Prob. 2.ª *pars:* Ex unione animae humanae et corporis resultat una natura specifica, unum per se, idest ipse homo qui est nova essentia composita. Atqui ad unionem essentialem inter duas substantias habendas nihil amplius exigitur, ut patet ex dictis. Ergo unio animae humanae et corporis est nedum personalis sed etiam essentialis. (Cf. S. Th. c. g. II, 57).

360. **Quaestio prima.** — His positis quaeritur an anima humana sit forma substantialis corporis humani (I. n. 775 et supra n. 190) seu hominis; ratio quare movetur haec quaestio est, quia ex unione *animae* et *corporis* habetur unum esse simpliciter, nempe homo, ut dictum est et ideo quaeritur an anima sit principium essendi hominis et corporis.

361. **Sententiae philosophorum.** — Plato posuit quod anima esset homo, et quod uniretur corpori solummodo ipsum movendo, idest eo modo, quo motor unitur mobili, et nauta navi, vel ut sessor equo. Posuit ergo quod anima et corpus essent duo entia completa habentia proprium esse distinctum, imo diversum. Qua posita doctrina sequebatur ex unione animae intellectivae ipsi corpori non haberi aliquod ens distinctum, et unum per se, sed unum per accidens : quippe talis unio est pure accidentalis. Quoad substantiam idem docuerunt quidam recentiones philosophi, quos inter cartesiani recensentur. De Bonald definit hominem : *intelligentiam organis corporis utentem.* Rosminius docet quod « unio animae et corporis proprie consistit in immanenti perceptione, qua subjectum intuens ideam affirmat sensibile, postquam in hac ejus essentiam intuitum fuerit » (1).

362. **Conclusio I.** — *Anima humana seu intellectiva non est homo* (2). — Haec nostra conclusio imprimis patere potest ex dictis in II capite, deinde probari potest ex sensu naturae communi ; nam omnes nomine hominis non animam solam intelligunt sed ipsum compositum constans ex anima et corpore. Sed hoc argumento omisso :

Prob. 1.° Nomine hominis communiter loquendo intelligimus illud, quod est principium et subjectum tum intellectionis, tum sensationis, idest non solum id quod intelligit sed etiam quod sentit, ut docet ipsemet Plato. Atqui anima sola non potest esse id quod sentit, nam id quod sentit est ipsum compositum (309). Ergo anima sola non potest esse homo.

(1) Prop. inter damnatas XXIV. In qua praeterea dicit : « Forma substantialis corporis est potius effectus animae atque interior terminus operationis ipsius : propterea forma substantialis corporis non est ipsa anima ».

(2) Cf. S. Th., P. I, qu. 75, a. 4. c. g. II, c. 57.

2.° Operationes tum animae tum corporis eidem principio substantiali quod est suppositum, et est e. g. Petrus ipse, tribuuntur, nam Petrus ipse est qui intelligit, qui sentit, qui vegetat, qui cadit etc. Atqui hoc principium est aliquid ab anima distinctum, ut patet, nam operationes corporis animae tribui non possunt. Ergo Petrus vel Paulus est persona distincta ab ipsa anima; ergo anima non est homo.

363. **Conclusio II.** — *Anima humana est forma substantialis hominis.*

Prob.: 1.° Principium, quo aliqua res constituitur in aliqua determinata specie, et specifice ab aliis distinguitur, est forma substantialis illius (I, 776). Atqui anima humana est principium, quo homo in specie humana constituitur et ab aliis rebus specifice distinguitur. Ergo anima humana est forma substantialis hominis.

2.° Principium primum substantiale operationis specificae et propriae alicujus naturae sensibilis est forma substantialis talis naturae. Atqui anima humana seu intellectiva est principium primum substantiale operationis specificae et propriae hominis. Ergo anima humana seu intellectiva est forma substantialis hominis. — *Prob. minor:* nam operatio propria hominis, inquantum est homo, est intelligere, cujus principium primum substantiale non potest esse in homine nisi anima intellectiva.

364. **Conclusio III.** — *Anima humana est forma substantialis corporis humani* (1).

Prob.: 1.° Primum principium actionis alicujus rei sive transeuntis sive immanentis, est forma substantialis illius. (n. 203). Atqui anima humana est primum principium quo corpus humanum operatur

(1) Cf. S. Th. p. I, qu. 76, a. I; c. g. II, c. 69-70. Goudin, Physicae IV par. disp. un., qu. I, a. III, et V.

opera vitae, idest quo nutritur, sentit etc. Ergo anima humana est forma substantialis corporis humani.

2.° Anima humana est id per quod corpus humanum constituitur humanum seu in specie humana et ab aliis corporibus substantialiter distinguitur. Atqui id per quod aliqua res vel aliquod corpus constituitur substantialiter tale, seu in sua specie, et ab aliis corporibus substantialiter distinguitur, est forma substantialis ejus. Ergo anima humana est forma substantialis corporis humani.

3.° In una re specifica per se una, sicut est homo non potest esse nisi unum esse substantiale omnibus partibus commune. Atqui ubi est unum esse substantiale, nonnisi una forma substantialis esse potest, ut infra magis patebit. Cum ergo anima humana sit forma substantialis hominis consequitur quod ipsa sit etiam forma substantialis corporis humani. — Haec doctrina ut certissima est retinenda non solum ob rationes vere demonstrativas, quas attulimus, sed etiam quia a Clemente V in concilio generali Viennensi ut doctrina fidei credenda proponitur ; dicit enim Pontifex esse censendum tanquam *haereticum* qui « adserere, defendere seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter » (1). Idem confirmavit Leo X in concilio Lateranensi (2) et Pius IX contra errores Guntheri (3).

---

(1) In Clementinis, *De Summa Trinitate et fide catholica.*

(2) In bulla Leonis X. *Apostolici regiminis dicitur :* « Hoc sacro approbare Concilio damnamus et reprobamus omnes adserentes animam intellectivam mortalem esse.... cum illa non solum vera per se et *essentialiter humani corporis forma existat* sicut in can. rec. Clem. V. praed. nost. in generali Concilio Viennensi edito continetur verum et immortalis ».

(3) « Noscimus iisdem libris laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine qui corpore et anima ita absolvitur ut anima eaque rationalis sit vera, per se atque immediata cor-

365. **Solvuntur difficultates.** — *Obj.* 1.ª Virtus intellectiva non potest esse forma corporis. Atqui anima intellectiva est nobilior ipsa virtute sua intellectiva. Ergo multo minus anima ipsa potest esse forma corporis.

Resp. dist. conseq.: Anima intellectiva non potest esse forma corporis communicando corpori esse formaliter secundum gradum intellectualitatis, *conc.;* secus, *nego.* — Ad rem S. Thomas: « Anima humana non est forma in materia corporali immersa, vel ab ea totaliter comprehensa propter suam perfectionem et ideo nihil prohibet aliquam ejus virtutem non esse corporis actum, quamvis anima secundum suam essentiam sit corporis forma » (1).

Obj. 2.ª Forma corporis est quid corporeum. Atqui anima intellectiva non potest dici corporea. Ergo non est forma corporis.

Resp. dist. maj.: Forma corporis est quid corporeum, idest est quid extensum vel materiale, *nego;* est quid actuans et determinans corpus, *conc.* Et *contradd. min.:* Anima intellectiva non potest dici corporea, idest non potest dici extensa vel materialis, *conc.;* non potest dici quid actuans corpus, *subdist.:* quasi a corpore dependens, *conc.;* a corpore independens, *nego.* Et *nego consequentiam.* — Forma corporis a materia distinguitur omnino, neque extensionem importat sed actualitatem et perfectionem, quae potest esse tanta ut ipsa forma sit omnino independens a materia, ut patet ex iis quae dicta sunt in praecedentibus; consule etiam Cosmolog. (n. 108 et seqq.).

Obj. 3.ª Esse animae et esse corporis substantialiter differunt. Ergo esse corporis non potest esse

---

poris forma » (Pius IX in litteris apostolicis ad Card. de Geissel Archiep. Colonniensem. 1867.

(1) (1.ª p. q. 76, a. 1.° ad 4.m.

ab anima communicatum. — *Prob. antec.:* Esse animae est simplex et invariabile, esse corporis est compositum, mutabilitati et innovationi subjectum. Ergo differunt substantialiter.

Resp. dist. antec.: Si per esse corporis intelligatur ipsum compositum ex ea parte qua se tenet ex parte materiae et potentialitatis, esse corporis substantialiter differt ab esse animae, *conc.;* si per esse corporis intelligatur ipsum esse compositi, quatenus se tenet ex parte formae et actus, *nego.* Et *contrad. primum conseq.:* Esse corporis idest ipsum compositum quatenus se tenet ex parte materiae et potentialitatis, *conc.;* quatenus se tenet ex parte formae, *nego.* Ad *prob. conc.* 1.^{m} partem *antec.;* ad 2.^{m} partem *dist.:* Esse corporis est compositum quatenus importat materiam et formam, *conc.;* quatenus se tenet ex parte formae et actualitatis est compositum, *nego.* — Idem dicendum est de mutabilitate et innovatione, quae scilicet se tenet ex parte materiae, quatenus materia renovatur, sed non ex parte formae. Insuper corpus desinit esse per corruptionem per hoc quod anima non amplius communicat esse suum corpori vel materiae, et ideo quatenus materia vel corpus deficit ab esse animae.

366. **Corollaria praecedentis doctrinae.** — I. Anima et corpus in eodem esse conveniunt, quia esse animae est etiam esse corporis; diversimode tamen convenit utrique, nam convenit animae ut danti, corpori vero ut accipienti.

II. Anima ergo immediate et per se corpori unitur, quia esse quod anima corpori communicat est esse substantiale, esse autem substantiale est primum quod in re consideratur, et ideo nullum aliud esse supponit; unde anima unitur immediate materiae primae; non ergo mediante aliqua actione corpori

unitur. Merito ergo ait Angelicus : « Cum anima sit forma substantialis, quia constituit hominem in determinata specie substantiae, non est aliqua alia forma substantialis media inter animam et materiam primam sed homo ab ipsa anima rationali perficitur secundum diversos gradus perfectionum, ut sit scilicet corpus et animatum corpus et animal rationale ». *(De anima* a. IX. c.).

III. Anima ergo et corpus conveniunt in eodem esse compositi, idest hominis, qui ex eis exurgit.

IV. Et quia homo est nova et distincta essentia, imo quia est suppositum et persona, ideo unio animae et corporis dici potest et debet essentialis et personalis, non quasi in aliqua personalitate praesupposita, sed quatenus scilicet in eadem persona, quae ex eorum unione resultat, subsistunt.

V. Non tamen dici potet corpus uniri animae in persona, vel unione personali quia anima personalitate destituitur (I, 641-642).

VI. Patet etiam absurditas sententiae Rosminianae constituentis unionem animae cum corpore in actu intellectuali percipiente sensationem fundamentalem, qua anima sensitiva, juxta Rosminium, proprium corpus jugiter sentit. Nam haec unio rosminiana praeter quam quod supponat dari sensum fundamentalem quo anima sentit proprium corpus primo et per se (quod esse falsum infra demonstrabitur), unionem supponit, cum anima non possit sentire et percipire objectum nisi ei prius aliquo modo coniungatur. Insuper haec unio non est substantialis, sed accidentalis, imo est pure intentionalis et idealis ; neque anima in hac sententia dici potest forma corporis, sed potius corpus debet dici forma perceptionis et ideo animae ; objectum enim habet rationem finis, actus et formae.

367. **Conclusio IV.** — *Anima humana est unica forma substantialis corporis humani.*

Prob. 1.° ex dictis supra (cf. 201) ubi ostendimus unius corporis non posse esse nisi unam formam substantialem; quod certe valere debet etiam de corpore vivente et humano.

2.° Ubi habetur una natura simpliciter et per se habetur unum esse substantiale et ubi habetur unum esse substantiale pariter habetur una forma substantialis. Atqui in homine et in corpore humano habetur una natura per se, non vero duae naturae per se, ideo unum esse substantiale. Ergo etiam habetur una seu unica forma substantialis quae est ipsa anima humana. *Confirmatur:* Forma sive accidentalis sive substantialis dat esse formaliter communicando seipsam. Ergo multiplicata forma multiplicatur esse; ergo multiplicata forma substantiali, multiplicatum manet esse formale et substantiale et naturale; si ergo in homine ponantur duae vel plures formae substantiales, eo ipso multiplicatur esse substantiale et formale et naturale illius. Unde homo vel ejus natura non erit unum simpliciter; unde et natura et suppositum in homine multiplicatum ponitur.

3.° Si praeter animam intellectivam praeexisteret quaecumque alia forma substantialis in materia, per quam subjectum animae (materia) esset ens actu, sequeretur, quod anima non daret esse simpliciter (1), nam ipsum vel ipsam idest materiam esse simpliciter supponeret; ergo daret esse tale, idest esse secundum quid modificativum *του* esse simpliciter, idest daret esse accidentale, et ideo esset forma non substantialis sed accidentalis. Vel si anima ponatur vera substantia. ut ponenda est, sequitur quod anima et materia informata a sua forma substantiali di-

(1) S. Th. P. I, qu. 76, a. 4.

stinta ab anima erunt duae substantiae quarum quaelibet habet suum esse simpliciter et ideo duo entia per se subsistentia accidentaliter unita.

368. **Absurditas recentioris interpretationis doctrinae rosminianae.** — Hinc patet absurditas doctrinae Rosminianae in qua dicitur formam substantialem corporis humani non esse animam, sed effectum ipsius. Neque valet responsio vel interpretatio tradita a quibusdam (1), qui dicunt Rosminium in hac negatione nomine formae intelligere formam *corporeitatis*. Imo hac responsione augetur absurditas, quippe forma corporeitatis, si datur ab ipsa anima distincta, ab eadem anima praesupponitur, ut logice docet Scotus. Nam corpus prius intelligitur esse corpus, inde animatum ; et ideo si anima per hoc quod est forma corporis reddit ipsum solummodo formaliter, idest per communicationem proprii esse, vivum, impossibile est formam corporeitatis esse effectum ejus, quasi consequentem ejus unionem. Insuper in hac hypothesi anima esset causa efficiens corporis cui unitur; quod inauditum est et absurdissimum.

369. **Objectio.** — Scotus objicit quod si praeter animam non datur in corpore alia forma, idest forma corporeitatis, admittenda est forma cadaverica, idest nova forma substantialis propria cadaveris quae a-

(1) Ita loquitur Morando : « Il Rosmini ammette e professa che l' anima è forma del corpo nel significato filosofico fondamentale della dottrina cattolica e questo si rileva dai testi citati : altrove poi, ricercando le relazioni tra anima e corpo non contento di ammettere che l' anima vivifica il corpo e lo rende *vivo* insegna pure che il corpo dall' anima riceve eziandio ciò che lo fa esser *corpo*, ciò che gli *scolastici* chiamano *forma di corporeità (forma corporeitatis)*, la qual forma però è naturale che non sia *l' anima, ma sia un effetto dell' anima* ». — *Esame Critico delle proposizioni Rosminiane condannate* ecc. — Milano, 1905, pag. 390.

nimae succedat per novam mutationem substantialem et quae det cadaveri unitatem. Atqui forma cadaverica non videtur esse admittenda. Ergo est admittenda forma corporeitatis, quae dat esse corpori ab anima omnino distincta.

Resp. : Nego majorem. In cadavere non habetur unitas ; cadaver enim constat ex partibus quae utique quandam habent unitatem, sed secundum quid et accidentalem ; est enim cadaver in via dissolutionis quae pedetentim fit per varios gradus organismi, qui varias formas transeuntes, (quae corpori seu cadaveri non dant unitatem per se) induit successive juxta varias partes usque ad plenam resolutionem in sua elementa, quae proprias formas substantiales induunt et fiunt distincta et diversa corpora habentia esse fixum et determinatum in sua specie. Unde neque forma corporeitatis, neque cadaverica ut aliquid fixum et dans unitatem per se essentialem cadaveri est admittenda (1).

---

(1) Audiatur Mercier qui loquitur circa hanc difficultatem : « La mort de l'homme c'est la separation de l'âme raisonable d'avec le corps. Or, cette séparation n'entraine pas d'un coup la désorganisation complète du corps et sa résolution immediate in ses premiers éléments. Il est de fait même que des substances albuminoïdes extraites de l' organisme aussitôt après la mort révèlent à l'analyse chimique une complexité très grande ; il est de fait que la vie se retrouve dans certains éléments organisés, elle se manifeste même par la croissance de certains tissus ; il est donc encore, passagerement, dans un cadavre humain, des composés partiels offrant une certaine unité ; il doit y avoir des lors des formes relativement élevées qui assurent momentainement cette complexité d'éléments et ces manifestations de vie mai ces *unités partielles* et éphémères n'empêchent pas que le corps humain n'ait perdu son unité *d'ensemble* et n'ait cessé, des lors, de reclamer un principe d'unité tel que serait la forme de corporeité imaginée par Scote - et appelée quelque fois par des adversaires

370. **Conclusio V.** — *Quamvis anima humana sit forma substantialis corporis humani, tamen non communicat corpori formaliter proprium esse secundum gradum intellectivum.* — Adverte verba conclusionis *formaliter,* nam non negamus animam rationalem communicare proprium esse, quod est realiter intellectivum ; sed negamus solum quod communicet esse intellectivum quoad effectum formalem intellectualitatis. Opposita sententia sine materialismi nota substineri non potest; et vehementer miror eam substineri a cl. Schiffini (Comp. phil.) aliumde eximio philosopho scholastico.

Prob.: Nullum corpus, neque corpus humanum potest dici intellectivum seu substantia intellectiva. Atqui si corpori communicaretur ab anima esse secundum gradum intellectualitatis formaliter, corpus humanum esset vere et posset dici intellectivum, vel intellectiva substantia. Ergo anima humana, quamvis communicet proprium esse totum, utpote simplex, non tamen communicat ipsum formaliter, prout importat intellectualitatis gradum. — *Maj. patet. ;* nullum enim corpus est substantia intellectiva, sicut nec facultate intelligendi et ipsa intellectione potest esse praeditum. *Minor prob. :* quia esse formale alicujus rei potest de ipsa re praedicari.

---

railleurs ou des defenseurs imprudents de la philosophie de l'Ecole, *forme cadaverique.*

Bientót d'ailleurs les agents de decomposition — les uns exterieurs, telle le chaleur, les autres interieurs, tels les aliments, qui au moment de la mort se trovaient dans l'estomac sans faire partie de l'organisme, tels encore les microbes qui ont causé la mort poursuivent leur oeuvre de destruction ; leur action, n'etant plus tempérée ou neutralisée par l'action de l'âme, amène fatalement le déséquilibre, par suite une desorganisation de plus complète et finalement le retour de la matière vivant à ses premier éléments ». Psychol. Tome II, Huitième edition, pag. 308-309.

Confirmatur : Natura cui competit esse formale ordinatur ad operationes eliciendas proprias illius esse formalis. Atqui corpus humanum, ut est etiam formaliter humanum, non ordinatur secundum proprium esse ad intelligendum. Ergo corpori humano non communicatur esse animae secundum gradum intellectualitatis formaliter loquendo. Unde S. Thomas ait (1): « Quamvis esse animae sit quodammodo corporis, non tamen corpus attingit ad *esse* animae participandum secundum *totam suam nobilitatem et virtutem*. Et ideo est aliqua operatio animae in qua non communicat corpus ». (Cf. etiam supra n. 365, ad 1.^{m}). —

371. **Solvuntur difficultates.** — *Obj.* 1.° Anima intellectiva per se et essentialiter est forma corporis humani. Atqui si anima intellectiva non communicaret corpori esse formaliter secundum gradum intellectualitatis, non esset per se et essentialiter forma corporis humani. Ergo anima intellectiva communicat esse proprium corpori formaliter secundum gradum intellectualitatis. Ita arguit Schiffini in suo Compendio philosophiae.

Resp. : Dist. maj.: Anima intellectiva est per se et essentialiter forma corporis in primo tamen modo dicendi per se primo, *nego ;* per se, idest in primo modo dicendi per se secundo, *conc.* Et, *contrad. min., nego conseq.* — Explicationem distinctionis invenies in logica (I, n. 65). Nunc sufficiat observare quod non solum differentia specifica praedicatur per se et essentialiter de aliquo subjecto, sed etiam ipsa ratio generica ; e. g. de homine non solum rationale vel intellectivum, sed etiam animal, substantia etc. per se et essentialiter praedicatur.

Instabis : Anima intellectiva constituit corpus humanum, ut humanum est. Atqui corpus humanum

(1) Q. de anima a. I. ad 18.^{m}.

non est humanum nisi per esse animae secundum gradum intellectualitatis. Ergo anima formaliter communicat esse secundum gradum intellectualitatis. — *Prob. minorem:* Corpus hominis constituitur vegetativum per hoc quod anima praestat in ipso substantialem effectum formalem vegetationis; constituitur sensitivum per hoc quod praestat substantialem effectum formalem sensationis; ergo constituitur humanum per hoc quod anima in ipso praestat effectum formalem substantialem intellectionis. Ita citatus phil. ib. cuius sunt etiam sequentes instantiae.

Resp.: *Nego* suppositum argumenti: nam supponitur in argumento corpus humanum esse naturam *completam* in propria specie constitutam. Certe si corpus humanum esset natura completa in sua specie constituta oporteret quod gradum novum essendi formaliter, a quo denominaretur, adderet gradibus essendi vegetativi et sensitivi: talis autem gradus non posset esse nisi intellectivus. Sed quia corpus humanum non est natura completa in sua specie, est enim pars hominis, qui est natura completa, et in quo formaliter est gradus essendi intellectualitatis, ideo corpus humanum talem gradum essendi in se formaliter non importat, quamvis tali gradui de necessitate materialiter conjungatur; dicimus ergo quod corpus reductive pertinet ad speciem vel genus, et ideo non est necesse ut de eo praedicentur ea quae praedicantur de specie in recto, licet praedicentur de ipso in obliquo: unde recte dici non potest *corpus humanum est substantia intellectiva;* dici tamen potest: *corpus humanum pertinet ab substantiam intellectivam.* Ad rem S. Thomas: « Substantia intellectualis et corpus, quae seorsim existentia essent diversorum generum species, prout uniuntur sunt unius generis principia » (1).

(1) c. g. l. II. LXVIII. ad 2.m.

Urgebis: Si corpus humanum non haberet ab anima esse secundum gradum intellectualitatis, non differret a corpore belluino, in quo est esse vegetativum et sensitivum. Ergo corpori humano esse secundum gradum intellectualitatis communicatur.

Resp.: Ex dictis habetur solutio. Unde *dist. antec.:* Non differret a corpore belluino, ut species completa ab alia specie completa, *conc.;* ut principium diversae speciei, *nego.*

Dices: Ergo corpus humanum dici poterit corpus substantialiter belluinum et bestiale.

Resp. negando conseq., nam esse sensitivum non importat esse bestiale; sed secundum se praescindit ab esse bestiali et ab esse humano unde est humanum secundum quod est in homine et ad hominem pertinet, est bestiale secundum quod est in bestia et ad ipsam pertinet.

Quaeres: Quo ergo sensu corpus hominis dicitur humanum?

Resp. 1.° dici humanum quia vere informatur ab anima humana, quae ei conjungitur per se et essentialiter, et licet ipsa non communicet ei esse intellectivum formaliter, communicat tamen materialiter et identice; 2.° dici potest humanum, quia est vera pars intrinseca humanae naturae. Haec autem sufficientissime distinguunt ipsum et quidem substantialiter a corpore belluino.

372. **Ratio quare anima corpori uniatur.** — Ratio autem quare anima corpori uniatur est ut ipsa objecta sibi propria et proportionata, idest sensibilia intelligat. Quod ita illustratur a S. Thoma: « Anima humana est infima inter omnes intellectuales substantias: unde ejus capacitas naturalis est ad recipiendum formas rerum conformiter rebus materialibus; et ideo anima humana unita est corpori, ut ex rebus mate-

rialibus species intelligibiles possit recipere secun dum intellectum possibilem.... quoniam igitur anima est unita corpori ex ipsa unione corporis habet aspectum ad inferiora a quibus accipit species intelligibiles *proportionatas* suae intellectivae virtuti, et sic in scientia perficitur ; sed cum fuerit a corpore separata, habet aspectum ad superiora tantum a quibus recipit influentiam specierum intelligibilium universalium ». Quibus speciebus non intelligit, prosequitur Angelicus, « specialiter et determinate unumquotque, sed in quadam universalitate et confusione, sicut cognoscuntur res in principiis universalibus » (1).

373. **Corollaria.** — I. Naturale est ergo animae esse formam corporis seu corpori uniri tanquam formam et quidem non solum ea ratione qua ei competit esse principium vegetationis ipsi corpori et sensationis, sed etiam ea ratione qua ei competit esse principium intellectionis, non tamen formaliter et absolute, ea nempe ratione qua est principium intellectionis, sed ea ratione qua est principium intellectionis secundum imperfectum et infimum gradum.

II. Status ergo separationis a corpore non est naturalis animae, neque innaturalis seu violentus, sed praeternaturalis ; nam anima non est immersa in materia seu in corpore, quippe ei non communicat esse proprium totaliter ; secundum enim gradum intellectualitatis supereminet corpori, et habet operationem in qua non communicat corpus. Unde ex sua naturali virtute habet, non a principio extrinseco, ut possit esse seu perseverare in esse a corpore separata. (Cf. S. Th. c. g.).

374. **Mutuus influxus inter animam et corpus.** — Posita anima humana ut forma substantiali corporis humani facillime explicatur mutuus influxus qui

(1) *De anima* a. 18 c. — cf. P. I. qu. 89. a. 1 ; c. g. II, 68.

inter animam et corpus exercetur. Quippe anima conjungitur immediate materiae primae cum qua tanquam compars ipsum corpus efficit (cf. n. 200) active se habendo. Unde anima et corpus non sunt consideranda ut duo entia completa in sua specie quorum unum habeat suas proprietates et actiones independenter ab alio, quippe corpus non est sine anima quae ei dat esse simpliciter, idest esse humanum, esse sensitivum, esse vegetativum, esse corpus et quidem non efficienter, sed formaliter per seipsam. Unde anima non solum est principium proprietatum et actionum quae ei exclusive conveniunt, sed etiam, licet diversimode, est principium omnium proprietatum et actionum quae corpori tribuuntur (cf. n. 99 et n. 203). Igitur anima influit in ipsum corpus 1.° dando ei esse, 2.° consequenter dando ei proprietates quae ex esse corporis, idest ex corpore constituto in specie per esse animae, emanant, 3.° dando ei operari seu agere, quod profluit ab anima sicut a primo et radicali principio. Hinc mutuus influxus inter actiones quae immediate profluunt a proprietatibus corporis et actiones quae profluunt a proprietatibus propriis animae, hoc est inter actiones corporeas et intellectuales optime intelligitur. Unde optime intelligitur quomodo una facultas excitet aliam ad agendum, vel etiam una ab alia impediatur cum haec nimis fuerit intensa, quippe ab eodem principio tandem emanant, unde vires superiores in inferiores influunt et vicissim (1).

---

(1) Sed audiatur Angelicus qui suo more hanc doctrinam sapientissime exponit: «Secundum naturae ordinem propter colligantiam virium animae in una essentia et animae et corporis in uno esse compositi vires superiores et inferiores et etiam corpus invicem in se effluunt, quod in aliquo eorum superabundat; et inde est quod ex apprehensione animae transmu-

CAPUT VII.

Quaedam absurdae explicationes influxus inter animam et corpus exponuntur et refutantur.

(ZIGLIARA, HUGON, l. c., etc.).

375. **Recensentur varia systemata.** — Systemata quibus, ii qui negant animam esse formam substantialem corporis, influxum exponere et explicare conantur inter has duas substantias ad sequentia reducuntur: Ad *occasionalismum*, ad *harmoniam praestabilitam*, ad *influxum physicum*, ad *systema mediatoris plastici*, ad *systema perceptionis animae, et commixtionis virium*. Omnia autem haec systemata sicut et alia a systemate scholastico distincta in eo conveniunt ut ponant inter animam et corpus unionem exclusive accidentalem.

---

tatur corpus secundum calorem et frigus et quandoque usque ad sanitatem et aegritudinem, et usque ad mortem... Et similiter est e converso quod transmutatio corporis in animam redundat... Similiter ex viribus superioribus fit redundantia in inferiores; ut cum ad motum voluntatis intensum sequitur passio in sensuali appetitu, et ex intensa contemplatione retrahuntur vel impediuntur vires animales a suis actibus et e converso, ex viribus inferioribus fit redundantia in superiores ut cum ex vehementia passionum in sensuali appetitu existentium obtenebratur ratio, ut iudicet quasi simpliciter bonum id circa quod homo per passionem afficitur ». De veritate q. 26, a. 10. Haec omnia patent ex ordinaria et vulgari experientia et confirmantur ex ipsa physiologia nam, ut advertit Gley, « Le travail intellectuel accélère le coeur, augmente la pression sanguigne dans les artères périphériques donne lieu à des phenomènes de vaso-constriction périphérique, qui modifient la forme de pouls, et augmente le volume de cerveau (phénomène de vaso-dilatation locale). Tous ces phénomènes sont d'autant plus marqués que le travail est plus intense ». *Etudes de psychologie physiologique et pathologique*, pag. 94.

376. **Occasionalismus.** — Occasionalismus, qui etiam systema mutuae assistentiae dicitur, negata causalitate seu actione in quacumque natura creata seu finita, explicat influxum animae et corporis per hoc quod Deus occasione accepta ab actionibus vel affectionibus quas ipse in anima producit, impressiones quasdam correspondentes producat etiam in corpore et viceversa. Et ita explicatur apparens influxus et mira illa correspondentia et unio inter animam et corpus. — Absurditas hujus systematis patet imprimis ex refutatione occasionalismi facta in Ontologia (I, 763). Insuper in hoc systemate negatur tum unio essentialis quam personalis animae et corporis, atque tota theoria de forma substantiali et materia prima pessundatur contra ea quae supra diffuse statuta sunt.

377. **Systema harmoniae praestabilitae.** — In hoc systemate, cujus auctor est Leibnitzius, influxus et harmonia animae et corporis explicatur per hoc quod omnes motus et modificatio corporis ordinate et necessario sequuntur ex prima motione a Deo impressa in ipso ab initio suae existentiae ; et similiter omnis affectio vel actio animae ex prima motione divina ad quam necessario omnes aliae sequuntur. Cum igitur Deus utriusque tam animae quam corporis omnes affectiones praeviderit singulas animas singulis corporibus praeparavit atque motum ab initio impressit ex quo in utroque omnes actiones vel affectiones vel impressiones vel motus successivi usque ad mortem correspondentes sequantur, atque simul utramque substantiam posuit ad modum duorum orologiorum quae eodem modo procedunt. — Sed et in hoc systemate inconvenientia praecedentis notantur : Etenim *primo* anima et corpus ponuntur uti duae substantiae completae; *secundo* negatur inter

eas existere verum et proprium influxum, quippe una in altera nihil agit, sicut si ponerentur duo horologia simul licet eodem incessu procedere, nullus in eis daretur influxus mutuus; *tertio* negatur unio essentialis, et personalis, imo etiam accidentalis, quippe neque in accidentibus puta in actionibus ullam habere ponantur communicationem. Solummodo extrinsece convenire dicuntur puta in similitudine, in tempore motionis etc.; *quarto* nulla libertas in anima humana remanet non solum quoad actiones seu modificationes corporis, sed etiam quoad actiones et motus animae; omnes enim actiones et motus ab aliquo uno et primo dependent ita ut necessario sequantur.

378. **Systema influxus physici.** — Hoc systema Lockio ejusque asseclis tribuitur; sed etiam multis aliis arrisit qui, rejecto systemate scholastico, doctrinae occasionalismi et harmoniae praestabilitae adhaerere nolebant utpote nimis evidenter absurdae. Igitur in hoc systemate unio animae et corporis *unice* per mutuam actionem explicatur. Imprimis anima in aliqua parte determinata corporis residere dicitur et praecise, ut ipsi ajunt, *in sensorio communi;* ad quem impressiones sensuum externorum ab objectis receptae, nervis mediantibus propagari ponuntur, unde anima a rebus exterioribus excitari dicitur ita ut efformet in semetipsa earum ideam atque eas percipiat. In cerebro vero ponitur quidam subtilissimus fluidus qui ad libitum animae excitatur, ita ut in ipsos nervos atque musculos influxum quemdam exerceat quibus mediantibus corpus ipsum opportune motum et alias mutationes ab ipsa anima accipiat. — Verum hanc explicationem esse absurdam patet evidentissime etiam ex hoc quod unio animae et corporis nonnisi per actionem explicatur mutuam; unde non ponitur nisi unio ac-

cidentalis, idest motoris et moti, sicut ponebat Plato. — Sed et alias absurditates notare liceat quae indirecte hanc etiam confirmant. Nam anima cum spiritualis existat nullam actionem aut determinationem recipere potest a corpore, nervi enim et quaecumque pars corporis nonnisi per contactum quantitativum agere queunt et ideo eorum actio solum ad corpus terminare potest. Absurdum est etiam ponere animam exclusive in aliqua parte determinata corporis. Nonne ipsa totam corporis substantiam vivificat et reddit eam essentialiter humanam? Sed de hoc infra dicetur. Tandem posita hac explicatione, sequitur animam et corpus esse substantias completas et unamquamque suis proprietatibus et actionibus praeditam; atque proinde duo individua, duo supposita completa: unde destruitur unio personalis et tollitur convenientia utriusque in eadem persona. Addi etiam potest fluidum illum subtilissimum animae obsequentem, a quo dependeat motus nervorum et musculorum, arbitrarie et gratis omnino poni.

379. **Systema mediatoris plastici.** — Systema mediatoris plastici illud dicitur in quo ponitur *quamdam substantiam* esse veluti nuntiam inter animam et corpus mandata animae in ipso corpore exequentem. In hoc consistit tota unio animae et corporis et, ut ita dicam, compositi seu viventis *plasmatio.* Non tamen eodem modo natura hujus substantiae ab omnibus explicatur, nam Cudworth ponit eam mediam inter Deum et corpora quasi corporum viventium *genetricem;* Joannes autem Clericus ponit eam simul spiritualem et corpoream utriusque substantiae idest animae et corporis naturam sapientem ut apte sit medium unionis; addit autem eam esse inconsciam omnino. — At cantiones canorae sunt istae non valentium unionem corporis et animae explicare. Plura

enim esse, tanquam inaudita, absurda et reprobanda in hac explicatione manifestum est: nam 1.° homo ponitur ex tribus substantiis constans, et quidem completis, 2.° unio illius tertiae substantiae ad modum nuntii et mandata exequentis non est nisi accidentalis, 3.° neque proinde potest esse causa et ratio unionis substantialis inter animam et corpus. Unde habentur tres substantiae in homine accidentaliter unitae et quidem completae; unde unitas personalis et substantialis hominis tollitur, 4.° arbitrarie et etiam absurde inducitur tertia substantia, et multo magis arbitrarie et absurde dicitur media inter Deum et corpora, sicut etiam spiritualis et simul corporalis inconscia.

380. **Systema perceptionis animae.** — Systema perceptionis animae a Rosminio inductum illud est quod unionem corporis et animae in eo reponit quod anima corpus seu sensibile immanenti perceptione percipit. — Quae doctrina supra refutata est (n. 366, VI, et 361), quippe non importat nisi unionem accidentalem et intentionalem, atque proinde excluditur animam esse formam substantialem corporis; imo ab ipso Rosminio explicitis verbis negatur animam humanam esse formam corporis substantialem quam dicit esse effectum animae, unde anima ponitur causa efficiens corporis; quod inauditum est omnino.

381. **Systema commixtionis virium animae.** — Systema commixionis virium animae et corporis a Tongiorgi et a paucis aliis defensa post refutationem *influxus* physici, implicite remanet refutatum; nam arbitraria omnino ponitur *talis commixtio,* et non importat nisi unionem accidentalem; vires enim animae accidentia sunt et similiter vires corporis. Insuper mysterium, imo absurditas est positio illa; est enim unio accidentium spiritualium cum acciden-

tibus materialibus, nisi ponantur duae substantiae quarum una spiritualis, altera corporalis unitae in unitate personae cui ambae actiones tribuantur veluti uno principio.

Caput VIII.

De multiplicatione animarum intellectualium in hominibus et de unitate animae in quolibet individuo.

(S. Th. p. I, q. 76 cum comm. Caiet, Bannez etc., idem S. Th. c. g. II, c. 58, 62; c. n. II, III; Zigliara, l. c. c. II; Rosselli, l. c. quaest. XVII; Liberatore. l. c. art. II et III; Schiffini, l. c. sect. V; Farges, *La vie et l'evolution* III, IV; Hugon, et alii auct. cit.).

382. **Quaestio prima.** — Averroë natus Cordubae in Hispania (1120-1198 vel ut quidam putant 1206) posuit quod non esset nisi unus intellectus et consequenter una anima intellectiva communis cunctis hominibus, ita scilicet ut singuli homines habeant utique propriam et distinctam animam sensitivam, sed per unicum intellectum intelligant. Quae doctrina quoad substantiam ab Hegelio renovata est, imo, ut quidam putant, etiam ab ipso Rosminio. Sed quidquid sit de identitate vel affinitate doctrinae horum auctorum nos intendimus doctrinam Averrosticam impugnare.

383. **Conclusio.** — *Anima intellectiva non est una in cunctis hominibus.*

Prob.: Si ponatur unica anima intellectiva in cunctis hominibus sequitur 1.° quod non erit nisi unus intelligens, non autem plures intelligentes, 2.° quod erit omnium unum intelligere, 3.° quod erit unus homo tantum. Atqui haec omnia absurda sunt. Ergo absurdum est ponere unicam animam intellectivam seu unum intellectum in cunctis hominibus. — *Prob. maj.:*

1.° *Non esset nisi unum intelligens.* Nam quando agens principale est unum, etiamsi multiplicentur alia, quae habent rationem instrumenti, habetur unum agens proprie et simpliciter loquendo; hoc patet etiam in individuo humano: quamvis duo sint oculi, tamen proprie loquendo, quia Petrus, qui est principale agens est unus, ideo proprie habetur unus videns, qui est Petrus ipse; idem dicendum est de aliis operationibus, quae a Petro exercentur per alia membra, semper enim habetur unum operans. Atqui si ponatur unicus intellectus, vel unica anima intellectiva in cunctis corporibus, corpora erunt quaedam instrumenta, anima autem intellectiva erit principale agens praecipue respectu actionis intellectivae. Ergo simpliciter loquendo, posita unitate animae intellectivae, habetur unus intelligens.

2.° *Sequitur quod omnium sit unum intelligere.* Etiamsi habeantur plura agentia, quando tamen medium per quod agunt est unum, habetur una actio: e. g. quamvis plures sint trahentes navim per funem, quia tamen funis est unus, ideo habetur una tractio; et hoc multo magis si omnes traherent per unum brachium vel per unam virtutem operativam. Atqui si est unus intellectus communis cunctis hominibus omnes homines intelligunt per eamdem virtutem operativam. Ergo omnium hominum erit unum intelligere, idest una actio intellectiva omnium respectu ejusdem objecti.

3.° *Esset unus homo tantum.* Nam homo constituitur talis formaliter per animam intellectivam, quae est forma substantialis ejus. Sed idem est principium constitutivum et distinctivum. Ergo si ponatur una anima intellectiva tantum, nonnisi unus homo haberi potest.

Confirmatur: Forma substantialis dat esse substantiale. Ergo una forma substantialis dat unum esse

substantiale. Ergo una anima humana nonnisi unum hominem constituere potest.

384. **Corollarium.** — Et sicut una anima non potest constituere nisi unum hominem, ob eamdem rationem non potest constituere nisi unum corpus humanum, quia non potest dare nisi unum esse substantiale. Unde tot sunt animae rationales quot sunt corpora humana quae multiplicantur ad multiplicationem animarum humanarum, sicut anima ad multiplicationem corporum. Quod confirmatur ex ordine essentiali quem animae habent ad corpus (cf. n. 216).

385. **Quaestio secunda.** — Quaeritur 2.° an in quolibet homine praeter animam intellectivam sit ponenda alia anima distincta, quae sit principium vegetationis aut sensationis.

386. **Sententiae.** — Quidam philosophi putant Platonem in homine tres animas admisisse, intellectivam, sensitivam et vegetativam. Quidam autem recentiores posuerunt duo principia vitalia tantum, non tamen eodem modo: nam quidam cum Okamo docuerunt praeter animam intellectivam esse in homine animam sensitivam cui attribuerunt etiam actiones vegetativas: alii autem docent animam intellectivam esse principium etiam sensationis, sed non principium actionis vegetativae, cujus proinde principium ab anima intellectiva omnino distinguitur in hac sententia. Prima sententia vocatur *tricotomia* seu *tridynamismus;* aliae duae posteriores *duodynamismus* seu *dicotomia* vel etiam *vitalismus* nuncupantur.

387. **Conclusio.** — *In homine nonnisi unica anima esse potest* (1).

Prob.: 1.° In homine, ut ex conscientia est manifestum, nonnisi unum esse substantiale et simpliciter

(1) Cf. S. Th. l. c.; Goudin, Physicae p. IV. disp. un. qu. I. a. III; Mercier, l. c. n. 267.

distinguitur, quamvis multae sint operationes : nam *ego* ipse sum substantialiter unus qui intelligo, sentio, vegeto. Atqui unum esse substantiale nonnisi ab uno principio substantiali esse potest. Ergo in homine nonnisi unum principium essendi substantiale est, ex quo omnes operationes sive intellectivae, sive sensitivae, sive vegetativae derivantur.

Confirmatur : Quando multiplicatur principium essendi et operandi substantiale, multiplicatur etiam ipsum esse substantiale et ipsa substantia. Si ergo in homine ponatur principium vegetandi, sentiendi, et intelligendi substantiale distinctum, in homine habebitur triplex esse substantiale specificum, et tres substantiae completae ; alia ergo erit substantia quae vegetat, alia quae sentit et alia quae intelligit; quod est contra conscientiam.

2.° Una operatio unius speciei cum fuerit intensa, impedit aliam alterius speciei : e. g. cum quis fortiter rebus intelligibilibus intendit, impeditur operatio inferior, puta sensitiva aut vegetativa et viceversa. Ergo hujusmodi operationes ab eodem principio substantiali originem ducunt. — *Antec. patet* ex experientia. *Conseq. prob.* quia si a diverso principio substantiali et praecipue a diversa substantia prodirent tales operationes, una non dependeret ex alia et ideo ab alia non impediretur.

3.° Frusta in homine multiplicantur animae. Ergo una sola anima et haec rationalis in uno homine est admittenda. — *Conseq.* patet. *Antec. prob.* ex eo quod phaenomena vitalia quae in homine contingunt optime explicantur per unam animam, ut ex sequentibus patebit.

388. **Corollaria.** — I Anima ergo humana quamvis formaliter sit intellectiva, tamen est virtualiter sensitiva et vegetativa; unde virtute continet quid-

quid est perfectionis in anima vegetativa et in anima sensitiva.

II. Insuper anima continet etiam virtualiter formam corporeitatis, ita scilicet quod sicut corpus hominis constituitur humanum per animam intellectivam, et sensitivum et vegetativum, ita etiam constituitur corpus per eamdem animam; nam anima humana dat corpori esse substantiale, ut ex dictis patet: ergo dat ei etiam esse corpus; nam in corpore humano nonnisi unum esse substantiale distinguitur, quod est corporeum, vegetativum etc.

389. **Explicatur modus quo anima dat esse multiplex corpori.** — Quomodo autem hoc contingat, de facili considerari potest, si quis differentiam specierum et formarum attendat. Inveniuntur enim rerum species et formae differre adinvicem secundum perfectius et minus perfectum. Sicut in rerum ordine animata perfectiora sunt inanimatis, et animalia plantis, et homines animalibus brutis, et in singulis horum generum sunt gradus diversi. Et ideo Aristoteles adsimilat species rerum numeris, qui differunt specie secundum additionem et subtractionem unitatis, et comparat diversas animas speciebus figurarum, quarum una continet aliam, sicut pentagonum continet tetragonum et excedit. Sic igitur anima intellectiva continet in sua virtute quidquid habet anima sensitiva brutorum et nutritiva plantarum. Sicut ergo superficies, quae habet figuram pentagonam non per aliam figuram est tetragona et per aliam pentagona, quia superflueret figura tetragona, ex quo in pentagona continetur, ita nec per aliam animam Socrates est homo et per aliam animal, sed per unam et eamdem (1).

(1) S Th. I. c. a. III. c.

390. **Objectio.** — Inter partem sensitivam et rationalem homo saepe luctam experitur. Atqui lucta nequit esse nisi inter diversa principia. Ergo principium sensationis est diversum a principio intellectionis in homine, idest anima sensitiva et intellectiva distinguuntur.

Resp. 1.° nimis probare hoc argumentum: nam cum saepe luctatio inveniatur in ipsa parte sensitiva, imo et in parte intellectiva, sicut cum quis experitur motus superbiae et inanis gloriae contra suam voluntatem, sequeretur quod ipsa anima intellectiva vel etiam sensitiva in eodem homine multiplicaretur; quod neque adversarii concedunt. — 2.° Hoc argumentum ad summum probat distinctionem ipsarum facultatum ab essentia animae et inter se, idest probat esse distinctionem in principio proximo operationum, quod libenter concedimus (I, n. 768). — 3.° Colluctatio est ex parte objecti non ex parte principii. Contingit enim quod unum objectum moveat appetitum sensitivum nimis, idest contra judicium rationis, et tunc appetitus intellectivus resistit tali objecto inordinate animum moventi. Hoc autem ostendit quod idém est animus, qui movetur a tali objecto motu naturali, et resistit ei motu voluntario. Ratio hujus est quia sunt in animo plures vires seu potentiae, licet animus sit unus.

391. **Comparantur animae rationales inter se ratione perfectionis.** — Quaerunt philosophi an animae rationales sint omnes aquales vel differant in perfectione. Verum si fiat sermo de perfectione considerata secundum accidentia tum physica tum moralia manifestum est non omnes animas esse aequales, sicut etiam manifestum est omnes animas humanas esse aequales si considerentur secundum speciem, quippe eamdem suscipiunt definitionem. At

si considerentur secundum esse substantiale individuale uniuscuiusque animae philosophi in hac quaestione dirimenda non conveniunt. Inter antiquos philosophos pro animarum aequalitate sunt Durandus, Henricus Gandavensis, Teletus, quibus multi recentiores concinunt; pro inaequalitate autem animarum pugnarunt inter alios Caprealus, Cajetanus, Bannes, Goudin etc.

392. **Conclusio.** — *Non omnes animae rationales perfectione individuali substantiali sunt aequales.*

Prob. 1.° Animarum substantialis et individualis perfectio desumitur unde desumitur earum individuatio et numerica distinctio, idest per ordinem ad diversum corpus organicum quantum; ad ipsum enim essentialiter animae ordinantur. Atqui corpora humana in quibus animae rationales recipiuntur, sunt magis vel minus perfectae organizata. Ergo etiam animae rationales individualiter consideratae sunt magis vel minus perfectae in earum substantia.

Confirmatur: Virtus alicujus rei est magis vel minus perfecta prout ad effectum perfectiorem vel imperfectiorem efficiendum ordinatur. Atqui animae non per virtutem a se distinctam, sed per propriam substantiam individualiter consideratam ordinantur ad corpus organizandum quasi effectum formalem ipsarum. Ergo animae rationales in propria substantia individuali consideratae dicendae sunt efficaciores vel perfectiores secundum quod ad organismum corporis perfectiorem ordinantur.

2.° Inter recipiens et receptum praecipue cum essentialiter ad invicem ordinantur debet esse proportio; ergo quo magis unum perfectius est etiam aliud debet esse perfectius. Sed organismus humani corporis se habet ad animam rationalem tanquam recipiens ad receptum. Ergo quo perfectior

est organismus, perfectior esse debet anima quae in eo recipitur. Unde S. Thomas sapientissime ait: « Quantum corpus est melius dispositum tanto meliorem sortitur animam; quod manifeste apparet in his quae sunt secundum speciem diversa. Cujus ratio est quia actus et forma recipitur in materia secundum materiae capacitatem. Unde cum etiam in hominibus quidam habeant corpus melius dispositum sortiuntur animam majoris virtutis in intelligendo. Unde dicitur in secundo de Anima *quod molles carne bene aptos mente videmus* ». P. I, qu. 85, a. 7 c.

393. **Corollarium.** — Ex quibus inferimus cum eodem Angelico unum hominem perfectius et melius intelligere quam alium duplici ratione posse contingere, vel ex parte animae, quia homo ex perfectiori anima perfectiorem et efficaciorem virtutem intelligendi sortitur, vel « ex parte inferiorum virtutum quibus intellectus indiget ad sui operationem. Illi enim in quibus virtus imaginativa et cogitativa et memorativa est melius disposita sunt melius dispositi ad intelligendum » S. Th. Ib.

394. **Objectio.** — Differentia formae causat differentiam speciei. Si igitur una anima est differens ab alia anima secundum majorem perfectionem substantialem sequitur eam esse etiam diversae speciei, quod est evidenter falsum.

Resp.: Dist. maj: Differentia formae quae attenditur ex diversa dispositione materiae *nego;* differentia formae quae attenditur ex diversa definitione *conc.* — Ad rem S. Thomas: « Differentia formae, quae non provenit nisi ex diversa dispositione materiae non facit diversitatem secundum speciem, sed solum secundum numerum. Sunt enim diversorum individuorum diversae formae secundum materiam diversificatae » (l. c. ad 3.[m]).

Caput IX.

De sede animae rationalis.

(S. Th., p. I, qu. LXXVI, a. VIII; Zigliara, l. c., c. III; Rosselli, l. c., quaest. XIX, art. II; Liberatore, l. c., art. V; Schiffini, l. c.; Lorenzelli, Mercier, Hugon, Willems et alii auct. cit).

395. **Quaestio prima.** — Cum anima humana sit forma corporis et ideo in corpore existat, quaerimus in praesenti ubinam sit, sive in qua parte reperiatur, an scilicet in aliqua determinata dumtaxat parte vel in toto corpore.

396. **Sententiae.** — De sede animae in corpore diversi diversimode senserunt. Pythagoras posuit animam sensitivam circa cor, mentem autem circa caput; Empedocles posuit animam in sanguine, Epicurus in corde, Plato et Democritus in capite, Parmenides vero in toto corpore. Plures etiam recentiores in parte determinata corporis sedem animae posuerunt; Lorry et alii in medulla oblungata cerebri, Willis in corporibus seu in partibus striatis, Cartesius in glandula pineali, Malebranchius in cerebro.

397. **Quid in sententia Platonica.** — Si anima uniretur corpori solum ut motor mobili, sicut platonici posuerunt, vel unione accidentali omnino posset dici quod non esset in qualibet parte corporis, sed in una tantum per quam moveret alias; sed quia anima unitur corpori ut forma, oppositum est dicendum omnino.

398. **Conclusio.** — *Anima est in toto corpore et in qualibet parte ipsius per essentiam suam.* — Ut recte intelligatur conclusio animadvertimus animam

utpote substantiam spiritualem non posse esse in loco sive in corpore circumscriptive (cf. I, 708); insuper cum anima dicitur tota non intelligitur secundum pluralitatem vel collectionem partium, sed perfectionem naturae.

Prob.: 1.° Anima humana non est forma accidentalis corporis humani, sed substantialis. Atqui forma substantialis est de necessitate in tota substantia et in qualibet parte substantiali ejus cujus est forma. Ergo anima humana est in toto corpore et in qualibet parte ejus. — *Prob. min.:* Nam forma substantialis est perfectio substantialis totius et cujuslibet partis ejus, cum det esse substantiale toti et consequenter omnibus partibus substantialibus; forma enim quae non dat esse substantiale singulis partibus, est forma accidentalis, cum consistat in ipso ordine et compositione partium, sicut e. g. forma domus.

2.° Sicut totum corpus dicitur humanum essentialiter, ita quaelibet pars hominis dicitur humana, e. g. oculus, manus, pes etc. Atqui nihil potest dici humanum essentialiter nisi sit ab essentia animae humanae taliter effectum formaliter. Ergo anima humana per suam essentiam est in toto corpore et in qualibet parte eius.

Confirmatur 1.°: Recedente anima, sicut non dicitur animal et homo nisi aequivoce, quemadmodum et animal pictum vel lapideum, ita manus et oculus et caro et os non dicuntur humana nisi aequivoce. Ergo ex eo quod essentia animae erat in eis formaliter dicebantur humana proprie et essentialiter. — *Prob. antec.:* Omne quod retinet speciem retinet operationem speciei; si ergo corpus et partes corporis praedictae retinerent propriam speciem qua sunt essentialiter humanae, post recessum animae haberent propriam operationem speciei. Atqui neque cor-

pus, neque pars corporis retinet suam propriam operationem, anima recedente, nam propria operatio oculi est videre etc. Ergo et animal et homo et quaelibet pars dicitur humana aequivoce, anima recedente.

Confirmatur 2.°: Nulla pars parietis dicitur alba nisi albedo sit in ipsa ut forma. Ergo neque ulla pars corporis humani dicitur humana essentialiter nisi essentia animae humanae sit in ipsa ut forma.

399. **Quaestio secunda.** — Quaeritur 2.° an anima sit tota totalitate essentiae in qualibet parte corporis.

400. **Advertenda.** — Praenotare oportet quod distinguitur triplex totalitas secundum triplicem divisionem, nam totum est quod dividitur in partes: distinguitur autem triplex totum: 1.° est quoddam totum quod dividitur in partes quantitativas, 2.° autem est quoddam totum, quod dividitur in partes rationis et essentiae, quae cum in indivisibili consistat non potest dividi nisi secundum mentis considerationem, loquendo de essentia metaphysice considerata, ut e. g. animal rationale; loquendo autem de essentia physica contingere potest quod sit divisibilis etiam secundum partes physicas, et ideo realiter, sicut corpus quod constat ex materia et forma. Unde omne definitum resolvitur in partes definitionis, et compositum resolvitur in materiam et formam; 3.° autem est totum potentiale, quod dividitur in partes virtutis. — Primus totalitatis modus qui attenditur secundum partes quantitativas, non convenit formis nisi forte per accidens, et illis solis formis, quae habent indifferentem habitudinem ad totum quantitativum et partes ejus; sicut albedo quantum est de sui ratione aequaliter se habet ut sit in tota superficie et in qualibet superficiei parte. Et ideo divisa superficie dividitur albedo per acci-

dens. Sed forma quae requirit diversitatem in partibus, sicut est anima praecipue animalium perfectiorum, non aequaliter se habet ad totum et partes; unde non dividitur per accidens, scilicet per divisionem quantitatis (cf. n. 268).

401. **Punctum quaestionis.** — Igitur nostra quaestio non est de totalitate, quae habetur per partes quantitatis, cum anima nullam quantitatem habeat neque per se neque per accidens, sed de totalitate essentiae et rationis. Allucinatio et difficultas in hac quaestione contingit ex eo quod supponitur animam esse quoddam totum divisibile in partes quantitativas. His positis sit:

402. **Conclusio 1.** — *Anima humana est tota in qualibet parte corporis totalitate essentiae et perfectionis.*

Prob.: Formae quae non sunt divisibiles neque per se, neque per accidens, ubi sunt, totae sunt totalitate essentiae et perfectionis. Sed anima humana non est divisibilis neque per se, neque per accidens, idest per divisionem quantitatis, et est in toto corpore et in qualibet parte corporis. Ergo anima humana est tota totalitate essentiae in corpore et in qualibet corporis parte. — *Major declaratur:* nam forma quae non est tota totalitate essentiae et perfectionis in uno loco, ibi est secundum partem sui et in alio loco secundum aliam partem, et sic oportet ut sit divisibilis saltem per accidens ad divisionem locorum in quibus est. *Minor patet ex dictis,* nam anima humana est omnino simplex; et patet ex facto quod nullo modo dividatur neque per se in partes essentiales realiter distinctas, neque per accidens ad divisionem quantitatis; insuper ipsa est quae totum corpus et quamlibet partem corporis reddit essentialiter humanum ipsum vivificando (cf. 363-364).

Declaratur et magis *confirmatur* exemplo adlatum argumentum. Si quaereretur de albedine utrum esset tota in tota superficie et in qualibet ejus parte, distinguere oporteret; quia si fieret mentio de totalitate quantitativa quam habet albedo per accidens, non tota esset in qualibet parte superficiei; sed si fieret mentio de totalitate speciei et essentiae, tota albedo dicenda esset in qualibet superficiei parte esse; anima autem totalitatem quantitativam non habet neque per se neque per accidens, et ideo anima est tota in qualibet parte corporis secundum totalitatem perfectionis et essentiae. — *Decl. minor:* nam si totum aliquod album uniformiter et aequaliter dividatur in partes, non sequitur aliquam partem esse minus albam quam totum, unde albedo in ratione albedinis non est major in toto quam in parte.

403. **Conclusio II.** — *Anima humana non est tota secundum totalitatem virtutis in qualibet parte corporis.* — Haec conclusio probatione non indiget, cum sit per se evidens, nam anima non secundum quamlibet suam potentiam est in qualibet parte corporis, sed secundum visum in oculo, secundum auditum in aure etc.: et haec est ratio quare non in qualibet parte non exercet quamlibet operationem.

404. **Diversimode anima se habet ad corpus et ad partes diversas ejus.** — Quia anima requirit diversitatem in partibus, non eodem modo comparatur ad totum et ad partes, sed ad totum quidem primo et per se sicut ad proprium et proportionatum perfectibile, posterius autem ad partes secundum quod partes habent ordinem ad totum: sicut etiam non eodem modo comparatur ad quamlibet partem; et hoc patet non solum de virtute sensitiva quae diversimode juxta diversa organa exer-

cetur, sed de virtute intellectiva quae indiget praesentia phantasmatis quod est in cerebro, et similiter patet de virtute vegetativa quae principalius exercetur in corde.

CAPUT X.

De facultatibus animae humanae in genere.

(S. Th., l. c., quaest. LXXVII cum comm. CAIET., BANNEZ, SYLVIUS, etc.; idem S. Th. *De spirit. creat.* et *de Anima* inter qq. disp. JOANNES a *S. Th.*, GOUDIN, *phil.*, ALAMANNUS, PESCH, *psych.*, MERCIER, HUGON, et alii auctores supra cit.)

405. **Ratio capitis.** — Considerata anima in se et prout corpori unitur, consideranda est in suis facultatibus operativis, et 1.° quidem in genere, 2.° autem in specie; in praesenti capite consideramus animam in suis facultatibus generice inspectis, in sequentibus autem considerabimus ipsam in suis facultatibus in specie.

406. **Quaestio prima.** — Prima quaestio, quae circa facultates animae solvenda occurrit, est de distinctione, quae interest inter facultates et essentiam animae (cfr. n. 99-100).

407. **Sententiae.** — Quidam philosophi antiqui putarunt facultates animae non distingui realiter ab animae essentia, sed ratione tantum; hos philosophos secuti sunt Cartesiani et non pauci recentiores praecipue *Dynamistae* et *Atomistae,* et generatim omnes qui animae substantialitatem negant (cf. 186, 189, 257). Scotus et Scotistae dicunt distingui distinctione actuali formali quam mediam ponunt inter realem et rationis (cf. I, pag. 382 *nota).* Scholastici tamen cum Angelico Doctore tum antiqui, tum moderni docent animam a suis facultatibus realiter distingui.

408. **Conclusio.** — *Facultates animae realiter distinguuntur ab animae essentiâ.*

Prob.: 1.° Anima humana non potest perfici *essentialiter* a sua operatione. Atqui facultates animae essentialiter perficiuntur ab operatione sibi correspondente. Ergo anima in sua essentia considerata realiter distinguitur a suis facultatibus. — *Prob. maj.:* nam si anima perficeretur *essentialiter* ab operatione, etiam *substantialiter* ab eadem perficeretur: cum enim essentia animae sit substantia, idem est ipsam perfici *essentialiter* et *substantialiter;* est autem impossibile quod actio, cum sit accidens, perficiat et compleat *substantialiter. Minor patet,* nam intellectus essentialiter perficitur ab intellectione, cum intellectio sit actus specificativus illius; item sensus perficitur essentialiter a sensatione correspondente etc.

2.° Anima humana cum sit principium specificativum hominis ex sua natura, et ideo ex sua natura substantiali et essentiali habeat rationem principii specificantis, non potest specificari ab alio principio a se ipsa distincto. Atqui facultates operativae animae specificantur ab actione propria, quae ab eis distinguitur. Ergo anima humana a suis facultatibus realiter distinguitur

Confirmatur: Anima humana est ultimus actus substantialiter specificans, et ideo est quid completum in ratione actus specificativi. Ergo ipsa non potest specificari in sua essentia ab alio principio vel ab alio actu; multo minus ab actu accidentali, qui est ipsa operatio, a qua specificantur facultates, quae proinde ab anima distinguuntur realiter.

3.° Quod specificatur ab actu accidentali, est accidens; ergo facultates animae utpote specificatae ab actione propria, sunt accidentia. Sed accidens realiter

distinguitur a substantia. Ergo facultates animae a substantia realiter distinguuntur (1).

4.° Facultates animae quaedam sunt organicae, quaedam spirituales et inorganicae; unde inter se distingui manifestum est. Atqui si ab essentia animae non distinguerentur neque inter se distingui deberent, quippe quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se. Ergo ab essentia animae distingui debent ex hoc quod inter se distinguuntur.

409. **Obj.** — Facultates animae non sunt accidentia animae. Ergo sunt ipsa animae substantia, a qua proinde non distinguuntur.

Resp.: dist. antec.: Facultates animae non sunt accidentia, quae a substantia possint separari, *conc.:* non sunt accidentia idest proprietates inseparabiles ab anima, *nego.* Et nego *conseq.* — Accidentis nomine non solum intelligitur entitas subjecto alicui adhaerens separabilis ab eo, sed etiam entitas quae necessario sequitur ipsam substantiam et inseparabiliter (cf. I, 12, 15).

410. **Advertenda pro solutione aliarum difficultatum.** — Ad solutionem aliarum difficultatum adverte: 1.° facultatem animae pertinere ad conceptum essentialem non constitutivum sed consecutivum animae, quatenus scilicet, intellecta animae essentia, intelliguntur consequi ex ipsa facultates ejus operativae; 2.° facultates non produci proprie ab animae essentia, sed ab ipsa emanare, non mediante actione, sed immediate, quia per eamdem actionem ipsae producuntur per quam producitur essentia ipsa; *qui* enim *dat esse dat consequentia ad esse*, uti ajunt scholastici (I, 769); 3.° anima et facultas animae sunt principium quo operationis, di-

(1) Cf. S. Th. l. c. a. I.

versimode tamen, nam anima est principium *quo radicale* et *remotum*, facultas autem *proximum* et *immediatum* (I, n. 756).

411. **Quaestio secunda.** — Potentiae seu facultates animae entitates sunt licet accidentia, et ad invicem distinguuntur: igitur oportet ut in eis sit principium distinctivum, quo scilicet in propria sua entitate et natura constituuntur et distinguuntur: quaeritur ergo de hujusmodi principio distinctivo et constitutivo,

412. **Conclusio I.** — *Facultates seu potentiae operativae specificantur et distinguuntur per ordinem ad proprias operationes.*

Prob.: Unaquaelibet res per illud in sua specifica natura constituitur et ab aliis distinguitur, quo in ipsa intellecto, ipsa res intelligitur in sua specie et ut ab aliis distincta, et quo non intellecto neque ipsa res in sua specie, neque ut ab aliis distincta intelligitur. Atqui intellecto ordine in facultatibus animae, quem facultates habent ad proprias operationes, ipsae facultates in sua specie constitutae et ut ab aliis distinctae intelliguntur. Ergo facultates seu potentiae animae constituuntur in sua specie et ab aliis distinguuntur per ordinem ad proprias operationes. — *Declaratur minor* ex eo quod facultas intellectiva eo ipso intelligitur in se et ab alia distincta per hoc quod dicitur facultas *ordinata* ad *intelligendum*; facultas visiva per hoc quod dicitur *ordinata* ad *videndum* etc. (1).

413. **Corollaria.** — I. Quia operationes ordinantur ad objecta a quibus specificantur, sicut e. g. intelligere ad intelligibile, appetitio ad appetibile, visio ad visibile, ideo etiam facultates ad objecta essentialiter ordinantur, tamen mediante operatione.

(1) Cf. S. Th. l. c. a III.

II. Potentiae specificantur ab objectis non quidem immediate, sed mediantibus operationibus.

III. Objecta ergo specificant potentias non quidem sicut ipsa differentia specifica, quae in ipsa potentia intrinsece reperitur quasi pars essentiae sive naturae ipsius facultatis, sed quatenus objectum est terminus ad quem *ordo* facultatis seu ipsa facultas inclinatur (eo ferme modo quo dicitur via specificari a termino, non quasi ipse terminus sit viae intrinsecus); nam potentia intrinsece per *ordinem* ad suum objectum specificatur, qui ordo est relatio transcendentalis in ipsa potentia (I, n. 723).

IV. Potentiae specificantur per ordinem ad proprium objectum non *materialiter* consideratum, sed *formaliter*, idest sub tali ratione ab ipsa facultate seu potentia intentum: e. g. potentia visiva essentialiter ordinatur ad coloratum percipiendum, et quia coloratum est corpus, ideo ad ipsum corpus percipiendum ordinatur; tamen non percipit corpus nisi sub ratione *colorati*, et ideo coloratum, formaliter ut *coloratum*, specificat potentiam; unde quidquid percipit oculus sub formali ratione *colorati* percipit. Item auditus specificatur a *sonoro* sub ratione formali *sonori*, intellectus ab *intelligibili* sub ratione formali *intelligibilis*, et appetitus a re *appetibili* sub ratione formali *appetibilis* etc. (I, 355 seqq.) (1).

V. Nobilitas potentiae operativae ex nobilitate objecti attenditur; nam cum specificatio facultatis seu potentiae sit per ordinem ad actionem et ad objectum, quo nobilius est objectum, nobilior est ipse ordo; cum tota ratio ordinis ex fine seu termino desumatur.

VI. Et quia nobilitas objecti ex ejus universalitate desumitur, inquantum scilicet ratio ejus formalis

(1) Cf. S. Th. ibidem.

ad plura se extendit, sequitur quod facultas seu potentia tanto erit nobilior, quo universalius est ejus objectum. Unde facultates sensitivae sunt nobiliores quam vegetativae, et intellectivae adhuc nobiliores quam sensitivae.

414. **Genera potentiarum animae.** — Potentiae animae multae sunt; ad tria tamen genera reducuntur, idest ad *vegetativum*, *sensitivum*, *intellectivum;* quibus addi potest *appetivum* et *motivum secundum locum.* Potentiae animae distinguuntur secundum objecta; quanto enim potentia est altior et nobilior tanto respicit universalius objectum. Potest autem objectum operationis animae in triplici ordine considerari: 1.° vel enim operationum seu potentiarum animae objectum est solum corpus animae unitum, et habetur genus potentiarum animae quod dicitur *vegetativum;* vegetativae enim potentiae non agunt nisi in corpus cui anima unitur; 2.° vel operationum seu potentiarum animae objectum est omne corpus *sensibile,* quod est objectum universalius quam corpus animae unitum; 3.° vel est *omne ens;* et sic habentur alia duo genera potentiarum animae, idest *sensitivum* et *intellectivum.* Et secundum haec duo anima nata est conjungi rebus exterioribus, vel per similitudinem, et habentur potentiae cognoscitivae, quae ad intellectivum et sensitivum genus pertinent, vel anima nata est inclinari et tendere in rem exteriorem secundum seipsam, et secundum hoc duo genera potentiarum accipiuntur, idest *appetitivum,* secundum quod anima comparatur ad rem extrinsecam ut ad finem, qui est primum in intentione; et *motivum* secundum locum prout anima comparatur ad rem exteriorem sicut ad terminum operationis vel motus. Ad consequendum enim aliquod desideratum et intentum omne animal movetur. Unde quinque sunt

genera potentiarum idest: Potentia *vegetativa*, *sensitiva, intellectiva, appetitiva*, *locomotiva* (1).

415. **Potentiae vegetativae.** — Potentiae vegetativae tres sunt: *generativa,* per quam corpus esse acquirit; *augmentativa,* per quam corpus ad debitam quantitatem pervenit; *nutritiva,* per quam corpus conservatur in esse, et in quantitate debita, et vires deperditae corporis restaurantur. Prima tamen, idest *generatira,* effectum suum habet non in corpore, in quo est, sed in alio, quod generatur, e contra *nutritiva* et *aumentativa* non habent effectum nisi in corpore in quo sunt seu animae unito (2). Nutritiva tamen generativae et augmentativae est basis et fundamentum (n. 240).

416. **Alia divisio potentiarum animae.** — Potentiarum animae quaedam dicuntur activae, quaedam passivae: quae divisio non sic est intelligenda quasi quaedam ordinentur ad agendum, nam omnes potentiae ad agendum ordinantur, sed per ordinem ad objectum; nempe activae potentiae dicuntur quae proprium objectum efficiunt, e. g. generativa efficit corpus quod generatur; potentiae vero passivae dicuntur quae objectum supponunt et ab ipso patiuntur et ad agendum determinantur; ita sensus dicitur facultas passiva, quia a sensibili patitur.

417. **Quaestio prima.** — Quaeritur nunc de subjecto potentiarum animae humanae, an scilicet sit ipsa anima, vel sit organismus animatus, idest ipsum compositum, quod est corpus vivum.

418. **Conclusio I.** — *Anima est principium omnium potentiarum.*

Prob.: Primum principium vitae seu operationum vitalium est principium potentiarum, a quibus sunt

(1) Cf. S. Th. p. I. qu. LXXVII, a. I.
(2) Ib. a. II.

operationes vitales. Atqui anima est primum principium operationum vitalium (248, 262); anima ergo est principium potentiarum suarum (1).

419. **Conclusio II.** — *Anima humana* 1.° *est subjectum potentiarum intellectivarum ;* 2.° *non est subjectum potentiarum vegetativarum ;* 3.° *neque est subjectum potentiarum sensitivarum.*

Prima pars patet ex dictis contra matèrialistas (n. 342).

Prob. secunda pars : Nutritio, augmentatio et generatio est propria corporis, ut patet; ergo et potentiae correspondentes; illud enim est *potens* agere quod agit. Ergo si corpus nutritur, augetur, generatur, etiam corpus est *potens* nutriri, augeri etc. et ideo *potentia* nutritiva, augmentativa et generativa est in corpore, sicut in subjecto, non autem in anima sola (2).

Prob. tertia pars : Si anima esset subjectum facultatum sensitivarum esset impossibilis sensatio tum ut est affectio, tum ut est cognitio. Ergo impossibile est ut anima sit subjectum facultatum sensitivarum. — *Conseq.* patet. — *Prob. antec. :* Nam ad habendam sensationem ut est affectio requiritur ut objecta sensibilia agant in facultates sensitivas quod in hypothesi est impossibile, quia hae utpote subjectatae in anima simplici et spirituali, simplices et spirituales poni deberent, objecta autem sensibilia utpote agentia contactu quantitativo in rem simplicem et spiritualem agere non possunt; unde neque facultates animae simplices ab eis affici est possibile. Unde sensatio, ut est affectio, est impossibilis in hypothesi. — Et multo magis est impossibilis ipsa co-

(1) Ib. qu. LXXVII, a. VI.
(2) Ib. a. V.

gnitio quae affectionem objecti cogniti in facultatem supponit. Neque dici potest objecta afficere facultates seu animam mediante organismo; quia etiam organismus corporeus est et contactu quantitativo agit; et ad summum anima non posset sentire nisi ipsum ab impressione objectorum varie modificatum. Unde sensatio et cognitio ad ejus modificationes subjectivas terminaret. — Cfr. quae diximus in Cosmologia (n. 310, et in logica (273 et 277).

420. **Conclusio III.** — *Subjectum potentiae sensitivae est ipsum compositum seu organismus animatus.*

Prob. conclusio. Subjectum potentiae sensitivae debet esse aliquid formaliter vivum, nam cum sensatio importet actionem vitalem etiam potentia vitalitatem importat, et consequenter ipsum subjectum potentiae vivum aut est anima, aut est ipsum compositum ex anima et materia, seu organismus animatus. Cum igitur, uti probatum est, (concl. praeced.) subjectum potentiarum sensitivarum non sit anima, sequitur esse ipsum compositum seu organismum animatum.

Confirmatur: Sensatio respicit objectum extensum seu compositum ex pluribus partibus, tamen sub quadam unitate sentitum idest ad modum unius. Ergo requiritur ratio multipticitatis et unitatis; porro ratio multiplicitatis est ipsa materia, ratio vero unitatis non potest esse nisi simplicitas idest aliquid simplex quod est anima quae est principium sensationis. Compositum ergo, idest quod resultat ex materia et anima est potentiae sensitivae subjectum.

Caput XI.

De facultatibus sensitivis cognoscitivis.

(S. Th., p. I, qu. LXXVIII, a. III et IV cum comm. Caietani, Bannez, Joann a S. Thom. etc.; Lepidi, Liberatore, Schiffini, De Maria, Lorenzelli, Mercier, Hugon, Willems).

421. **Ratio capitis.** — Consideratis facultatibus animae in genere, et, quantum necesse est ad scopum nostrum, enumeratis facultatibus vegetativis, etiam de sensitivis agendum est. Sed de facultatibus sensitivis plura disseruimus supra in Cosmologia (c. XXXII-XXXV) agentes de animalibus; ideo ne actum agamus non omnia sed quaedam tantum in praesenti agemus de facultatibus sensitivis, idest ea quae praetermisimus. Ibi enim in genere egimus et solummodo ea quae magis patent in animalibus. Nunc igitur agentes de homine oportet ut enucleatius agamus de facultatibus illis quae immediate cum facultate quae est propria hominis idest cum intellectu relationem habent. Facultatum autem sensitivarum quaedam sunt cognoscitivae, quaedam autem appetitivae: in antecessum de cognoscitivis agendum est, deinde vero de appetitivis.

422. **Numerus facultatum sensitivarum cognoscitivarum in homine.** — Facultates sensitivae in homine cognoscitivae illae ipsae sunt quas recensuimus in cosmologia (287, 288), sunt enim sensus externi et interni. De sensibus externis quos supra quinque recensuimus plura diximus quae in praesenti non sunt repetenda. Nunc advertimus sensum tactus esse in toto corpore diffusum, e contra alios sensus esse in aliqua parte determinata corporis et requirere peculiare organum, ut unusquique animadver-

tere potest in semetipso; consequenter sensum tactus esse fundamentum aliorum sensuum utpote ab eis praesuppositum: unde animal praecipue dicitur sensitivum ex tactu, ex quo desumuntur diversi gradus perfectionis vitae sensitivae. Sensus interni autem sunt sequentes: *Imaginatio* seu *phantasia, aestimativa* (quae etiam ratio *particularis* vel *intellectus passivus* prout est in homine nuncupatur), *memorativa* seu *memoria* sensitiva et *sensus communis.*

423. **Distinctio sensuum internorum et externorum.** — Sensus internos a sensibus externis distingui si considerentur quoad eorum officium et varias functiones evidenter apparet neque disceptatio seria esse potest; aliud est e. g. videre aliud imaginare objectum visum; sed quoad organum quod sensationi externae deservit non distingui ab ipso organo quod deservit imaginationi et memoriae quidam putabant (cf. n. 317); nunc vero physiologi cum scholasticis antiquis et recentioribus consentiunt omnino differre (1). Sed difficultas esse videtur quoad sensum communem.

(1) « Nothnagel, ait Mercier, riferisce il caso di un uomo divenuto cieco in seguito ad un rammollimento della zona corticale delle due sfere visuali. Quest' uomo conservava la memoria dell' aspetto esteriore delle cose e poteva ancora rappresentarsi immagini visuali; segno evidente che queste immagini devono essere localizzate fuori della sfera visuale. Così pure Heubner ha osservato che un ammalato che conservava la sfera uditiva intatta, ma attorniata da una parte rammollita, poteva ripetere tutte le parole che si proferivano alla sua presenza, ma non ne comprendeva più il senso, nè poteva ricordarle se non per alcuni secondi: questo prova che il ricordo delle immagini uditive e la percezione del valore delle parole son localizzate fuori della sfera uditiva. Le scoperte di Fleschsig hanno confermato le vedute degli scolastici su questa distinzione dei sensi interni dai sensi esterni ». Psic. Trad. It. del prof. S. Bersani sulla 5.ª ediz. Francese, v. I, p. I n. 88 in fine).

424. Unde sumitur ratio numeri sensuum externorum. — Ratio numeri sensuum externorum ex diversitate objectorum desumitur quatenus objecta diversimode nata sunt agere et determinare sensum per quandam immutationem vel spiritualem, hoc est intentionalem tantum, vel spiritualem et naturalem simul (cf. n. 314). Sensus enim est potentia passiva cui *per se* competit immutari ab exteriori objecto sensibili, ideo per se ei competit comparari ad exterius immutativum quod ab ipso percipitur; et consequenter diversificatur et distinguitur secundum diversum immutativum. Unde 1.° habetur visus in quo attenditur *spiritualis* seu *intentionalis* immutatio tantum, non enim objectum secundum se visui coniungitur ut causet speciem intentionalem, sed mediante lumine et ideo visus est omnium nobilissimus, 2.° habetur *auditus* in quo ad immutationem *spiritualem* ingerendam immutatio naturalis praerequiritur, tamen pure localis ex parte objecti, nam sonus causatur ex percussione et aeris commotione, 3.° habetur *olfactus* in quo ad immutationem *intentionalem* in sensu praerequiritur immutatio naturalis secundum alterationem in objecto, oportet enim chimice alterari objectum seu ut res aeriformes spirent odorem (1), 4.° habetur *gustus* in quo ad immutationem *spiritualem* seu *intentionalem* ingerendam praerequiritur immutatio naturalis etiam ex parte ipsius organi juxta quosdam processus chymicos; res enim fluida a qua sapor emanat oportet ut sit soluta et excitet organum (2).

---

(1) « Ut sensibilitas olfactus habeatur, ait Antonelli, requiritur ut moleculae odorosae corporum in aëra diffundantur et ob inspirationem tangant mucosam » I, c. n. 129.

(2) Cf. S. Th., P. I. qu. 78. a. III. c., et Antonelli, l. c. n. 128 seqq.

5.° habetur *tactus* in quo ad immutationem intentionalem praerequiritur mutatio naturalis ex parte ipsius organi per qualitatem ipsam quae tanquam objectum sensui objicitur mediante contactu, ut patet de *calore* qui manum calefacit (cfr. S. Th. P. I, qu. 78 a. III, c. et ea quae diximus supra n. 303).

425. **Unde sumitur ratio numeri quaternarii in sensibus internis.** — Quaternarius numerus sensuum internorum ex necessitate vitae animalis desumitur quae tot actiones requirit diversas quae praeter sensus exteriores recensitos requirunt quatuor potentias sensitivas seu quatuor sensus interiores etiam numero praecedenti enumeratos. Nam, ut ratiocinatur ipsemet Angelicus, ad perfectam sensuum cognitionem quae sufficiat animali quinque requiruntur: 1.° quod sensus recipiat speciem a sensibilibus; quod fit per sensus exteriores recensitos; 2.° quod de sensibilibus perceptis dijudicet, et ea ad invicem discernat, quod fit per *sensum communem;* 3.° requiritur quod species sensibilium receptae per sensus externos conserventur ad repraesentanda sensibilia absentia, et hoc fit per *potentiam* quae dicitur *imaginatio* vel *phantasia;* 4.° autem requiruntur intentiones aliquae quas sensus externi non apprehendunt sicut nocivum et utile, et alia hujusmodi. Et ad haec quidem cognoscenda ordinatur vis *aestimativa* in brutis animantibus, in homine vero vis *cogitativa*, quae est collativa intentionum particularium; unde et *ratio particularis* dicitur et *intellectus passivus* (1); 5.° requiritur quod ea quae per

(1) Ratio differentiae denominationis est quia « alia animalia percipiunt hujusmodi intentiones solum naturali quodam instinctu, homo autem per quamdam collationem. Et ideo quae in aliis animalibus dicitur *aestimativa naturalis,* in homine

aestimativam fuerunt apprehensa idest intentiones, puta ratio *utilis, nocivi, convenientis* conserventur et iterum ad actualem considerationem revocentur, et hoc pertinet ad *vim memorativam,* quae est thesaurus quidam harum intentionum, et sic habetur *memoria* quae in aliis animalibus est absque inquisitione, in homine vero etiam cum inquisitione et studio ; unde praeter memoriam in eo est etiam *reminiscentia* (cf. S. Th. De anima a. XIII, c. et P. I, q. 78 a. 4 c.) (1).

426. **Corollarium.** — Hinc patet absurditas eorum qui ponunt unum sensum tantum, ratio enim distinctionis sensuum manifesta est: insuper sententia ponentium unum sensum tantum in eo fundamentum habet quod nonnisi *motum* ut objectum sensibile ponunt, quod est absurdissimum (cf. n. 97 seqq.).

427. **Alii sensus juxta recentiores.** — Recentiores quidam praeter sensus quinque externos alios sensus externos recensent a praedictis distinctos, videlicet: Sensum *orientationis*, sensum *vitalem*, sensum *muscularem,* sensum *religiosum* etc. At sensus recensiti sufficiunt et hos omnes complectuntur ; unde hi sensus non sunt sensus speciales ; ad praefatos enim reducuntur. Nam ad sensum orientationis ordinantur et sufficiunt sensus externi directi a sensibus internis; ille enim sensus aliquid complexum importat et

---

dicitur *cogitativa*, quae per collationem quamdam hujusmodi intentiones adinvenit. Unde etiam dicitur *ratio particularis*.... est enim collativa intentionum individualium, sicut *ratio intellectiva* intentionum universalium » (P. I, qu. 78, a. IV, c.).

(1) « Ex parte autem memorativae, ait idem Angelicus, non solum (homo) habet *memoriam,* sicut coetera animalia, in subita recordatione praeteritorum, sed etiam *reminiscentiam* quasi syllogistice inquirendo praeteritorum memoriam secundum individuales intentiones ». P. I, l. c.

plura requirit; unde avis oculis orbata non recte dirigitur et multo minus *infallibiliter* ad terminum. Sensus vitalis quo scilicet dolorem, famem, sitim etc. percipimus, ad sensum tactus et intimum idest ad conscientiam sensitivam, quae est ipse sensus communis, reducitur; sensus muscularis autem ad sensum tactus; est enim sensus tactus in toto corpore diffusus. De sensu religioso vide quae diximus (I. n. 589).

428. **Attentio facultatis requisita ad sensibilium perceptionem.** — Ad sensibilium objectorum perceptionem requiritur respectivae facultatis attentio, imo attentio ipsius animae; nam secus actio nulla exercetur circa tale objectum cum *actio* facultatis ad objectum importet directionem et ordinem actualem ad ipsum; unde ex experientia habetur saepissime quod distractio impedit perceptionem objectorum etiamsi haec sint praesentia facultati; proinde multa in die accidunt nobis praesentia quae tamen ob defectum attentionis imperfecto vel nullo modo percipimus (1).

429. **Intentio facultatis.** — In facultate cognoscitiva consideratur etiam intentio quae tamen ab attentione supponitur vel cum ea identificatur; attentio enim videtur supra intentionem quamdam intensitatem importare et nihil amplius; est enim intentio directio facultatis ergo ipsum objectum quod fit per ipsam actionem; omnino enim requiritur ut facultas ad objectum ipsum intendatur seu dirigatur; cum enim ad hoc objectum dirigitur et non ad aliud non potest aliud attingere se percipere. « Vis

---

(1) C. G. l. I, c. 55 — Cf. Coconnier l. c. pagg. 332 seqq.

cognoscitiva, scite ait Angelicus, non cognoscit aliquid actu nisi adsit *intentio;* unde et phanasmata in organo conservata interdum non actu imaginamur, quia intentio non fertur ad ea » (1). Intentiones autem sunt diversae juxta diversitatem objectorum.

Caput XII.

De sensu communi.

430. **Quaestio prima.** — Conceditur communiter alias esse functiones sensus communis, alias functiones cujuslibet sensus externi; nam sensus communis percipit tum sensationem seu actionem, tum obiectum cujuslibet sensus externi et ipsius sensus muscularis, cum e contra nullus sensus externus neque muscularis percipiat propriam sensationem, neque sensationem alterius sensus; non enim oculus videt se videre, neque auditus se audire etc., hoc enim evidentissimum est. Sed movetur quaestio an *sensus communis* sit specialis facultas organica posita in aliqua parte determinata extra ipsos sensus externos praedita speciali actione seu functione, vel potius sint functiones ipsae eorumdem sensuum externorum prout uniuntur sensui musculari ratione unitatis naturae subjecti sensationis (2). — Aristoteles, quem sequitur S. Thomas et communiter scholastici, docet sensum communem esse facultatem organicam specialem in aliqua parte determinata corporis posi-

---

(1) C. G. l. I, c. 55 — Cf. Coconnier l. c. pagg. 322 seqq.

(2) Mercier, l. c., n. 93.

tam (1); unde amplectitur primam sententiam. Quidam recentiores rejiciunt primam et amplectuntur secundam. Clr. Mercier (2) secundae sententiae adhaerens ait quod *sensus communis* proprie loquendo est *potestas* (il potere) *quae nobis inest associandi nostras sensationes ad efformandam perceptionem totalem objecti;* sensus autem *intimus* est: *Sensus muscularis sensibilitatis externae in suo exercitio consideratae* (3).

431. **Conclusio.** — *Sensus communis est facultas specialis distincta tum a sensu musculari, tum ab aliis sensibus quae habent objectum proprium determinatum.*

Prob.: Speciali actioni quae non reducitur neque ad sensum muscularem, neque ad facultates alias quae respiciunt proprium et determinatum objectum, ut sunt quinque sensus externi, debet correspondere specialis facultas distincta tum a sensu musculari, tum a sensibus externis etc. Atqui actio sensus communis est specialis actio quae neque ad sensum muscularem reducitur, neque ad alias facultates, quae respiciunt proprium et determinatum objectum. Ergo facultas quae dicitur sensus communis, est specialis

---

(1) S. Thomas de sensu communi haec habet: « Est sensus communis a quo omnes sensus proprii derivantur, et ad quem omnis impressio eorum renuntiatur, et in quo omnes coniunguntur. Ejus enim organum est prima concavitas cerebri a quo nervi sensuum particularium oriuntur » Opus. *De potent. animae*, c. IV. — A recentioribus scholasticis doctrinam S. Thomae sectantibus esse organum centrale docetur. « Cum sensus communis, ait Hugon, sit facultas centralis organum ipsum centrale sit oportet. Debet itaque reponi in hemisphaeris cerebri, imo, ut a pluribus putatur, in ipso nucleo centrali hujusmodi hemisphaerarum. Hinc fit ut si laedantur hemisphaerae homo non percipit se videre, se audire etc. » l. c. p. 250.

(2) l. c., n. 96 in fine.

(3) Ibid.

et determinata facultas tum a sensu musculari distincta, tum ab aliis etc. — *Maj.* patet, nam nulla actio determinata et specialis potest exerceri a subjecto aliquo nisi per aliquam specialem facultatem. — *Minor* vero prob.: 1.° nam actio quae tribuitur sensui communi est perceptio sensationis tum muscularis, tum aliarum facultatum; nulla autem facultas organica percipit proprium actum cum non possit esse reflexiva: unde homo vel animal quamvis percipiat suam sensationem muscularem, non tamen per sensum muscularem eam percipere potest, praecipue si consideretur dum non est praesens, sicut cum canis fugit minas verberum quia apprehendit dolorem praeteritum et futurum; et similiter per oculum non percipit idest non videt se videre, neque per auditum se audire etc.; 2.° item homo vel animal non potest judicare seu apprehendere album esse vel non esse dulce et discernere ipsum album a dulci per ullam facultatem supra recensitam quae respicit determinatum objectum, puta per oculum, aut per gustum etc. nam talis apprehensio importat quamdam comparationem diversorum objectorum, et ideo non potest procedere nisi a facultate quae hujusmodi diversa objecta apprehendit, quod neque visui, neque auditui etc. convenit (1).

---

(1) Cf., S. THOMAM, opusc. *De potentiis animae*, c. IV; et p. I, qu. LXXVIII, a. IV, c. et ad 2.^{m} ubi dicitur: « Sensus proprius judicat de sensibili proprio discernendo ipsum ab aliis, quae cadunt sub eodem sensu, sicut discernendo album a nigro vel a viridi; sed discernere album a dulci non potest neque visus, neque gustus: quia oportet quod qui inter aliqua discernit, utrumque cognoscat. Unde oportet ad sensum communem pertinere discretionis judicium ad quem referantur, sicut ad communem terminum, omnes apprehensiones sensuum, a quo etiam percipiantur actiones sensuum; sicut cum aliquis videt se videre. Hoc enim non potest fieri per sensum

432. **Obj.** — Posita speciali facultate pro actionibus quae tribuuntur sensui communi tria inconvenientia sequuntur: 1.° quod ponuntur duae facultates pro uno eodemque objecto, idest sensum externum et sensum intimum, 2.° quod una eademque facultas objecta nimis diversa percipiat ut est color et visio ipsa coloris, et 3.° quod eadem facultas objecta formaliter diversa attingat ut sunt colores, sonus, sapores etc.

Resp.: 1.° Imprimis mirum est quod Aristoteles et scholastici, qui versatissimi erant et summopere insistebant in distinctionibus facultatum ex diversitate objectorum, has difficultates non viderint si sint verae difficultates, aut tam parvi fecerint ut de illis ne meminerint quidem.

2.° Ad 1.^{m} dico quod nulla est difficultas in hoc quod admittantur duae facultates respicientes unum et idem objectum, dummodo una harum facultatum ad aliquid altius ordinetur et objective dependeat ab alia in suo exercitio; unde in homine praeter sensus exteriores et interiores datur intellectus qui omnia objecta sensuum percipit; ibi tamen non sistit, sed ultra procedit; et similiter in ipsis sensibus praeter sensus, qui ordinantur ad peculiare et proprium objectum, datur sensus communis qui ad perceptionem horum sensuum ordinatur et ad percipiendam diversitatem seu distinctionem eorumdum objectorum sensatorum, supposita perceptione, quae habetur per sensus externos, ad quos non pertinet eorum diversitatem percipere. Ad 2.^{m} dico quod eadem facultas quae est sensus communis percipit tam diversa objecta, idest sensationem et objectum

---

proprium, qui non cognoscit nisi formam sensibilis, a quo immutatur, in qua immutatione perficitur visio, et ex qua immutatione sequitur alia immutatio in sensu communi, qui visionem percipit ».

sentitum, puta visionem et objectum visum sub una et eadem ratione formali, idest sub ratione *sensationis;* unde attingit objecta ut *sentita:* et hoc rationabiliter et logice; nam impossibile est quod aliqua facultas vere et proprie percipiat sensationem, puta visionem, et non percipiat seu attingat objectum sentitum, cum sensatio sit talis naturae ut ducat in cognitionem objecti sentiti; et quidem facultas quae percipit sensationem in genere solum consideratam eo ipso oportet ut percipiat objectum sentitum in genere et modo indeterminato, in ratione scilicet objecti sentiti; et facultas quae percipit sensationem in specie, puta visionem, oportet ut eo ipso percipiat objectum visum in specie consideratum, sicut etiam facultas quae percipit hanc sensationem individuam oportet eo ipso ut percipiat hoc objectum sentitum puta hoc coloratum. Unde dicimus breviter quod objectum *formale* sensus communis est aliud ab *objecto formali* aliorum sensuum, et ratione sui objecti formalis sensus communis attingit objecta propria aliorum sensuum. Et per hoc patet responsio ad 3.^{m}.

Dices: Hae responsiones non evadunt difficultates objectas, quia species sensibilis non importat talem similitudinem ad objectum exterius, ut *sensibile in actu et sentiens in actu sint idem.*

Resp.: Etiam scholastici agnoscebant similitudinem speciei sensibilis non esse talem ut physice et materialiter esset idem sensibile *in actu et sentiens in actu;* unde supra (n. 314) cum S. Thoma diximus speciem sensibilem non esse crassam et materialem sicut objectum, sed spiritualem; neque nos cum scholasticis docemus sensibile in actu secundum esse physicum et materiale identificari cum sentiente, sed solum secundum esse intentionale. Neque necesse est ut species sensibilis aut ejus relatio ad objectum per-

cipiatur a sensu sive proprio sive communi; sed ejus praesentia sufficit ad hoc ut sensus proprius attingat objectum suum; quia ipsa est ex sua natura ratio sufficiens qua sensus in actum suum reducatur; ita similiter praesentia sensationis ut perceptae a sensu communi potest esse et est ratio cognoscendi seu percipiendi ipsum objectum. Quod confirmatur etiam magis si consideretur quod ratio formalis objecti proprii cujuslibet sensus apprehensa est ratio sufficiens apprehendendi objectum commune (I, n. 267), licet nulla appareat similitudo inter objectum proprium et commune; unde oculus vi perceptionis coloris seu lucis percipit motum, extensionem, rotunditatem etc. (1).

433. **Natura sensus communis seu intimi determinatur.** — Ut difficultates aliae solvantur attendendum est ad ipsam naturam sensus communis, qui definiri potest: *Facultas organica quae sensuum omnium externorum sensationes* et ipsa sensata percipit et discernit. Unde advertendum est sensum communem esse facultatem organicam ad quam relationem seu cum qua communicationem habent diversa centra nervea correspondentia unicuique sensui externo, tum sensui musculari. Vi hujus relationis seu communicationis ipsa sensatio constituitur objective praesens sensui communi a quo proinde percipitur sub ratione sensationis tamquam sub sua ratione unica formali, sicut a quolibet sensu exteriori percipitur propria ratio, e. g. a visu percipitur ratio formalis colorati; unde idem organum sensus communis ratione sensationis perceptae ad

(1) Haec quaestio pertractatur in periodico *Revue Thomiste*, an. 1905, pp. 208 et seqq. Cf., etiam P. Hugon, *Psychol.*, p. 250.

objecta sensata seu sentita per varios sensus se habet sentienda et ea discernit; sicut oculus ratione coloris se extendit ad percipienda diversa corpora colorata. Haec explicatio complet illam quam tradidimus (n. 306) de sensu communi animalium agentes.

434. **Quaestio secunda circa sensus internos.** — Circa sensus internos, quos quatuor cum scholasticis recensuimus (n. 287), quaeritur an detur aliquis alius sensus internus, qui fundamentalis a quibusdam appellatur. Quidam recentiores cum Rosminio affirmative respondent. Hunc sensum fundamentalem dicunt esse animae facultatem interiorem, qua ipsa jugiter percipit proprium corpus, cui vi talis perceptionis unitur antecedenter ad quamcumque aliam sensationem respectu cujuscumque objecti sive exteriorem sive interiorem. Talem sensum dicunt fundamentalem quia putant esse fundamentum praerequisitum ad exercitium caeterorum sensuum, et subjectum cujusque alterius sensationis. Quidam addunt esse ipsum sensum communem scholasticorum.

435. **Conclusio.** — *Sensus fundamentalis prout a recentioribus cum Rosminio exponitur est omnino rejiciendus ut aburdus.*

Prob.: Sensus fundamentalis prout exponitur a recentioribus, duce Rosminio, importat 1.° unionem animae cum corpore vi perceptionis sensibilis, 2.° importat quamdam operationem, quae in ipsa anima sensitiva subjectatur. Atqui haec duo sunt omnino rejicienda ut absurda. Ergo sensus fundamentalis prout a recentioribus, duce Rosminio, exponitur est rejiciendus ut absurdus. — *Prob. minor*, quae quoad 1.^{m} partem constat ex dictis (361-366, VI), quoad 2.^{m} partem etiam constat ex dictis (n. 419) et ex cosmologia

(n. 310); adde quod, si anima sensitiva sola esset subjectum illius perceptionis, esset per se subsistens et immortalis etiam anima brutorum animantium (Cf., 320-323).

436. **Quaestio tertia.** — Quaeritur tertio an per sensum internum, quem conscientiam, sensum communem, sensum intimum appellavimus (n. 291), percipiamus solum affectiones sensuum vel etiam ipsum subjectum sentiens. Quidam cum Reid putant sensum illum interiorem non percipere subjectum sentiens.

437. **Conclusio.** — *Sensus internus, qui conscientia dicitur, simul cum affectionibus aliorum sensuum percipit concomitanter ipsum subjectum sentiens.*

Prob.: Homo, sicut etiam brutum animal, non solum percipit proprias affectiones et sensationes, sed etiam percipit *se* sentire per sensum interiorem, de quo loquimur. Atqui qui sentit se sentire non solum affectiones et sensationes percipit, sed etiam percipit seipsum, quod est subjectum sentiens, simul cum sensationibus. Ergo sensus interior praeter affectiones percipit etiam concomitanter ipsum subjectum sentiens.

Confirmatur: Homo et brutum animal sentit affectiones et sensationes ut suas; non posset autem sentire ut suas nisi sentiret per eumdem sensum interiorem ad se ipsum tales sensationes pertinere, neque posset percipere eas ad seipsum pertinere, nisi se ipsum perciperet.

438. **Corollaria.** — I. Animal sentit proprium corpus, non tamen antecedenter ad sensationem aliorum objectorum sed consequenter idest sentit objecta exteriora et ipsam sensationem et sensationem esse suam.

II. Ad sensationem habendam licet requiratur impressio seu actio sensibilis in sensum ex parte objecti

exterioris, tamen requiritur etiam actus quidam seu actio ex parte sentientis : nam sentire importat perceptionem, et ideo activitatem.

III. Sensatio est vera cognitio, nam nomine cognitionis intelligitur *actio qua vivens seipsum et ea quae in se sunt aliquo modo percipit.* Hoc corollarium est contra Rosminianos, qui sensationem esse cognitionem negant actioni intellectivae exclusive hoc nomen cognitionis reservantes : nos autem distinguimus cognitionem sensitivam et intellectivam. Sed differentia inter nos et Rosminianos fortasse est solum in nomine (1).

Caput XIII.

De imaginatione seu phantasia.

(S. Th., p. I, qu. LXXVIII, a. IV cum supra citatis comment. ; Liberatore, Lepidi, Zigliara, Lorenzelli, Mercier, Hugon, Willems, etc.).

439. **Natura, proprietates et officia imaginationis.** — Phantasiam sive imaginationem definivimus (I., n. 278) : *Animae nostrae facultas reproducendi in semetipsa sensibilitatis externae objecta seu species objectorum ipsis objectis absentibus.* Exactius tamen dici potest et definiri : *Facultas organica animalis qua species et qualitates objectorum sensibilium jam perceptorum interius modo habituali retinentur, actu repraesentantur ipsis objectis sive absentibus sive amplius non existentibus, et per quamdam synthesim uniuntur ad efformandas novas species quasi ex praecedentibus resultantes.* — Habitualis retentio et conservatio specierum jam per sensus perceptarum est

(1) Cf., Lepidi, *Cosm.*, l. I, sect. III, c. IV, § II nota.

fundamentum memoriae, de qua in sequentibus erit sermo. Actualis repraesentatio dicitur a recentioribus *imago,* a scholasticis vero dicebatur et etiam nunc a multis dicitur *phantasma.* Dicitur etiam simpliciter *repraesentatio* quasi iterata praesentatio, quia scilicet ipsa semper supponit *praesentationem* seu *perceptionem* objectorum habitam mediantibus sensibus exterioribus. Unde *repraesentatio, imago, phantasma* designat actum phantasiae. *Praesentatio* et *perceptio* apud recentiores praecipue designat actum sensuum externorum et sensus communis vel sensus muscularis. Unio seu associatio per synthesim et quaedam efformatio novarum specierum, quod est tertium officium phantasiae seu imaginationis, a multis recentioribus exclusive ipsi phantasiae seu imaginationi tribuitur: alia vero duo memoriae sensitivae tribuere malunt. Differentia tamen est in solo nomine, in re enim conveniunt cum antiquis.

440. **Quid est imago seu phantasma et quotuplex.** — Imago seu phantasma nihil aliud esse videtur quam quaedam dispositio substantiae nerveae habens ordinem effectus et relationem ad objectum sensibile perceptum inquantum perceptum per sensum. Unde imago seu phantasma est multiplex juxta multiplicitatem objecti jam percepti. Hinc habetur phantasma seu imago *coloris, sonus, saporis, odoris, motus sensationis muscularis, doloris* etc.; et generatim omnium objectorum tum propriorum, quam communium sensuum externorum, quae tamen non exhibentur nisi ratione objectorum propriorum (cf., vol. I., n. 441-267-165 et seqq.; et supra n. 432).

441. **Effectus phantasmatis seu imaginis existentis in phantasia.** — Effectus imaginis seu phantasmatis in corpore ipso animalis locum habet primo et per se, et mediante corpore animalis etiam in aliis

rebus locum habere potest. Praecipuus autem effectus est motus quidam, quatenus scilicet imago motus jam percepti et repraesentati excitat centra nervea et excitatio hujusmodi communicatur et propagatur a centris nerveis ad fibras motrices quae a centris originem ducunt et cum nervis et musculis intrinsecam habent relationem (cf., nn. 296-297); et ita membra animalis moventur et ipsum animal et motus etiam ad exteriora propagatur. Et non solum phantasma seu imago (1) est causa motus sed etiam aliorum phantasmatum seu aliarum imaginum.

442. **Associatio phantasmatum seu imaginum.** — Cum aliqua imago seu phantasma causat seu excitat alia phantasmata seu imagines habetur *associatio*. Associatio ergo phantasmatum originem habet a *suggestione*, quae nihil est aliud quam excitatio phantasmatis seu imaginis cui alia phantasmata associantur seu comitantur. (2).

443. **Ratio associationis imaginum seu phantasmatum.** — Triplex ratio associationis adsignatur a S. Thoma, videlicet: *Similitudo, contrarietas et propinquitas, sub qua continetur contiguitas* quae potest esse loci et temporis. « Quandoque, ait Angelicus, reminiscitur aliquis incipiens ab aliqua re cujus

(1) « Ogni rappresentazione d' una linea, d'una direzione, d' un contorno, d' una figura qualunque, ait Mercier (l. c., n. 101, seq.), trae seco una rappresentazione del movimento necessario per tracciare questa linea, questa figura, e conseguentemente provoca le stesse modificazioni muscolari. Tutto ciò che noi vediamo o ci rappresentiamo si projetta, a nostra insaputa nella nostra muscolazione. Questa può sembrare in riposo ma è ben lungi dall' essere inerte; migliaja di eccitazioni nervose mutano ad ogni istante la sua tonicità e il nostro corpo è in uno stato di vibrazione incessante come l' aria di una sala sotto le onde sonore di un' orchestra ».

(2) Cf. Lapponi: *Ipnotismo e spiritismo*, c. II, n. 17.

memoratur, a qua procedit ad aliam triplici ratione. Quandoque quidem ratione similitudinis, sicut quando aliquid aliquis memoratur de Socrate et per hoc occurrit ei Plato qui est similis ei in sapientia. Quandoque vero ratione *contrarietatis*, sicut si aliquis memoretur Hectoris, et per hoc occurrit ei Achilles. Quandoque vero ratione propinquitatis cujuscumque sicut cum aliquis memor est patris et per hoc occurrit ei filius. Et eadem ratio est de quacumque propinquitate vel societatis, vel loci, vel temporis » (1).

444. **Imaginationis compositio seu combinatio.** — Imaginatio non solum repraesentat et retinet imagines rerum sed etiam componit varias imagines simul ad efformandas novas imagines seu phantasmata complexa, ut ita dicam, sive ex propria vi et activitate, ut contingit in somniantibus et delirantibus, sive sub motione et directione mentis et rationis.

445. **Associatio imaginum ad locutionem.** — Ad loquendum seu ad proferendum exterius verbum requiritur : 1.° imago seu phantasma auditivum vocis prout vox est sonus quidam ; 2.° phantasma seu imago visiva vel muscularis motus tum labiorum, tum linguae etc. ; 3.° phantasma qualitatum sensibilium objecti per vocem exprimendi quod potest esse visivum, vel tactile, vel auditivum etc. prout refert qualitates visibiles vel tactiles etc. ; et potest esse etiam complexum seu compositum si qualitates diversorum sensuum referat ; 4.° requiritur idea ab-

(1) De memoria et reminiscentia lect. 5.ª — Si quis desiderat explicationem anatomicam et physiologicam circa rationes seu, uti ajunt recentiores, circa leges associationis phantasmatum consulat Mercier, l. c., nn. 106-107.

stracta objecti in quo sunt dictae qualitates sensibiles. — Haec enim omnia associationem quamdam important, ita ut excitatio unius provocet alias imagines seu phantasmata.

Caput XIV.

De vi aestimativa.

(C. autores cit. cap. praec.).

446. **Aestimativae natura et objectum.** — Aestimativa est facultas interior organica qua homo vel animal percipit intentiones individuales concretas et rerum materialium ad quas sensus externi se porrigere nequeunt, et quarum perceptio est vitae animali omnino necessaria, ut sunt ratio *utilitatis, necessitatis, nocumenti, convenientiae, amicitiae* etc. Hujusmodi intentiones dicuntur *insensatae* utpote non perceptae seu non sentitae per sensus externos, licet habitae ex objectis *sensatis* hoc est sentitis seu perceptis. Unde breviter aestimativa definiri potest: *Animae* seu *animalis organica facultas qua apprehenduntur insensata ex objectis sensatis.* Et quia sensus communis et phantasia objecta sensata hoc est objecta sensuum externorum respiciunt, ideo aestimativa supra hos duos sensus internos ponitur et uti nobilior utpote ad objecta abstractiora et nobiliora se se protendens, habetur, ultra tamen materialia et individua non se extendit.

447. **Aestimativa in brutis et in homine.** — Aestimativa, uti jam diximus (n. 289), est in brutis animantibus et prout est in eis dicitur *instinctus* (cf. n. 289). Prout est in homine, uti jam innuimus,

a scholasticis *cogitativa* et *ratio particularis* appellatur, quia cum sit sub ordinatione et directione rationis de ipsa ratione aliqualiter participat; unde dicitur esse etiam collativa intentionum individualium (1); appellatur quoque *intellectus passivus* a scholasticis. — Cave tamen ne eam confundas cum intellectu *possibili,* qui omnino spiritualis est et inorganicus et est propria facultas animae intellectivae

448. **Ordo quo objecta aestimativae aliis sensibus exhibentur.** — Objecta cum vita animalis relationem habentia *primo* exhibentur sensibus externis, *secundo* sensui communi qui ea distinguit, et *tertio* phantasiae, in quam ita imprimuntur ut haec facultas fiat apta ad ipsa objecta eo modo quo a sensibus externis exhibentur, repraesentanda, *quarto* data hac repraesentatione eadem objecta determinant aestimativam ad judicandum de eorum utilitate, vel necessitate, vel convenientia, vel disconvenientia, noxietate etc. ad vitam animalem.

449. **Aestimativa utitur aliis sensibus.** — *Aestimativa* ergo supponit exercitium sensuum externorum, sensus communis et phantasiae, imo his sensibus utitur ad invenienda et judicanda objecta quae vitae animali sunt convenientia aut noxia etc. Unde ea quae sensibus ab animalibus percipiuntur per aestimativam judicantur esse prosequenda vel fugienda. Ad quod instinctivum judicium sequitur vel ipsa prosecutio, quae fit per appetitum, vel evitatio,

450. **Cognitio aestimativae vis intra determinatos limites progressive perficitur.** — Sed cognitio vis aestimativae ab initio confusa et imperfecta inde in ipsa rei prosecutione pedetentim perficitur.

---

(1) Cf. S. Th. l. c.

Quod manifestum est praecipue in prosecutione ciborum : animal enim perfectius cognoscit cibi convenientiam postquam cibi bonitatem expertum est, imo ante experimentum etiam quaedam mutatio quandoque apparet in ipso. Sed haec perfectio cognitionis post experimentum praecipue habetur vi associationis phantasmatum per quorum praesentiam apparet ipsa convenientia vel disconvenientia objecti. Unde aestimativae cognitio est per acquisitionem, mediante scilicet instinctu seu propensione naturali et quodam experimento. Inde est quod instinctus seu vis aestimativa quamvis uniformitatem in suis actibus importet ita ut intelligentiam et rationem excludat omnino, tamen etiam in individuis ejusdem speciei aliqualem variabilitatem et diversitatem licet valde limitatam importat (1) ; sicut et quamdam plasticitatem in ipsa actione, quae (etsi limitatissime) interruptionem et quamdam modificationem compatiatur (2).

---

(1) L'instinct, ait Mercier, n'exclut pas une certaine variabilité, un certain degré de plasticité ; le loriot, par exemple, amploie dans la costruction de son nide de fils téssés par la main de l'homme ; or on peut indiquer la date où l'homme a commencé à tisser ; voilà donc un instinct evidemment *acquis*. Des perdrix du Canada, qui se couvrent ici d'un petit auvent, ont sous un ciel plus doux supprimé cet abri inutile (Fouillée, *Revue des Deux Mondes*, octobre 1886)... Un habile observateur, Forel, parvint par d'adroits procedé à amener des fourmis esclavagistes a soumettre à la domestication des espèces toutes différentes auxquelles elle ne s'adressaient jusque-là que pour leur faire une guerre sans merci ». (Cf. Maisonneuve, *Compte rendu du Congrès scientifique des catholiques 1891 section d'Anthropologie*, pp. 51 et suiv. » Haec Mercier, Psychol. Tome I, pag. 284-285, 8.ª ed.).

(2) L'araignée qui repare sa toile déchirée, l'insecte qui pare à un accident pervenu à la cellule qu'il construit, prouvent que les circonstances peuvent dans une certaine mesure

451. **Sententiae absurdae quibus aestimativae cognitio a quibusdam explicatur, excluduntur.** — Hac explicatione obvia et facili confirmata manet absurditas jam supra ostensa illarum sententiarum quibus cognitio *aestimativae vis* aut per intellectum explicatur (n. 284-285), aut per casum, et inde per habitum haereditarium, (cf. supra pag. 124-126), vel per mechanicismum sive per mechanismum quemdam (cf. supra n. 262, et n. 279-280) cum quo nullo modo variabilitas quae in instinctu seu in vi aestimativa brutorum animantium invenitur, compatibilis est; idem dicendum est de interruptione et reassumptione laboris, de restauratione effectus vel modificatione processus; quae omnia purae machinae repugnare evidentissimum est (1).

Caput XV.

De memoria.

(C. auctores cit. supra).

452. **Memoriae sensitivae explicatio seu determinatio.** — Supposita conservatione imaginum seu phantasmatum per phantasiam ad memoriam pertinet conservare intentiones varias objectorum jam per aestimativam perceptorum, eas reproducere, prae-

---

déterminer une interruption dans le travail commencé, fair intercaler dans une série d'actions en voie d'exécution une oeuvre devenue accidentellement nécessaire. Les changements apportés par le loriot à la construction de son nid, par la perdrix à son abri, par les fourmis à leurs habitudes de domestication, prouvent que l'instinct offre un certain degré de variabilité ou de plasticité » l. c. pp. 292.

(1) « Un jeu mecanique, ait Mercier, n'est susceptible ni de s'interrompre, ni de se completer, ni de se modifier » l. c.

cipue vi associationis et recognoscere talia objecta jam fuisse percepta.

453. **Convenientia memoriae sensitivae cum phantasia et differentia.** — Si memoria dicatur facultas conservativa et reproductiva imaginum seu phantasmatum a phantasia non distinguitur, sed est ipsa phantasia (cf. n. 437) quae tamen proprie non est memoria, sed est aliquid ad memoriam praesuppositum; si autem consideretur ut est facultas conservativa intentionum et recognoscendi objecta ut jam percepta, seu recognoscendi perceptionem jam tempore praeterito habitam objectorum, quae iterum per phantasiam repraesentantur, tunc ab ipsa phantasia distinguitur, et habetur formaliter ipsa memoria ut est facultas distincta tum a phantasia, tum ab aliis facultatibus. In homine ex parte memorativae potentiae habetur *reminiscentia* quatenus homo procedit quasi syllogistice inquirendo praeteritorum memoriam secundum individuales intentiones (1).

454. **Constitutivum et objectum memoriae.** — I. Memoria ergo si consideretur formaliter in suo constitutivo et distinctivo importat recognitionem objecti alias percepti, ut alias percepti; unde est vis revocativa imaginum, conservativa et revocativa intentionum et importat apprehensionem cognitionis jam habitae et objecti cogniti apprehensionem, quod haec perceptio est iterata perceptio; objecti conservatio ergo et repraesentatio imaginum objectorum est praerequisitum ad memoriam, sed ipsam memoriam formaliter non constituit.

II. Objectum ergo memoriae est quoddam factum quod transiit seu praeteriit, idest est objectum aliquod ut jam perceptum et ut tale jam praeteritum.

---

(1) Cf. S. Th. I, qu. LXXVIII a. V. c.

III. Ad objectum formale memoriae pertinet etiam tempus praeteritum, non enim est possibile percipere objectum ut jam perceptum et ut praeteritum, nisi percipiatur tempus praeteritum (1).

455. **Memoriae diminutio et augmentum.** — Memoria impeditur per hoc quod centra nervosa in quibus ipsa memoria residet, laeduntur; unde laesio centrorum in circumvolutione frontali causat surditatem *verbalem* qua memoria verborum amittitur, vel inducit *aphasiam, agraphiam* quibus homo impeditur quominus verbum quod in memoria habet scribat, vel impellitur ad scribendum oppositum illi quod intendit (2) etc. Memoriam posse augeri consentiunt philosophi et confirmat experientia. Medium autem eam augendi est exercitium; nam exercitio non solum vividior sed tenacior et generatim potentior evadit. E contra, si memoria non exerceatur ejus actio fit laboriosa, debilis, atque de die in diem difficilior.

456. **Memoriae facilitatio.** — Memoria, ait S. Thomas, habet plurimum artis et industriae. Et sunt quatuor quibus homo proficit in bene memorando: 1.° adsumendo aliquas similitudines inconsuetas, quia inconsueta magis miramur et sic in eis animus magis et vehementius detinetur; 2.° ea quae memoriter homo vult retinere ordinate sua consideratione disponendo, ut ex uno memorato ad aliud perveniat; 3.° sollicitudinem apponendo et affectum adhibendo ad ea quae vult memorari; quia quanto aliquid magis fuerit animo impressum, tanto minus elabitur; 4.° frequenter meditando quae volumus memorari; unde quae multoties intelligimus cito reminiscimur,

---

(1) Cf. S. Th. p. I, qu. LXXIX, a. VI, t. c. et ad 2^{m}.

(2) Cf. Hugon, l. c. pp. 248. Mercier, l. c. n. 118.

quasi naturali quodam ordine ab uno ad aliud procedentes (Cf. II-II, qu. 49, a. I, ad 2,[m]).

457. **Reminiscentia.** — Ad ea, quae homo apprehendit praecipue ordine quodam sive naturali sive artificiali, memoranda, juvat ipsum memoria prout importat *reminiscentiam* de qua aliquid innuimus supra (n. 425) et de qua haec scribit S. Thomas: « Reminiscentia nihil est aliud quam inquisitio alicujus quod memoria excidit (licet non plene). Et ideo reminiscendo *venamur* idest inquirimus id quod consequenter est ab aliquo priori, quod in memoria tenemus.... puta si quaerit memorari id quod fecit ante quatuor dies, meditatur sic: Hodie feci hoc, heri illud, tertia die aliud, et sic secundum consequentiam motuum assuetorum pervenit in id quod fecit quarta die » (1).

Caput XVI.

De ipsa sensatione.

(Cf. *Cosmol.* cap. XXXV, et S. Thom. in Comm. in III *De Anima* Aristotel. lect. 7 et 13; Joann. a S. Thom. qu. IV et VI, Pesch, *Psychol.*, t. II, disp. III, Mercier, *Psychol.*, l. c.; Fontaine, *La sensation et la Pensée*, Hugon, *psychologia* pp. 267 seqq. Farges, *L'objectivité de la perception*).

458. **Ratio capitis.** — De ipsa sensatione aliquid innuimus in Cosmologia; nunc autem praecipue ejus objectivitas consideratur: quippe objectivitas sensationis connexionem habet cum objectivitate cognitionis intellectivae ut ex dicendis patebit; hoc tamen non impedit quominus aliquid etiam subjec-

(1) De memoria et reminisc. lect. 5.

tive de eadem sensatione superaddamus, nam objectivitas ipsa in ipsa subjectivitate relucet.

459. **Aspectus subjectivus sensationis.** — Aspectus subjectivus sensationis *impressionem* quamdam importat in sensum, quae impressio multipliciter contingere potest et de facto contingit juxta varias circumstantias quibus sensus determinatur non quidem a seipso, cum secundum se indifferentiam importet (I, n. 274), sed a rebus extrinsecis. Recepta autem impressio ad centra nervea quae sunt in cerebro mediante nervo transmittitur; cerebrum excitatur, et inde contingit ipsa perceptio quae actionem vitalem importat terminatam ad aliquid perceptum.

460. **Quaestiones.** — Hinc quaeri potest 1.° an *impressio*, quae in sensatione importatur tanquam affectio praesupponat aliquid objectivum seu aliquam causam exteriorem distinctam a sensu qui ab eadem afficiatur; 2.° an impressio illa actioni seu causae proportionetur in sua intensitate; 3.° an illud ad quod terminatur perceptio sit aliquid objectivum vel subjectivum tantum; 4.° an dentur sensationes inconsciae.

461. **Conclusio I.** — *Impressio quae in sensatione importatur tanquam affectio sensuum praesupponit aliquid objectivum a quo sit veluti a causa sensui extrinseca.* — Haec conclusio est contra subjectivistas et scepticos qui aut negant aut in dubium vertunt corporum et rerum objectivitatem (I, 272 seqq.).

Prob. conclusio: 1.° ex ipsa experientia a qua docemur invicte objecta exteriora seu corpora agere in sensus, eos afficere sive blande, sive acute, sive violenter, ita scilicet ut eos quandoque laedant vel etiam destruant, ut patet de luce respectu visus, de sonu respectu auditus, de calore respectu tactus etc.

2.° ex natura ipsorum organorum sensuum quae essentialiter ordinata apparent manifeste ad recipiendas impressiones ipsorum sensibilium, et quidem diversas juxta diversam naturam sensuum seu ipsorum organorum et ipsorum sensibilium, 3.° ex eo quod si negetur impressiones sensuum seu varias affectiones ipsorum derivari a causa extrinseca objectiva vere et proprie habetur absurditas subjectivismi.

462. **Conclusio II.** — *Sensatio ut est perceptio vel cognitio ad aliquid objectivum terminatur.*

Prob. 1.° Illud ad quod terminatur sensatio ut est perceptio, est illud ipsum quod praesupponitur exterius a sensatione ut est impressio quatenus a subjecto sentiente distinctum, vel etiam quatenus importat ipsum subjectum sentiens tamen ut sensui objectum ipsumque afficiens. Atqui illud quod praesupponitur a sensatione a subjecto sentiente distinctum, et ipsum subjectum sentiens quatenus objicitur sensui idest facultati sentienti eam afficiendo est aliquid objectivum. Ergo sensatio ut est perceptio vel cognitio ad aliquid objectivum terminatur.

2.° In omni cognitione tria essentialiter sunt idest ipsum subjectum cognoscens, ipsum objectum cognitum et actio perceptiva sive cognoscitiva medians inter illa duo quorum primum est principium actionis, secundum autem habet rationem termini. Ergo perceptio seu cognitio sensitiva terminatur seu respicit aliquid objectivum.

463. **Objectio.** — Perceptio seu cognitio objecti fit per speciem sensibilem quae est in sensu. Ergo ad ipsam terminatur; sed species sensibilis quae est in sensu est aliquid subjectivum. Ergo terminus perceptionis sensitivae est aliquid subjectivum.

Resp.: Nego primam *illationem* quae non sequitur ex antecedente; imo sequitur oppositum: nam ex

hoc ipso quod species sensibilis est medium cognitionis sensitivae sequitur evidenter *cognitionem* ad aliud veluti ad terminum tendere, quod quidem non est nisi ipsum objectum. — Adde quod officium speciei sensibilis est determinare, complere in ratione principii et causae ipsam facultatem sensitivam quae ex se se est indeterminata ad hoc vel illud (cf. I, 312 seqq.), est dirigere actionem seu cognitionem in ordine ad objectum hoc vel illud; et ideo non se habet per modum termini circa ipsam actionem seu perceptionem sed per modum determinantis, actuantis, complentis ipsam facultatem in ratione principii: unde efficienter, licet partialiter, se habet ad ipsam actionem seu cognitionem sensitivam et ideo per modum principii; non ergo per modum termini et objecti. (Cf. I, 312 seqq).

464. **Mensura sensationum.** — In sensatione potest considerari intensitas et tempus requisitum inter actionem causae externae influentis in organa sensoria peripherica et ipsam sensationem. — Intensitatis mensura accipitur vel a causa vel ab effectu. Si mensura accipiatur a causa excitante juxta quosdam scientiae Pychologicae-physiologicae cultores ad augmentum causae excitantis haec proportio habetur:

1[100 pro sensationibus visus.

1[17 pro sensationibus muscularibus.

1[3 pro sensationibus auditus.

Intensitas sensationis mensuratur etiam ex deviactione quae ex ipsa sensatione inducitur in indice cujusdam instrumenti ad hoc parati quod dicitur *dynamometrum*, vel etiam ex majori vel minori volumine in corpore sentiente ex eadem sensatione seu excitatione inducto et mensurato ab instrumento *plethysmographo*. — Sed hujusmodi resultatus con-

stantes esse difficile concipiuntur, quippe intensitas sensationis non solum ex causa attendi debet, sed vel maxime ex dispositione subjecti seu substantiae nerveae, quae summopere varia est.

Tempus autem requisitum inter actionem causae excitantis et ipsam sensationem est illud ipsum quod requiritur ad hoc ut actio praedicta et impressio recepta in sensu percurrat substantiam nerveam usque ad centra sensitiva cerebralia. Sequens autem tempus statuitur:

Pro sensationibus tactus 1|7 secundi vel 106|100;

Pro sensationibus visus 1|5 vel 25|100 secundi;

Pro sensationibus auditus 1|6 vel 15,9|100 secundi. — Si plura cupis cf. Mercier l. c. pagg. 184 seqq.: G. Sergio, *La Psicologia fisiologica* l. III, c. IV.

465. **Sensationes inconsciae.** — Quaerunt philosophi recentiores an dentur sensationes inconsciae; at non omnes conveniunt in hac dirimenda quaestione. Subjectivistis placet responsio negativa, quippe terminus cujuslibet sensationis juxta ipsos est exclusive subjectum sentiens. Inter eos qui negative respondent recensentur etiam Stuart Mill, Cousin etc. At juxta principia posita non est difficilis quaestionis solutio, dummodo distinguatur ipsa sensatio in se idest in sua essentia secundum suas varias species ab iis quae ipsam sensationem comitantur. Unde alia est sensatio visus, alia auditus etc. alia sensatio sensus communis et generatim sensatio sensuum externorum inter se se et comparata ad sensationes sensuum internorum. Ex quo sequitur quod sensatio quae est visio ex hoc ipso quod distinguitur essentialiter a sensatione sensus communis, secundum se accepta est sensatio inconscia, non enim visus percipit actum suum; idem dicen-

dum est de sensatione omnium sensuum externorum. Difficultas ergo in hoc tota reperitur; an actus seu sensatio sensus communis actus seu sensationes aliorum sensuum semper comitetur, ita scilicet quod si semper ex necessitate comitetur tunc *non dantur* de facto sensationes inconsciae, si autem non semper eas comitetur, tunc *dantur*. Quaestio autem sic proposita respicit factum sensibile, quod est ipsa sensatio et ideo non potest resolvi nisi per experientiam, hoc est vel quatenus ipsa conscientia actualis testatur adesse hic et nunc sensationem inconsciam, vel quatenus testatur eam fuisse tempore praeterito. Haec autem testificatio est omnino impossibilis; nam testificatio conscientiae respectu sensationis sive praesentis sive praeteritae importat sensationem consciam (cf. n. 291) (1). Unde solutio hujus quaestionis sic propositae nobis est impossibilis. — Neque facta sunnambulismi aliquid probant, cum oblivio factorum non sit iudicium certum ea sine conscientia fuisse patrata. Unde contingit quandoque quod hypnotizatus licet ea non recordetur existens in statu normali vigilans, recordatur in somnio hypnotico si iterum hypnotizetur (cf. Coconnier, Hypnotisme Franc. c, I, III, pp. 120-124) quod non esset si inconscius ea facta perpetrasset. (cf. supra n. 454) (2).

(1) Mercier l. c. De memoria.

(2) Consuli potest in hac re Hugon l. c. pp. 277.

Caput XVII.

De appetitu sensitivo.

(S. Th., p. I. qu. LXXX et in III de Anima; Zigliara, *Psych.*, l. V. c. l. Schiffini Liberatore, *psychol.* l. c.; Lepidi, *Cosmol.* l. c.; Mercier, l. c., P. II; sez. II, n. 122, et seq.; Pesch. disp. III sect. IV; Ribot, *Le maladies de la volonté* etc., Vallet, *La tête et le cour).*

466. Appetitus in genere ejusque divisio. — *Appetitus* nomine nihil aliud intelligitur in philosophia scholastica quam *inclinatio rei in id quod est ipsi rei conveniens,* seu *inclinatio in bonum* (I, 487 seqq). Inclinatio autem in bonum sequitur naturam seu formam rei quae in bonum tendit. Forma autem rei vel est *naturalis* et habetur appetitus naturalis qui ipsi formae quam sequitur proportionatur; vel est forma naturae superaddita exprimens seu repraesentans aliquid a natura distinctum et habetur forma cognoscitiva, seu forma qua res est aliud ab ipsa intentionaliter (cf. n. 312 seqq). Ad hanc formam sequitur appetitus elicitus, qui fundatur super facultate appetitiva et ab ipsa procedit; sicut enim actus cognoscitivus seu cognitio supponit facultatem *cognoscitivam a* qua procedit, ita actus appetitus seu appetitio *appetitivam.* Et quia forma superaddita formae naturali potest esse vel sensitiva vel intellectiva, ideo etiam appetitus vel est *sensitivus* vel *intellectivus.* Hinc triplex appetitus: *Naturalis* qui est *innatus, sensitivus,* et *intellectivus,* uterque elicitus (1). In praesenti exclusive agimus de appetitu sensitivo utpote sequente apprehensionem sensitivam de qua hucusque egimus.

(1) Cf. S. Thomam P. I, qu. XIX, a. I, et qu. LXXX, a. I.

467. **Quid intelligatur nomine appetitus sensitivi.** — Nomine appetitus sensitivi intelligitur *facultas seu potentia, qua res aliqua inclinatur in bonum sensibile secundum quod per sensum apprehendi potest.* Hujus facultatis actus, qui est actualis inclinatio in bonum sensibile per sensus apprehensum, dicitur appetitio. Haec potentia seu facultas est organica, nam consequitur facultatem organicam cognoscitivam, ab ipsa movetur et in bonum particulare et sensibile tendit sicut ipsa; et cum sit vero facultas vitalis utpote sequens facultatem vitalem cognoscitivam et proveniens ab ipsa anima a viribus chymicis, aut physicis non resultat (cf. n. 262).

468. **Conclusio.** — *In animali et signanter in homine existit facultas appetitiva.*

Prob. 1.° *ex facto:* Existit in homine, et in quolibet animali appetitio sensibilis in bonum sensibile per sensum apprehensum, in homine autem praevenit saepe apprehensionem rationis. Atqui appetitio est actus appetitivae facultatis, ut ex dictis patet. Ergo existit in animali et praecipue in homine facultas appetiva, seu appetitus sensitivus.

2.° In qualibet re est naturalis inclinatio, seu appetitus naturalis conséquens formam ejus. Atqui in animali, et praecipue in homine praeter formam naturalem, sunt aliae formae advenientes, quae sunt similitudines eorum, quae per sensus cognoscuntur idest sensibilium. Ergo praeter inclinationem naturalem, quae formam naturalem animalis, vel hominis consequitur, admittendae sunt aliae peculiares inclinationes seu appetitiones, quae sunt actus aljcuius facultatis, quae apte dicitur appetitus sensitivus (1).

---

(1) Cf. S. Th. P. I, qu. LXXX, a. I, c.

469. **Facultatis cognoscitivae et appetitivae differentia.** — Omnis facultas est inclinatio quaedam in proprium objectum ut est perfectivum; tamen aliter tendit in objectum facultas cognoscitiva et aliter facultas appetitiva, nam facultas cognoscitiva tendit in proprium objectum ut est directe perfectivum sui; facultas vero appetitiva, ut est directe perfectivum totius, idest animalis. Insuper facultas cognoscitiva fertur in objectum apprehendendo ipsum, unde ejus actus est apprehensio; e contra appetitus sensitivus fertur in objectum jam per cognitionem sensitivam apprehensum. Alia differentia inter inclinationem facultatis cognoscitivae et appetitivae reperitur in eo quod facultatis cognoscitivae inclinatio completur per hoc, quod objectum ejus complet ipsam per praesentiam suae similitudinis in ipsa facultate; facultatis autem appetitivae inclinatio completur per hoc quod objectum in sua reali et physica natura fit ei praesens. Unde dicitur quod facultas cognoscitiva, et ideo anima cognoscendo trahit ad se objecta; facultas appetitiva trahitur ab objectis. Ideo ipsa appetitio, quae est amor, pondus vocatur (1).

470. **Appetitus respicit bonum vel malum.** — Appetitus respicit bonum apprehensum, et appetitus sensitivus respicit bonum apprehensum per cognitionem sensuum. Sed praeter bonum appetitus respicit etiam malum, contraria tamen ratione, nam respicit bonum prosequendo ipsum seu tendendo in illud, respicit autem malum per hoc quod avertitur vel fugit ab ipso.

471. **Appetitus concupiscibilis et irascibilis.** — Appetitus sensitivus dividitur in concupiscibilem et irascibilem. Appetitus dicitur concupiscibilis, qua-

(1) Cf. S. Th., I-II; qu. XXII, a. II, c.

tenus respicit objectum bonum vel malum simpliciter ut cônveniens aut disconveniens appetenti; dicitur irascibilis, quatenus respicit objectum bonum aut malum sub ratione ardui (1).

472. **Corollarium.** — Irascibilis appetitus est propter concupiscibilem, ad hoc enim ordinatur ut auferantur impedimenta, et ideo ad propulsanda et removenda obstacula seu mala, quibus concupiscibilis impeditur a consecutione vel possessione proprii objecti; unde actus irascibilis ad concupiscibilis actum terminatur (2). Concupiscibilis appetitus nobilior est quam irascibilis, quippe habet respectu illius rationem finis et ad nobilius objectum ordinatur.

473. **Omnes actus appetitus ab amore procedunt.** — Si bonum consideretur sub communi ratione boni ei correspondet actus appetitus, qui dicitur *amor*, qui est primus actus facultatis appetitivae et origo omnium aliorum actuum et ab omnibus praesuppositus; ratio est quia alii actus respiciunt *bonum* sub determinata ratione; unde sicut bonum sub determinata ratione praesupponit *bonum* absolute et simpliciter sumptum, ita etiam omnes actus, qui bonum sub determinatā ratione respiciunt, praesupponunt *amorem* (3).

474. **Passionis notio.** — Nomine passionis, variis significationibus quibus sumi solet passio (4) sepositis, in praesenti intelligitur *motus appetitus sensitivi ad quem sequitur aliqua transmutatio corporalis;* unde passiones dicuntur etiam *perturbationes*

(1) Cf. S. Th., I-II; qu. XXIII, a. II, c.
(2) Cf. S. Th., *De Verit*, qu. XXV, a. II, c.
(3) Cf. S. Th., I-II; qu. XXV, a. I.
(4) Cf. S. Th., qu. 79 a. II.

vel *affectiones* (1). Definiri autem potest passio : *Actus appetiti sensitivi ex apprehensione boni vel mali sensitiva cum aliqua transmutatione corporali.* Unde *passio* primo et per se est in anima, secundo est in corpore; idest quoad suum formale considerata est in anima, quoad suum materiale in corpore. Mutatio autem in corpore praecipue contingit circa systema nerveum et ideo primo circa cerebrum in quo sunt centra nervea, et circa cor (2).

475. **Passiones sunt in appetitu sensitivo.** — Igitur passiones non in appetitu intellectivo sunt sed in *sensitivo,* quia facultas ipsa appetitiva est quae trahitur ad *objecta* per impressiones quae ab objectis ipsis exterioribus mediante apprehensione sensitiva recipit, quae impressiones sunt quaedam affectiones mutationem in organismo sensus hoc est in corpore importantes, quae affectiones, ut dictum est, (n. praec.) vocantur passiones et ideo in appetitu sensitivo proprie dicuntur esse passiones. (Cf. S. Th. l. c.).

476. **Contrarietas passionum.** — In passionibus contrarietas attenditur et quidem duplex ; una est secundum contrarietatem objectorum, scilicet *boni* et *mali ; alia* vero secundum accessum et recessum ab eodem termino puta a *bono* vel a *malo.* Unde passiones quae respiciunt bonum passionibus quae respiciunt malum contrariantur ratione objecti ; et passiones quae important accessum ad bonum con-

---

(1) S. Augustinus ait : « Motus animi, quos Graeci *παθη*, nostri autem, sicut Cicero, *perturbationes,* quidam affectiones vel affectus, quidam vero, sicut iste (*Apuleius*), de Graeco expressius *passiones* vocant ». (L. IX *De Civitate Dei* Cap. IV. Cf. S. Thom. I-II, qu. XXII. a. II et III.

(2) Cf. S. Th. I-II, qu. XXII. a. II ad III. ad I^m.

trariantur passionibus quae important ab eodem bono recessum, et similiter illae quae important accessum ad malum iis quae important recessum ab eo (1).

477. **Corollaria.** — I. In passionibus concupiscibilis invenitur tantum contrarietas ratione objecti, ratio est quia objectum concupiscibilis est *bonum* vel *malum* absolute. A bono autem inquantum bono non potest esse recessus sed solum accessus, quia nihil refugit bonum inquantum bonum et ad malum non potest esse accessus inquantum malum sed solum recessus ab eo (2).

II. In passionibus irascibilis habetur utraque contrarietas, idest ratione objecti *boni* scilicet et *mali*, et secundum *accessum* et *recessum;* ratio est quia objectum irascibilis non est bonum et malum absolute consideratum, sed bonum et malum sub ratione ardui vel difficilis ; et ideo irascibilis per *spem* tendit in bonum inquantum est bonum, et recedit a bono inquantum est arduum per *desperationem,* quae spei contrariatur ; et similiter *irascibilis* per *timorem* recedit a malo arduo ut vitetur, et per *audaciam* tendit in ipsum, ad ipsum evadendum et superandum. — Igitur *amori* opponitur *odium* — *desiderio* opponitur *fuga* — *gaudio* seu *delectationi* opponitur *tristitia* etc. —

Passiones in concupiscibili existentes oppositae solum ratione objecti sunt :

Amor	Odium
Cui correspondet bonum simpliciter sumptum, et est propensio in bonum simpliciter sumptum ut est conveniens.	*Cui correspondet malum, et est aversio a malo simpliciter ut disconvenienti.*

(1) Cf. S. Th., I-II ; qu. XXIII, a. II.
(2) *Ibid.*

DESIDERIUM	FUGA
Idest inclinatio in bonum absens.	*Idest recessus a malo apprehenso ut possibiliter futuro.*
GAUDIUM	TRISTITIA
Seu delectatio, idest quies in bono possesso.	*Idest inquietudo et languor animi ex praesentia mali.*

Passiones in irascibili existentes ordinatae secundum contrarietatem accessus et recessus sunt :

SPES	DESPERATIO
Idest motus in bonum arduum tamen possibile adeptu.	*Idest motus a bono arduo impossibili adeptu.*
AUDACIA	TIMOR
Idest motus animi ad terribile malum avertendum.	*Idest animi dejectio ob malum apprehensum ut terribile et vix evitabile.*
IRA	*Contrarium non habet quia causatur ex malo difficili jam injacente ; unde oportet vel ut appetitus succumbat et sic habetur tristitia, quae est in concupiscibili, aut habeat motum ad invadendum malum lacsivum, quod pertinet ad iram* (1).
Idest appetitus vindictae contra causam quae malum intulit.	

478. **Numerus passionum.** — Omnes passiones specie differentes sunt undecim, sex in concupiscibili et quinque in irascibili. In concupiscibili sunt sequentes : *amor et odium ; desiderium et fuga ; gaudium et tristitia.* Nam bonum simpliciter consideratum prout est objectum concupiscibilis causat amorem cui per contrarium respondet odium ex parte mali ; si bonum non est habitum causat *desiderium,* cui ex opposito ex parte mali correspondet *fuga ;* si

(1) Cf. S. Th,, l. c. a., III, c. ; et qu. XLVI, a. I. ad 2^{m}.

autem bonum est praesens, idest adeptum, causat *delectationem* vel *gaudium,* cui ex opposito respondet *tristitia* ex parte mali — In *irascibili* autem sunt *spes* et *desperatio, audacia et timor, ira ;* nam respectu boni ardui est spes per accessum vel desperatio per recessum, et respectu mali nondum injacentis est *audacia* vel *timor,* respectu autem mali injacentis est *ira* (1).

479. **Passiones juxta philosophos recentiores.** — Plures recentiores passiones in classes distribuere tentaverunt, quos inter recensetur Cartesius et Hume : nulla tamen classificatio illi quae a S. Thoma traditur comparari potest. Celebris tamen est Humii classificatio qui ita dividit : « Passiones et emotiones sunt aut directae aut indirectae. *Hae* complectuntur superbiam, humilitatem, ambitionem, vanitatem, amorem, odium, invidiam, compassionem, malitiam, generositatem et ad haec pertinentes. *Primae* autem sunt : desiderium, aversio, anhelitus (l'affanno), laetitia, gaudium (la gioia), spes, timor, desperatio et securitas » (2).

480. **Principaliores passiones recensentur.** — Inter has passiones quatuor communiter esse principales dicuntur, videlicet *gaudium* et *tristitia, timor* et *spes.* Primae duae, videlicet *gaudium* et *tristitia* principales dicuntur, quia sunt completivae et finales simpliciter respectu omnium passionum ; unde ad omnes passiones simul et in eadem linea sumptas consequuntur. *Timor* autem et *spes* sunt principales, non quidem quasi completivae simpliciter, sed quia sunt com-

(1) Ib. a., IV. — Cf. Bousset : *Connaissance de Dieu et de soi-même, c.* I, n. 6.

(2) De passionibus plura habet Per. Div. Th. a XXIII (1902), pag. 477 et seq. et a. XXIV (1903), pag. 405 et seq. ; Cf. Mercier, l. c. n. 125-128.

pletivae in genere *motus* appetitivi ad aliquid ; non enim simul cum eis habetur terminus motus e. g. consecutio boni, nam respectu boni incipit *motus* in *amore,* et procedit in *desiderium,* et terminatur in *spe,* quae non importat boni consecutionem, sed *motum* in bonum consequibile ; respectu vero mali incipit in *odio* et procedit ad *fugam* et terminatur in *timore* (1).

Caput XVIII.

De passionibus in specie.

(S. Th., I-II, qu. XXVI-XLVI
cum comm. Cajetani, Javello, Joann. a S. Thoma etc. ; Zigliara, l. .).

481. **Ratio capitis.** — Nunc aliquid delibandum est de passionibus in specie : et merito dicimus delibandum quia multa dici possunt de passionibus in specie (de quibus diffusissime agit S. Thomas, l. c.) ; nos autem nonnisi quaedam brevissime attingemus juxta exigentiam nostri Compendii. Brevissime ergo quam fieri possit philosophice expendemus omnes et singulas passiones recensitas.

482. **Amor.** — Amor generice loquendo dici potest motus appetitus in bonum apprehensum ; prout est passio est in concupiscibili ; est enim actus appetitus concupiscibilis sequens apprehensionem sensus ; dicitur autem per respectum ad bonum a quo immutatur appetitus, in quo causatur complacentia, et habetur motus in appetibile idest in ipsum bonum (2).

---

(1) Cf. S. Th., I-II ; qu. XXV, a. IV, c.
(2) Cf. S. Th., I-II, qu. XXVI, a. I et 2.

483. **Amor, dilectio, charitas, amor amicitiae, amor concupiscentiae.** — *Amor* commune nomen est, et significat tum actum voluntatis quam actum appetitus sensitivi, idest concupiscibilis. Prout designat actum voluntatis non est proprie passio, nisi late accipiatur passio. — *Dilectio* est actus voluntatis, qui supra amorem addit electionem praecedentem. — *Charitas* etiam in sola voluntate est, et addit supra amorem quamdam perfectionem amoris, inquantum id quod amatur magni pretii aestimatur. Cum res amatur simpliciter et per se habetur *amor amitiae;* cum autem res non per se sed alteri amatur, habetur *amor concupiscentiae* (1).

484. **Recensentur causae amoris.** — Causae amoris tres enumerantur praecipuae, idest *bonum, cognitio, similitudo.* Quae tamen aliquo modo fere semper sunt simul; nam bonum non movet appetitum nisi per aliquam cognitionem appetentis sit apprehensum ut appetenti conveniens, cum quo proinde convenit saltem in potentia in eadem forma quae est principium unitatis et similitudinis (2).

485. **Effectus amoris.** — Effectus amoris sex enumerantur: *Primus* est *unio* inter amantem et objectum amatum, quae est vel affectiva tantum vel etiam effectiva. *Secundus* est *mutua inhaesio,* quae potest esse in vi apprehensiva per cognitionem et in vi appetitiva per affectum. *Tertius* effectus est *extasis* qua aliquis extra se ponitur per contemplationem intensam objecti amati vel etiam per intensum affectum ejusdem. *Quartus* effectus amoris est *zelus,* qui est conatus quo quis quaerit excludere id quod bono amato repugnare videtur. *Quintus* effectus est per se loquendo

(1) Ib. q. III et IV.
(2) Ib. qu. XXVII.

perfectio amantis quae resultat ex unione cum bono amato convenienti; per accidens autem est *laesio* ejusdem amantis inquantum amans unitur ut bono amato ei quod non est sibi conveniens; vel quia ex passione vehementi amoris excessive immutatur corpus. *Sextus* effectus amoris dici potest quidquid amans agit, nam omne agens agit propter finem. Insuper omnes passiones ex amore causantur idest *desiderium, tristitia, delectatio* (cf. n. 474) etc.; unde actio ex quacumque passione procedat ex amore procedit (1).

486. **Odium.** — Cum odium contrarietur amori, sicut amor in appetitu animali seu intellectivo est consonantia quaedam appetitus ad id quod apprehenditur ut conveniens, ita odium est dissonantia quaedam appetitus ad id quod apprehenditur ut repugnans et nocivum (2).

487. **Objectum odii.** — Ex hoc sequitur quod sicut bonum est objectum amoris ita malum est objectum odii; nam sicut omne conveniens (quod est objectum amoris) habet rationem boni, ita omne repugnans inquantum hujusmodi habet rationem mali (3).

488. **Odium amorem supponit et ex amore causatur.** — Nam prius est objectum amoris quod est bonum alicui conveniens et in quod fertur voluntas, et inde consideratur malum oppositum quod bono repugnat, et a quo voluntas avertitur per odium, ne bono in quod per amorem fertur, privetur.

489. **Desiderium et fuga.** — Desiderium est inclinatio in bonum absens quod desiderans obtinere et possidere cupit. Desiderium amorem supponit ipsumque includit et quasi ab eo derivatur. Sicut au-

(1) S. Th., l. c., qu. XXVIII.
(2) S. Th., l. c., qu. XXIX, a. I c.
(3) S. Th., ib.

tem ab amore boni absentis sequitur desiderium, ita ab odio mali proximi sequitur fuga, quae est recessus a malo apprehenso ut possibiliter futuro.

490. **Gaudium seu delectatio.** — Diximus gaudium seu delectationem esse quietem in bono possesso; tamen gaudium et delectatio aliqualiter differunt, nam delectamur et in his quae naturaliter concupiscimus ea adipiscentes et in his quae concupiscimus secundum rationem. Sed nomen gaudii non habet locum nisi in delectatione quae consequitur rationem. Unde gaudium non attribuimus brutis animantibus sed solum nomen delectationis. Tamen gaudium in habentibus rationem potest esse de omnibus de quibus est delectatio, quia ea quae concupiscimus secundum naturam, possumus etiam cum directione rationis concupiscere. Non tamen de facto semper de omnibus, de quibus est delectatio est gaudium, nam ratio quandoque delectationi naturae reluctatur (1). « Ad delectationem autem, ait Angelicus, tria requiruntur, scilicet, *bonum delectans, conjunctio delectabilis* et tertium quod est *cognitio* hujus *conjunctionis* » (2).

491. **Causae et effectus gaudii seu delectationis.** — Causae delectationis octo recensentur, videlicet: operatio, motus, spes et memoria (tristitia e. g. inquantum facit memoriam rei dilectae), actiones aliorum, benefacere aliis, similitudo, admiratio. Effectus autem sunt dilatare, causare sui sitim vel desiderium, impedire usum rationis, perficere operationem. Haec omnia diffuse et preclarissime exponit S. Thomas (3).

---

(1) S. Th., l. c., qu. XXXI, a. III c.
(2) l. c., qu. XXXII, a. II c.
(3) I-II, qu. XXXII et XXXIII.

492. **Tristitia.** — Diximus quod *tristitia* est inquietudo et languor animi ex praesentia mali ; unde ad tristitiam requiritur praesentia mali sicut et ad dolorem ; ratio est quia tristitia seu dolor opponitur delectationi, ad quam requiritur praesentia boni, quod malo opponitur. Unde tum delectatio, quam tristitia sunt in appetitu cujus objectum est bonum et malum.

493. **Tristitia et dolor non sunt omnino idem.** — Nam *dolor* potest causari tum ex apprehensione exterioris sensus vel ex apprehensione interiori sive intellectus sive imaginationis. Sed *tristitia* dicitur solum ille dolor qui ex apprehensione interiori causatur. Unde delectatio quodammodo se habet ad gaudium sicut dolor ad tristitiam : et ideo omnis tristitia dici potest dolor, sed non omnis dolor dicitur tristitia (1).

494. **Spes.** — *Spes* est prima inter passiones irascibilis : est autem *inclinatio in bonum futurum ut arduum cum difficultate adipiscibile.* Per hoc quod dicitur esse de *bono* distinguitur a *timore,* quod est de malo; additur futurum ut distinguatur a *gaudio* vel *delectatione,* quae est de praesenti bono ut aliqualiter possesso. Ultima verba *ut arduum cum difficultate adipiscibile* distinguunt ipsam *a desiderio* vel *cupiditate,* quae est in concupiscibili et respicit bonum futurum absolute ; insuper *adipiscibile* distinguit ipsam a *desperatione.*

495. **Desperatio.** — Desperatio spei opponitur inquantum importat recessum a bono, ad quod spes importat accessum, nam objectum spei, quod est bonum arduum, habet rationem attractivi, utpote possibile adeptu ; e contra objectum desperationis habet

(1) I-II, qu. XXXV, a. II c.

rationem repulsivi inquantum importat impossibilitatem obtinendi ipsum (1).

496. **Timor.** — Timor est passio animae respiciens tamquam suum proprium objectum malum futurum difficile cui resisti non potest (2). Sex species timoris recensentur: tres ex labore gravante naturam procedunt, idest: *Segnities,* cum aliquis refugit operari propter timorem excedentis laboris; *erubescentia,* quae respicit turpitudinem actus committendi; *verecundia,* quae respicit actum turpem jam factum. Et aliae tres ex rebus excedentibus hominis facultatem ad resistendum, et sic 1.° ratione magnitudinis habetur *admiratio,* cum scilicet aliquis considerat aliquid magnum cujus exitum considerare non sufficit; 2.° ratione dissuetudinis, quia scilicet aliquod malum inconsuetum nostrae considerationi offertur, et sic est magnum nostra reputatione, et hoc modo est *stupor,* qui causatur ex insolita imaginatione; 3° ratione improvisionis, quia scilicet provideri non potest, sicut futura infortunia timentur, et talis timor dicitur *agonia* (3).

497. **Objectum timoris.** — Ex quibus patet proprium objectum timoris primo et per se esse *malum,* sed potest esse etiam *bonum* secundum quod habet habitudinem ad malum, et hoc dupliciter: vel inquantum est privativum boni, vel quia est causa mali inducendo scilicet aliquod nocumentum; et sic Deus timetur inquantum potest infligere poenam (4).

498. **Audacia.** — Audacia, uti diximus (n. 478, II), est metus animi ad terribile malum avertendum; et hoc est inquantum aggreditur periculum imminens

(1) I-II, qu. XL, a. IV, c.
(2) l. c., qu. XLI, a. II.
(3) I-II, qu. XLI, a. IV.
(4) Ibid., qu. XLII, a. I

propter victoriam sui supra periculum. Et per hoc patet audaciam contrariari timori qui refugit nocumentum futurum propter ejus victoriam super ipsum timentem (1).

499. **Audacia sequitur ad spem, desperatio ad timorem.** — Nam ex hoc quod aliquis sperat superare terribile imminens, audacter insequitur ipsum, et similiter aliquis desperat quia timet difficultatem quae est circa bonum sperandum.

500. **Ira.** — Ira est appetitus vindictae contra causam quae malum intulit; causatur autem ex concursu multarum causarum, idest; ex amore, ex quo sunt omnes passiones (cf. n. 474), ex tristitia, ex desiderio et ex spe; ratio est quia motus irae non insurgit nisi propter aliquam tristitiam illatam et nisi adsit desiderium et spes ulciscendi.

501. **Objectum irae.** — Objectum irae est bonum et malum: quicumque enim irascitur quaerit vindicari de aliquo. Et sic motus irae tendit in duo: scilicet in ipsam vindictam quam appetit et sperat sicut quoddam bonum, unde et de ipsa delectatur; tendit etiam in illum de quo quaerit vindictam sicut in contrarium et nocivum quod pertinet ad rationem mali.

502. **Corollarium.** — Ex hoc quod ira habet bonum et malum pro objecto, et quod causatur ex contrariis passionibus, scilicet a spe, quae est boni et a tristitia (cf. n. 494 et seq.), quae est mali, includit in seipsa contrarietatem inquantum quodammodo est composita ex contrariis passionibus; et ideo non habet contrarium extra se (2).

---

(1) Ibid., qu. XLV, a. I.
(2) I-II, qu. XLVI, a. I, ad 2.m, et a. II, c.

Caput XIX.

De facultate motiva secundum locum.

(S. Thom., P. I, qu. LXXVIII, cum comm. Cajetani et Bannez; idem S. Thom., c. g. II, c. 35 et opusc. 43, c. V; Suarez in V, *De Anima*, Alamannus, q. 88; Joann a S. Thoma, q. 12, Mercier, l. c., vol. I, P. II, sez. III; Pesch, *Diss.*, III; Alibert, *La physiologie Thomiste*, sect. V; Hugon, l. c., pp. 304 seqq.).

503. **Ratio capitis.** — Distinximus supra varia genera potentiarum animae inter quae recensuimus facultatem motivam secundum locum; quae facultas in suo exercitio saepe pendet a facultate appetitiva: igitur postquam egimus de facultate appetitiva, consequens est ut dicamus de facultate motiva secundum locum.

504. **Triplex motus in animali.** — Triplicem motum distinguimus in homine sicut generatim in animali, idest motum *spontaneum*, motum *reflexum* et motum *automaticum*. Motus *spontaneus* generice loquendo contraddistinguitur a motu violento, et dici potest ille motus qui procedit a principio intrinseco, sicut violentus ille dicitur qui a causa seu a principio extrinseco imprimitur vel derivatur. In praesenti vero motus *spontaneus* dicitur exclusive ille, qui procedit a principio intrinseco dependenter ab appetitione et perceptione sensitiva. — Motus *reflexus* ille motus dicitur qui independenter ab appetitione procedit a centro motore cerebri movente in virtute et sub influxu centri sensitivi excitati ab objecto exteriori agente in peripheriam seu in sensus externos (cf. n. 292-301) (1). — Motus autem *automaticus*

(1) Non omnes motus reflexi sunt aequales: quidam enim magis complicati sunt quam alii. — « Il riflesso più semplice, ait Mercier (l. c., n. 136), che ha per tipo classico il riflesso

ille est qui a principio intrinseco seu interiori independenter ab appetitu procedit. Cor e. g. movetur motu automatico. Imo motus automaticus cordis per aliquod tempus haberi potest etiam independenter ab ipso centro motore cerebri; ut patet per ipsam separationem cordis ab organismo animalis.

505. **Organa motus.** — Organa motus constant ex ossibus inter se quasi ex vectibus mediantibus musculis nexis. Musculi autem ex tenuissimis filamentis seu ex fibris muscularibus constant quae ex cellulis originem ducunt; imo dici possunt cellulae prolongatae (cf. n. 239).

506. **Contractilitas in fibris muscularibus.** — Fibrae musculares praeditae sunt irritabilitate, quae contractilitatem in fibris ipsis muscularibus importat; imo est ipsa contractilitas (cf. n. 238, in nota) vi cujus fibrae contrahuntur videlicet breviores fiunt, et ita causatur motus. Haec theoretice vix difficultatem patiuntur.

507. **Quaestiones.** — Nunc autem quaeritur de existentia motus spontanei in homine et de relatione quae extat inter facultates sensitivas et facultatem locomotivam a qua procedit immediate motus spontaneus.

---

roteliano, è il riflesso *midollare;* l'eccitazione che lo provoca mette capo a un centro sensitivo del midollo e *si riflette* immediatamente sopra un centro motore; da questo centro parte l'incitazione motrice da cui proviene il movimento riflesso. Altri riflessi sono molto più complicati, e son riflessi *coordinati* come sarebbero quelli che servono alla deglutinazione, al succiamento del neonato, al salto in certi animali. Tanto i riflessi semplici quanto i coordinati possono essere o *incoscienti* o *coscienti;* ma hanno tutti questo di comune che si producono senza volizione o appetizione precedente ».

508. **Sententiae.** — Malebranche (1) quem communiter sequuntur positivistae et materialistae nostrae aetatis docuit in animantibus omne motum esse reflexum. Inter recentiores eamdem doctrinam defendit C. Richet (2) qui movetur ex difficultate discernendi in motibus nostris id quod spontaneum et reflexum sit (3).

509. **Conclusio I.** — *In homine motus spontanei existunt.*

Prob.: 1.° Motus spontaneus dicitur ille qui procedit a principio intrinseco dependenter a perceptione et ab appetitione. Atqui in homine, ut patet ex conscientia, multi sunt motus qui procedunt a principio intrinseco dependenter a perceptione et ab appetitione. Ergo in homine sunt admittendi motus spontanei. — *Maj.* patet (cf. n. 121). *Minor* vero *prob.* ex ipsa conscientia ex qua habetur invicte quod homo non moveretur ad objecta sua, puta ad cibum, ad lucrum, ad actus virtuosos etc. nisi apprehenderet et judicaret talia objecta esse sibi convenientia, et nisi quaedam inclinatio, puta desiderium, spes etc. in ipso circa talia objecta oriretur et a qua veluti incitaretur ad illa prosequenda; imo motus in homine variatur, est enim major vel minor, ex varia-

---

(1) *Méditationes Métaphysique*, 9ª.

(2) *Essai de Psychologie général.*

(3) Hanc sententiam respectu tamen brutorum animantium tantum retinuisse dicitur Cartesius, et eam amplexati sunt Cartesiani. Posuit enim Cartesius animam solam esse subjectum sensationum et appetitionum, ex quo sequebatur animam brutorum esse per se subsistentem et immortalem (cf. n. 320 et 342). Ut igitur ab hac consequentia refugeret dicunt Cartesium maluisse asserere animalia bruta non esse animata anima sensitiva: proinde neque sensatione seu cognitione, neque appetitione gaudere; sed esse pura automota (cf. n. 279, 284).

tione, idest ex majori vel minori intensitate ipsius apprehensionis et appetitionis.

Confirmatur: Quamvis objecta exteriora influant causando tales motus, tamen nonnisi mediante apprehensione influere possunt, idest non influunt nisi ut apprehensa, neque sola apprehensio sufficit, nisi quaedam inclinatio in appetitu insurgat quae ipsum hominem excitet ad prosequenda talia objecta. Unde multa sunt quae licet apprehendantur, tamen nullum motum causant et multo minus causant si nullo modo apprehendantur. Ergo motus plures sunt in homine qui ex appetitione objectorum dependent et causantur; et proinde sunt spontanei.

2.° Motus reflexus et automaticus est motus mechanicus qui, suppositis instrumentis et partibus mobile in sua essentia constituentibus in connaturali dispositione positis, constanter importat uniformitatem, quatenus scilicet velocitas ejus massae semper proportionatur. Atqui motus hominis (et etiam brutorum animalium) hanc uniformitatem non importat et multiplici varietate praeditus esse potest, ut patet ex facto. Ergo non solum motus reflexus et automaticus, sed etiam alius distinctus qui nonnisi motus spontaneus esse potest, est admittendus.

510. **Conclusio II.** — *In homine sicut et in quolibet animali vis appetitiva distinguitur a vi motiva.*

Prob.: 1.° Sensus et appetitus non sufficiunt ad movendum. Ergo requiritur et ideo est ponenda aliqua vis a sensu et appetitu distincta in homine seu in animali se movente. — *Conseq. patet. Prob. antec.* ex eo quod si ponatur sensus appetitus solum in animali, vel etiam intellectus seu ratio in homine, et non ponatur virtus vitalis quasi exequens in musculis e. g. lacertis et nervis non potest haberi motus. S. Thomas ait: « quamvis sensus et appetitus sint

principia moventia in animalibus perfectis, non tamen sensus et appetitus, inquantum hujusmodi, sufficiunt ad movendum nisi superadderetur eis aliqua virtus. Nam in immobilibus animalibus est sensus et appetitus, non tamen habent vim motivam. Haec autem vis motiva non solum est in appetitu et sensu ut imperante motum, sed etiam in ipsis partibus corporis ut sint habiles ad obediendum appetitui animae moventis. Cujus signum est quod quando membra removentur a sua dispositione naturali non obediunt appetitui ad motum » (1).

2.° In animali sunt quidam motus qui non pendent ab appetitu, ut patet de motibus naturalibus, qui dicuntur reflexi, vel automatici (cf. n. 505). Ergo ab alia facultate quae proinde ab appetitu distinguitur derivantur, et haec facultas dicitur motiva. Ergo facultas motiva distinguitur ab appetitu.

511. **Variae causae in motum influunt.** — Ex dictis sequitur : 1.° quod motus in homine et generatim in animali procedere potest et de facto procedit a variis causis influentibus quarum quaedam sunt remotae et inadequatae, ut objecta exteriora vel conditiones extrinsecae ambientis respectu motuum spontaneorum ; quaedam autem sunt proximae, ut vis apprehensiva, vis appetitiva ; quaedam principales, ut anima, vel ipsum animal, vel homo seu etiam voluntas, ratio etc. ; quaedam instrumentales ut nervi, musculi etc. — 2.° Sequitur ideas vel phantasmata habere rationem causae influentis in appetitum et mediante appetitu in vim motivam quae ab appetitu directe movetur. Unde sensus seu vis cognoscitiva et appetitiva imperant motum, vis motiva obediendo exequitur motum. — 3.° Vis cognoscitiva et ideo

(1) P. I, qu. LXXVIII, a. I, ad 4 m.

ideae et ipsa phantasmata physice et realiter influunt in ipsum appetitum ex quo vi illius influxus motus sequitur a vi motiva exequente, et quandoque etiam ex necessitate, quod quidem contingit circa appetitum sensitivum non solum in brutis, sed etiam in homine in quo appetitus, ut infra dicetur, non semper obedit rationi. — 4.° Nullo tamen modo admittendae sunt *ideae vires* (ideae-forces) prout admittuntur a quibusdam recentionibus ut a Fouillée, qui putat ideam *elicere* actionem et esse ipsam vim agendi indistinctam a vi appetitiva et motiva (1).

Caput. XX.

De localizatione facultatum animae.

512. **Localizatio facultatum animae generatim.** — Facultates animae motivas et sensitivas localizari quoad earum radices in cerebro indubium est variis imo pluribus experimentis comprobatum. Similiter certum est etiam in alia et alia parte cerebri radices motus et sensationis esse repositas, idest radicem motus in parte anteriori utriusque idest

---

(1) « Appetitus animalis, ait S. Thomas, consequitur formam apprehensam. Et ad hujusmodi appetitum requiritur specialis animae potentia et non sufficit sola apprehensio. Res enim appetitur prout est in sua natura. Non est autem secundum suam naturam in virtute apprehensiva, sed secundum suam similitudinem; unde patet quod visus appetit naturaliter visibile solum ad videndum. Animal autem appetit rem visam (vel *auditam* etc.) per *vim appetitivam* non solum ad videndum, sed etiam ad alios usus » l. c. ad 3^{m}. Et ideo vis appetitiva debet esse distincta a vi visiva, vel cognoscitiva. Cfr. ea quae (n. praec.) transcripsimus ex eodem articulo Doctoris Angelici.

dexteri et sinistri emisphaerii, scilicet in lobo parietali, temporali et occipitali seu in regione frontali parieatali, alteram idest sensationis in parte posteriori. Qua doctrina materialistarum sententia, quae ponebat cerebrum animae et intellectus quasi facultatis organicae sedem, omnino explosa est. At singularum et omnium facultatum supra recensitarum rádix et sedes ex experimentis hucusque habitis determinari minime potest. Constat tamen ubi reposita sit radix seu centrum visus et centrum auditus; illud in lobo occipitali, alterum in convolutione temporali certum est esse situm. Sed non constat de aliis sensibus sive externis, sive internis. Phantasia valde probabiliter in *zona latenti* esse dicitur, nulla autem ratione in ipsis centris sensitivis aut motivis (1).

513. **Munera praecipua tributa praecipuis partibus corticis cerebralis.** — Cortex cerebralis in tres zonas seu regiones a parte anteriori in posteriorem dividitur. Hae autem sunt: 1.° *Zona anterior* dicta praerolantica nulla excitabilitate et sensibilita dotata, 2.° *Zona media* seu rolantica vi motrice praedita, 3.° *Zona occipitalis* seu posterior sensibilitate hornata, sed tamen excitabilis non est.

Prima zona quae *silens* vel *latens* audit, et quae non solum in regione cérebri antero-frontalis, sed

(1) « Centra cerebralia haud sunt necessario centra *imaginum*, cum nullum argumentum quo inferatur haec postrema in zona sensibili communi localizari adduci possit. In centro tantum visivo aeque atque in centro auditivo loquelae quaedam imagines localizari possunt scilicet imagines *articulationis* » etc. Period. Div. Th. serie I, tom 6 pp. 422. Addi potest memoriam verborum in tertia circumvolutione frontali videri esse sitam; unde laesio horum centrorum inducit surditatem verbalem qua memoria verborum desinit, vel caecitatem verbalem.

etiam in lobulo corporis striati in parte externa scissurae sylvi, et in parte non parum extensa lobi occipitalis, temporalis et parietalis, reperitur, neque centris motivis, neque sensitivis praedita est; unde neque phaenomena seu munera motionis, neque munera sensationis exercet sicut exploratum est repetitis experientiis. Ex eisdem experientiis contra ipsos materialistas nullum munus intellectionis in prima zona exercere confirmatum habetur; quippe carentes aut laborantes lobis frontalibus easdem omnino psychicas operationes explent (1). Prima igitur zona quodnam munus non exerceat est exploratum, sed quodnam exerceat adhuc problematicum est.

Zona media corticis cerebralis quae est regio frontoparietalis *centra motiva* continet (cf. supra n. 296 in nota). Procedendo a parte superiori ad inferiorem sequens ordo in centris illis habetur.: 1.° Centrum motuum membri inferioris, 2.° centrum motuum membri superioris, 3.° centrum motuum vultus et centrum mandendi, 4.° centrum motuum linguae et centrum vocis articulatae. Haec centra omnibus musculis corporis praesunt, imo probabilissimum est quemlibet musculum proprium correspondens centrum habere.

Tertia zona centra sensitiva continet videlicet centrum visus in lobo occipitali, centrum auditus in convolutione temporali; ubi autem sita sint centra

---

(1) « Quodnam evidentius, ait cl. Lumbled (in Perid. Div. Th. l. c. pag. 393) et ineluctabilius argumentum afferri potest experientiae obnoxium, quam quod invenitur in iis, quorum pars anterior cerebri collisa, vel perturbata et adhuc consumpta est, quin tamen vel ipsi operari, intelligere, loqui cessent et nulla adsit in sensu et motu, quin turbatio et neque prorsus intellectualibus potentiis? Nonne omnino patet... intellectus actum nequaquam integritati encephali alligari et minime a lobis frontalibus pondere.

gustus, olfactus et tactus incertum est. — Imo doctrina de centris psychicis seu sensitivis generaliter loquendo non parva obscuritate laborat. Quocirca audiatur clarissimus Antonelli, qui ita sequitur « Utrum vero particularia loca in cerebro adsint ad particulares facultates psychicas exercendas, an tota massa cerebralis *simul* ad dictas facultates implendas inserviat, ignoratur. Tamen ex pathologia videtur admittenda sententia quae docet facultates exerceri per particularia loca haemisphaeriorum : hoc tamen sensu quod offenso uno haemisphaerio, alterum ejus functiones suppleat, et utroque male affecto, pars reliqua cerebri functionem vicariam gerat (Zandoi » (1).

514. **Centrum vocis articulatae.** — A Broca anno 1861 centrum vocis articulatae in tertia convolutione frontali lobi anterioris sinistri positum adsertum est. Hujusmodi centrum, appellatum Centrum motivum Brocae, immediate zonam motricem attingit ex ea praecipue parte quae continet centra motuum labiorum linguae veli palatini et pharyngis. Hoc tamen vocis articulatae centrum non sufficienter adsignatur, quippe praeter ipsum tum centrum visivum tum auditivum concurrunt; unde haec tria centra veluti unam zonam sermonis constituunt. — Non ita tamen haec tria centra concurrunt ut omnia ex necessitate requirantur; siquidem centrum auditus a centro visus et viceversa centrum visus a centro auditus suppleri potest, ut patet in surdo-motis qui ex visu instructionem loquendi bene suscipiunt et in coeco-natis qui ex centro auditivo solum ad loquendum apti fiunt. — Ratio horum est quia lo-

(1) Medicina Pastoralis, edit. 3.ª vol. I. n. 181.

quela seu vox articulata cum significatione, praecipue ab altiori vi idest ab intellectu procedit, qui neque in centro motivo, neque in centro visivo, neque auditivo, neque in ullo alio centro collocatur; ipse omnia centra movet atque dirigit.

515. **Localizatio facultatis appetitivae et passionum.** — Philosophi in determinando organo passionum et appetitus sensitivi non conveniunt; plures moderni et etiam quidam scholastici, quos inter Mercier, Pesch etc. appetitum residere in cerebro asseverant, alii vero praecipue antiqui scholastici *cor* dicebant esse praecipuum organum appetitus et passionum. — Verum rationes quae utrinque afferuntur vim demonstrativam non habent et ideo utraque sententia limites prababilitatis non excedere videtur. Et revera argumenta primae sententiae ad haec reducuntur.

1.° Ibi esse debet organum appetitus ubi est organum cognitionis sensitivae; 2.° appetitus sensitivus in suo actu ex laesione cerebri impeditur; 3.° ex cerebro oriuntur nervi, appetitus autem sensitivus ad systema nerveum pertinet quod omnia alia, corde non excluso, dirigit utpote magis centrale; 4.° cor deservit vitae vegetativae et motui. Ergo non cor sed cerebrum est sedes appetitus. — Argumenta vero secundae sententiae haec sunt: 1.° Cum appetitus sensitivus sit facultas diversi generis a facultate cognoscitiva etiam ejus organismus debet esse diversi generis atque proinde potius extra cerebrum quam in cerebro esse debet; 2.° ad actus appetitus sensitivi praecipue ad ipsas passiones et affectus non sufficit directio quae ad cerebrum pertinet, sed requiritur principium productivum et elicitivum aliquod; hoc autem non ad cerebrum pertinet sed potius ad magnum sympaticum in quo

omnes affectus redundant et quod in affectus summopere influit. Cor autem ad magnum sympaticum veluti praecipuum organum pertinet. 3.° Passiones mutationem important in organismo ubi contingunt; unde passiones in ea parte organismi esse videntur sicut in proprio subjecto ubi immutatio contingit; haec autem praecipue circa cor apparet quod juxta systolem atque diastolem cum occurrunt passiones, mutatur. Impedimentum appetitus in suo actu ex laesione cerebri probat dumtaxat ex cerebri influentia dependentiam habere quod ultro conceditur, sed nihil amplius; quod autem cor veluti musculus motui deserviat non impedit quominus etiam affectus producat ex receptis impressionibus magni sympatici; unde etiam propria ganglia habet sicut iam fibras non solum motivas sed et sensitivas.

Caput XXI.

De anormalitate sensationum.

(Coconnier l. c., Hugon, Germano etc. l. c.).

516. **Ratio capitis.** — Facultates animae organis affixae seu organicae non semper expeditae sunt in sua operatione propter plurima impedimenta supervenientia tum ab extra quam ab intra. Proinde habentur varii status in quibus animae sensationes anormales sunt omnino; igitur nunc de sensationibus anormalibus juxta earum causas remanet edisserendum ut tractatus de facultatibus animae sensitivis sit completus.

517. **Somnus et ejus causae.** — Ex corporis lassitudine derivatur somnus a qua operationes sensitivae plus minusve impediuntur. Somnus ab Aristo-

tele dicitur : « *Interceptio primi sensorii,* ut suo fungi munere non possit » (1). Et revera in somno vis vegetativa suum habet exercitium licet diminutum sub aliquo respectu etiam majus quam in vigilia, sed vis sensitiva exterior in sua actione totaliter vel pene totaliter impeditur, remanet enim ligatus sensus intimus seu communis et inde etiam alii sensus utpote ab eo dependentes. Causa autem somni diversa a diversis adsignatur ; ab antiquis affluxus sanguinis ad cerebrum uti causa habebatur, a modernis autem generatim loquendo sanguinis rarefactio seu anaemia habetur (2) ; sed quidam utramque sententium conciliare volentes admittunt sanguinis rarefactionem circa cerebri peripheriam, affluxum vero circa encephalum in quo sanguis accumulatur (3), omnes tamen in eo convenire videntur ut somnium ex defatigatione seu debilitate cerebri provenire adseverent atque subspensioni cerebralis activitatis veluti cause tribuunt. Somnus definiri potest : *Sensus immobilitas et vinculum ex defatigatione proveniens.* Finis autem seu causa finalis somni est virium restauratio ; quae praecipue in primo somno qui est profundior, obtinetur.

518. **Somnia et eorum causae.** — In somno seu in dormitione habentur somnia, cessata enim totaliter activitate sensuum externorum saepe manet quaedam activitas sensuum internorum praeci-

(1) De somno et vig. c. 3.

(2) Cf. Coconnier, *l'hypnotisme Franc.* c. XVIII, I.

(3) « Ces deux théories, anémie cérébrale et congestion cérébrale ne sont pas inconciliables, ait Schneider : le sang pourrait être inégalement reparti : accumulé au centre de l'encephal il y produit de la congestion raréfié à la périphérie, il y cause de l'anémie ». L'Hypnotisme, p. 112. Cf. Coconnier, l. c. p. 250 nota.

pue phantasiae, quae plus minusve independenter a voluntate et a ratione inordinate explicatur in sua actione. Unde plura phantasmata reproducuntur allucinationi ut plurimum conjuncta, ita vivida ut realitates appareant. Quod tamen saepius circa imagines visivas et auditivas contingit; nam imagines tactiles imperfectae sunt, confusae autem et rarae imagines olfactus et gustus. — Somniorum causa duplex adsignatur idest *interior* et *exterior*. Causa *interior* vel est *psychologica* inquantum scilicet ea occurrunt hominis phantasiae in dormiendo circa quae ejus *cogitatio* et *affectio* fuit immorata in vigilando, vel *physiologica*, quatenus ex interiori dispositione corporis formatur in phantasia aliquis motus conveniens tali dispositioni; sicut homini, in quo abundant frigidi humores, occurrunt somnia, quod sit in aqua, et ei, qui corde laborat, occurrunt somnia pavoris (1). Causa *exterior* est etiam duplex idest *corporalis* et *spiritualis*; *corporalis* inquantum imaginatio dormientis immutatur vel ab aere continenti vel ab indumento etc.; *spiritualis* autem causa somniorum vel est Angelus, vel Deus (2). Item homo ipse potest esse causa somniorum in altero homine per suggestionem, ut infra dicetur.

519. **Effectus somniorum.** — Inter effectus somniorum est digna quae notetur *allucinatio*, qua somnians phantasmata ut realitates saepissime habet unde contingit *error* in judicando, exercitium intellectus defectuosum est, voluntas nunquam est sui juris et ideo in actionibus deest meritum vel

---

(1) Cf. S. Th. II-II. qu. 95 a. 6 c. et Micheletti, *Elem. di Anatomia e Fisiologia*. Torino, 1899, pag. 250.

(2) S. Th., ib.

St. Albert's College Library

demeritum (1). Allucinatio autem ita quandoque progreditur ut somnians duplicem personalitatem habere putet vel esse personam alienam et diversam ab ea quae est, et hoc etiam secundum sexum. Ampliantur summopere simulacrorum motus ita ut multo majores appareant res quam sint, sicut parvus sonus in aure dormientis apparet dormienti tonitrum esse (2). Deceptio ex allucinatione dormientis quandoque prosequitur in ipsa vigilia quatenus scilicet imaginationes somniorum habentur uti realitates, imo ipsa allucinatio somniantis quandoque prosequitur etiam in vigilia ipsa et cum ipsa intima persuasio de objectivitate et realitate eorum quae in somnio percepta sunt. Ratio horum est quia cum una facultas animae nimis intenditur, alia impeditur (Cf., n. 374).

520. **Somnambulismus.** — *Somnambulismus* in eo consistit quod somnians exterius operatur quaedam ac si esset vigilans; unde ambulat, loquitur, legit, canit, equitat, scribit, percutit, parat ea quae utilia vel necessaria sunt ad vitam etc. Quandoque somnambulus eo pervenit ut difficillima quoque exequatur, quae in vigilia essent ei impossibilia; e. g. super extremitate tecti deambulare sine periculo cadendi et alia similia et etiam majora peragit. — Somnambulus ordinarie in vigilia non recordatur ea quae sibi acciderunt in illo statu, et ratio est quia deest associatio phantasmatum et idearum; somnambulismus enim ex vivaci activitate imaginationis et ex exercitio electivo seu determinato sensuum externorum derivari videtur, est enim actio unilate-

(1) Cf., S. Th., P. I., qu. 84, a. 8 ad 2.^{m}; qu. 94, a. 4 ad 4.^{m}; et qu. 101, a. 2.

(2) Cf., S. Th., *De divinatione per somnium*, lect. I.

ralis animae colligentis suam activitatem circa aliquam determinatam facultatem et aliqua determinata objecta exercitio aliarum facultatum suspenso (cf., supra n. 374 et n. 428). Unde somnambulus *hyperastesia* circa quaedam objecta idest nimia sensibilitate affici, circa alia vero *anaestesia* idest insensibilitate, dicitur.

521. **Usus rationis tempore somni seu dormitionis.** — Tempore somni usus rationis seu rectum et perfectum judicium intellectus impeditur ob ligamentum sensus per quem res sensibiles cognoscimus. Unde quia sensus magis vel minus ligatur, minus vel magis habetur usus rationis. Quando ligatur ipsa imaginatio ita ut nulla appareant phantasmata, sicut cum aliquis dormire incipit post multum cibum vel potum, nullus omnino est usus rationis et intellectus. Unde ad usum rationis requiritur exercitium phantasiae; et ad usum rectum et perfectum rationis requiritur 1.° ut phantasmata et appareant et sint ordinata, 2.° ut ipsa phantasmata ab objectis realibus per sensum communem *plene* distinguantur; ad hoc autem requiritur ut sensus communis sit omnino solutus. « Sic igitur, concludimus cum Angelico, per modum quo sensus solvitur et imaginatio in dormiendo, liberatur judicium intellectus, non tamen ex toto. Unde illi, qui dormiendo syllogizant, cum excitantur, semper recognoscunt se in aliquo defecisse » (1). P. I., qu. 84., a. 8 ad 2.^{m}.

(1) Conformiter ad hanc S. Thomae doctrinam loquuntur physiologi moderni. Ita e. g. scribit M. Mathias Duval : « Ce qui est essentiellement aboli pendant le sommeil c'est la function régulière, qui lie les impressions extérieures avec le travail cérébral et celui-ci avec les réactions volontaires ; c'est la coordination normale des functions de relation ». *Cours de physiologie*, p. 118, cit. a Coconnier qui addit : « Cette saisie

522. **Activitas sensuum exteriorum tempore somni ex animi praeoccupatione.** — Quamvis activitas sensuum externorum per somnium impediatur, non ita tamen ut impossibilis evadat omnis eorum operatio, nam impressiones ab objectis externis recipiunt atque ad centra nervea encephali transmittunt (1). Haec tamen activitas circa quaedam objecta determinata prae aliis exercetur licet leviorem impressionem in sensus periphaericos causet. Unde contingit quandoque quod mater excitetur a levissimo motu pueruli sui, cum è contra non excitetur a magno sonitu (2). Hujusmodi perceptiones dicuntur electivae. — Horum phaenomenorum ratio desumi potest ex *attentione* animi, quippe ad sensationes habendas duo requiruntur scilicet impressio exterioris objecti et *attentio,* distractio enim perceptionem objectorum impedit; contingit autem ex dispositione subjecti dormientis quod remaneat in eo, somno adveniente, quaedam praeoccupatio in animo circa aliqua objecta quae attentionem aliquomodo importat aut attentioni aequivalet nulla attentione remanente circa alia. Hinc contingit talium objectorum prae aliis perceptio (cf., n. 428).

---

des sens, qui arrête leur functionnement ou le trouble, a pour résultat d'immobiliser la raison ou du jeter le désordre dans ses opérations : l'acte libre n'est plus possible », l. c., p. 362 et 363.

(1) « Les experiences de Claude Bernard, Mosso et Tarchanoff, ait Coconnier, l. c., nous montrent que le cerveau de l'homme endormi se colore et croît en volume à chaque excitation produit dans les organes périphérique : ce qui suppose que les sens extérieurs gardent assez d'activité pour recueillir les diverses impressions sensorielle lumineuses, tactiles et les transmettre aux appareils de l'encéphale ».

(2) Cf. Coconnier, l. c., qui citat M. de Manaceine, *le Sommeil,* p. 36.

523. **Voluntatis et rationis imperium circa organismi activitatem et effectus.** — Circa organismi activitatem et effectus quaedam phaenomena digna sunt quae notentur ex imperio rationis et voluntatis mediante phantasia provenientia. Quandoque enim ratio aut voluntas statuit et vult ut aliquod determinatum phaenomenon sequatur statuto tempore et ita sequitur revera sine novo voluntatis influxu. Saepe enim contingit e. g. ut aliquis, cum dormitum vadit, velit statuta hora excitari a somno, et ita revera contingit quasi scilicet vim et dispositionem organismi juxta datam mensuram et tempus determinaverit in suo exercitio (1). Quid simile contingit etiam in vigilia, dum quis per phantasiam et sensum muscularem vim corporis sui applicat secundum gradum determinatum, e. g. cum quis projicit lapidem in aliquem locum statutum magis vel minus a se remotum ita ut lapis ibi adamussim perveniat. Quod ita contingit ex virtute ipsa naturali, sed praecipue ex habitudine contracta.

CAPUT XXII.

De Hypnotismo.

(Cf. COCONNIER, l. c., FRANCO, LELONG, ELIE MERIC, ANTONELLI, LAPPONI, BEAUNIS, PESCH, GERMANO).

524. **Hypnotismi definitio.** — Hypnotismus definiri potest: *Sonnus vel status somno similis ut plurimum arte inductus, in quo patiens impellitur et dirigitur ad agendum per suggestionem oralem.* — Dicitur *somnus* vel *status somno similis,* quia in eo statu phaenomena somni habentur quatenus sensibilitatis

(1) Cf. Coconnier qui plura facta affert, l. c., pagg. 361 et seqq.

activitas modo anormali sicut in somno exercetur; additur ut *plurimum arte inductus,* quia licet ordinarie, imo et fere semper ille status inducatur ab alio quodam studio, tamen quandoque fere naturaliter sine studio habetur a seipso; unde fertur plures mulieres hystericas se in speculo prospicientes in hypnotismum incidisse. — Alia verba, idest *in quo patiens impellitur* etc. indicant plenam vel fere plenam subjectionem patientis illi qui statum illum in eo induxit, quatenus per verba in ejus imaginatione causat phantasmata ita vivida ut patienti appareant verae realitates quibus et movetur ad agendum et varia in eo phaenomena inducuntur.

525. **Modus quo status hypnoticus inducitur.** — Plura sunt media quibus status hypnoticus inducitur. Sed ad tria revocari possunt 1.° ad processum *somaticum,* 2.° ad *physicum,* 3.° ad *physicho-somaticum.* Primus processus fit per actionem in nervos periphericos eos excitando, defaticando et etiam in eos perturbationem inducendo. Multipliciter autem induci potest status ille per hunc processum; vel per simplicem excitationem facultatis auditivae mediante flebili sonu, monotono rumore, vel etiam forti et repentino vel per tactum excitando idest premendo dulciter vel fortiter quasdam corporis partes quae dicuntur *zonae hypnogenae*, propterea quod excitatae proprietatem habent somnum hypnoticum inducendi vel mutandi somnum naturalem in *hypnoticum.* Hae partes variantur pro diversitate subjectorum et secundum loca et secundum numerum; possunt etiam in omnibus corporis punctis esse, in quibusdam tamen paucissimae sunt. — Potest obtineri status ille per excitationem et defatigationem, sicut e. g. per projectionem lucis instantaneam in oculos, per aspectum fixum objecti lucidi

proxime ante oculos positi praecipue prismatis a sole illuminati, vel etiam per aspectum fixum alterius objecti non lucidi, puta extremitatis proprii digiti. Potest obtineri etiam per fixum aspectum oculorum. — *Secundus processus* in eo consistit quod somnus *hypnoticus* excitatur per suggestionem, idest *per ideam alteri communicatam* praesertim mediante imperio verbis expresso et pluries repetito. Sed quandoque subjectum mediante persuasione de necessitate somni praeparatur et disponitur. — *Tertius processus* habetur cum duo primi simul conjunguntur agendo scilicet in periphericos sensus et simul in imaginationem.

526. **Hypnotismi phases seu status triplex.** — In hypnotismo triplex phasis seu status distingui solet, idest *lethargia, catalepsis, somnambulismus.* Hi tres status ab invicem omnino distinguuntur neque semper ordinate procedunt quasi unus status puta *lethargicus* possit considerari quasi praepatio respectu alterius. Sed ex uno indiscriminatim fieri potest ad alterum transitus. Distinguuntur autem per varios et diversos caracteres, ut sequitur.

527. **Status Lethargici characteres praecipui** reducuntur ad *anaesthesiam* hoc est ad plenam *insensibilitatem;* unde hypnotizatus nihil sentit, nihil percipit omnino, ejus status est morti similis et potest pungi, transfigi quin dolorem patiatur. In eo statu operationes chirurgicae gravissimae factae sunt quin aliquod signum sensibilitatis a patiente datum fuerit et in vigilia ulla memoria servata; videtur enim omnino sublata cerebri activitas cum activitate sensuum externorum. Unde oculorum palpebrae clausae sunt, caput reclinatum, membra resoluta, conscientia nulla apparet. Activitas tamen vegetativae vitae perseverat omnino normalis. Insuper

digna est quae notetur magna irritabilitas medullae spinalis; unde habentur variae musculorum contrac tiones in statu vigiliae pene impossibiles.

528. **Status catalectici praecipui characteres** sunt *levitas* atque *flexibilitas* mira membrorum ita ut sine labore positiones difficillimae atque impossibiles in statu normali diu retineri possint magna facilitate. Quamvis sensibilitas generalis deficiat, tamen visus et auditus impressiones objectorum externorum mirifice recipiunt ita scilicet ut hypnotizatus fascinationi hypnotizantis subjciatur omnino; unde fit ut eum in quocumque motu oculis veluti petrificatis in idipsum fixis ut automa sequatur. Musculi in eo statu ita contrahi possunt ut duritiem quasi ligneam acquirant; imo si alicui parti corporis aliqua positio seu aptitudo imprimatur musculi ita contrahuntur ut aliae corporis partes correspondentes aptitudinem adsumant e. g. ex genuflexione sequitur in vultu aptitudo orantis etc.

529. **Status somnambolici characteres.** — Status somnambolicus hoc speciale habet ut hypnotizatus pluribus et magnis suggestionibus prae aliis statibus subjiciatur. Contractiones musculorum quam facillime obtinentur vel etiam removentur ex simplici tactu pellis, quae quandoque sensibilitate caret.

530. **Hypnotismi phaenomena.** — Praeter phaenomena, quae innuimus in unoquoque statu descripta, sequentia notatu digna recensentur: 1.° Absoluta et exclusiva relatio personae hypnotizatae cum hypnotizatore a cujus suggestionibus omnino vel quasi omnino dependet; unde, 2.° persona hypnotizata subest omnibus illusionibus quas vult ipse hypnotizator, 3.° imo patitur etiam effectus plurimos ex semetipsa. Unde ex simplici imperio vel suggestione videt vel percipit quolibet respectivo sensu

uti realiter praesentia, objecta vel personas quae praesentia non sunt (*hallucinatio positiva*), et non esse praesentia ea quae realiter praesentia sunt (*hallucinatio negativa*). — Si e. g. hypnotizator dicit ei habere florem in manu, avem etc., tale objectum esse percipit ac retinet et generaliter ipsum videt uti reale; similiter si aquam ei quam porrigit dicit esse vinum etc. percipit esse tale, persentit omnes vini proprietates atque effectus. Sequuntur etiam ex simplici suggestione hypnotizantis sensus caloris, frigoris, lacrymae, sudor, cordis palpitationes etc. — Et non solum suggestioni hypnotizatoris subsunt sensus externi, sed etiam sensus interni uti phantasia, memoria, sensus muscularis, vis motiva. Unde etiam sequentia phaenomena notantur ex eadem suggestione.

1.° Multiplicatio, vel mutatio personalitatis propriae in aestimatione ipsius hypnotizati, qui apprehendit et retinet cum persuasione se esse presbyterum vel militem, medicum, senem, mulierem et etiam bestiam, puta canem etc.; 2.° Hypnotizatus executioni mandat in statu vigiliae actionem prout ei imponitur ab hypnotizante secundum locum et tempus praefixum (1); 3.° Vesicatio cum haemorrhagia quam tamen non omnes concedunt contingere.

531. **Explicatio praedictorum phaenomenorum.** — Praedicta autem phaenomena causis omnino naturalibus explicari possunt, nam similia contingere queunt imo de facto contingunt etiam in somnio naturali. Potest adsignari causa vel *psychologica*, quae praecipue ex ipsa phantasia repetitur, vel *physiologica*, quae ex varia dispositione subje-

(1) Cf., Coconnier, l. c., pp. 120 et seqq.

ctorum desumitur, unde in diversis diversa phaenomena vel eadem modo diverso notantur. Quantum attinet ad causam *psychologicam*, phantasia in illo statu somni summopere excitatur, ita scilicet ut fere tota vis animae ibi colligatur ut vera et realia appareant quae repraesentantur; et quia omnes facultates animae, non exceptis intellectivis, ex phantasiae exercitio dependent, in eo statu omnes ab ipsa moventur, regulantur et diriguntur vel, melius dicam, juxta motum ipsius feruntur ei in omnibus obedientes; sicut contingit in somniantibus et delirantibus non distinguentibus phantastica objecta a realibus. Unde omnes facultates animae habent proprium exercitium et actionem dependenter a phantasia non frenata a sensibus externis et non regulata ab intellectu et voluntate. Si in hoc statu excitationis igitur phantasia in suo exercitio dum in se totam vel fere totam vim animae continet, ab aliqua intelligentia exteriori excitetur et dirigatur in suis repraesentationibus, poterunt ordinate obtineri omnes illi effectus non solum qui in statu somnii sunt possibiles, sed etiam plurimi alii juxta artem intelligentiae dirigentis; et ita explicantur effectus supra narrati obtenti ab hypnotizatore. — Illa enim phantasmata quae exterius suggeruntur utpote vivacissima sunt causa allucinationis et persuasionum quae appetitum in objecta correspondentia fortiter inclinant; hae persuasiones quantum ad effectum impressum in viribus sensitivis, non excepta ipsa memoria, firmiter juxta impressionem causatam manent et perseverant, atque suo tempore idest tempore statuto, esto in statu vigiliae, spontanee vi associationis phantasmatum vel idearum iterum excitantur atque facultates ad agendam actionem illam correspondentem fortasse praeceptam ab hypnotiza-

tore inclinantur. Unde ipsemet intellectus vi illius impressionis vivide memoriae revocatae iterum allucinationi subijcitur ut secundum illam judicet. (cf., n. 519 ubi de allucinatione ex somniis).

532. **Explicatur modus quo quaedam relative mira in ordine cognitionis in illo statu contingunt.** — Ex dictis (n. praec.) satis explicantur quaedam mira quae contingunt in hypnotizato in ordine cognitionis. Facillime enim vi associationis phantasmatum et collectionis virtutis animae plurima oblita vel leviter percepta et impressa revocantur memoriae quae veluti nova et nunquam percepta fortasse apparent. Similiter vis intellectus circa quaedam objecta collecta a phantasia vivacissime repraesentata quoad annexa et connexa cum aliis phantasmatibus quae proinde vi associationis facile revocantur, facilius potest percipere relationes mutuas in ratione causae et effectus etc. eorum quae in illo statu repraesentantur, praecipue illorum quae fortasse in statu normali fuerunt oblita etiamsi leviter et transeunter percepta sint. — Unde non est mirum si quis hypnotizatus expedite loquatur in aliquo idiomate in cujus studium incubuit licet ipsum non perfecte didicerit. — An vero phantasmata atque proinde cognitiones quaedam ab hypnotizatore hypnotizato communicari possint nec ne directe sine verbis aut signis verbis aequivalentibus non facile dixerim; sunt quidam qui affirmant putantes id fieri posse et ob dispositiones cerebri similes vi hypnotizationis causatas in hypnotizato et ob fluidum nerveum, ex quo constituantur phantasmata, decurrens ex cerebro hypnotizantis ad cerebrum hypnotizati eo ferme modo quo vis electrica in telegrapho Marconi decurrit et trasmittitur de uno loco ad alium. — Verum antequam haec doctrina ad-

mittatur facta indubia oportet ut afferantur praedictae communicationis.

533. **Interventus doemonum in hypnotismo.** — In hypnotismo, licet non facile sit ad id pro explicatione recurrendum, interventus doemonum idest spirituum malorum possibilitas admitti potest. Quod contingere possibile est vel ex pacto inito cum ipsis doemonibus, vel in punitionem ex juxto Dei judicio, vel ex eo quod hypnotizatur obsessus, et hoc vel scienter vel ex ignorantia cum putatur aliqua aegritudine affici. Signa autem interventus doemonis sunt phaenomena seu effectus illi qui vires naturae humanae superant ut est locutio linguarum omnino hypnotizato ignotarum, manifestatio occultarum rerum quae humanitus, sive universaliter sive particulariter, ab ipsa scilicet persona hypnotizata sciri non possunt, uti sunt ea quae in longinquo contingunt, vel ea ad quae cognoscenda habitus scientificus studio et labore acquisitus requiritur.

534. **Pericula hypnotismi.** — Quamvis hypnotismus, ut a viris catholicis et piis sustinetur et nos ipsi docuimus in nostra theologia (vol. I), non sit secundum se illicitus et immoralis, tamen non est dubitandum posse ex circumstantiis fieri tale et quidem facillime ob plura pericula perniciosa quae ipsum comitari possunt quorum praecipua cum Rolfi recensenda putamus. Consistunt autem in summa facilitate contrahendi sequentia mala: 1.° Isterismum, 2.° paralysim, convulsiones, 3.° debilitatem vel perniciosam eccitabilitatem in cerebro; 4.° si autem hypnotizatio frequens est ex ea oritur inclinatio et facilitas cadendi ex se se in catalepsim vel in somnambolismum; et inde periculum cadendi in dementiam; 5.° contingere etiam potest ex imperitia hypnotizatoris vel ex dispositione subjecti ut

hypnotizatus non plene excitetur a suo somno hypnotico (1).

Caput XXIII.

De potentiis intellectivis.

(Cf. Aristoteles III *De Anima*, cum comm. S. Thomae; S. Th., P. I, qu. LXXIX cum comm. Caiet, Bannez, Joannis a S. Thoma, Sylvii etc.; Zigliara, *Psyc.* l. IV, cap. I, art. I et III, cap. III, art. III; Schiffini, Lorenzelli, De Maria, Mercier, Hugon).

535. **Ratio capitis.** — Locuti de facultatibus animae sensitivis, ad facultates intellectivas quae sunt propriae hominis, gressum facimus; duplex autem potentia intellectiva distinguitur, intellectus et voluntas; prima cognoscitiva dicitur, utpote ad cognoscendum ordinata, secunda appetitiva, quia ad appentendum. Igitur primo de intellectu, secundo de voluntate agendum est: tertio hae duae facultates comparandae sunt inter se et cum appetitu sensitivo. De intellectivae facultatis cognoscitivae unitate et ejusdem diversis muneribus in praesenti capite agimus; alia vero expendemus in sequentibus.

536. **Unica potentia intellectiva cognoscitiva in anima existit.** — Potentia intellectiva ad cognoscendum ordinata unica est in anima humana, quamvis diversis nominibus designetur: idest est ipse *intellectus* ad diversos actus ordinatus. Quod ita probari potest: In nobis est facultas cognoscitiva per se ordinata ad cognoscendum verum ut verum est et ut importat unam rationem (analogicam) intellectam; quippe de vero loquimur omnes ita ut nulli

(1) Cf. Rolfi: *Hypnotismo-spiritismo*, ed. 4.a Mondovì; pagg. 446 et seqq.

sit aut possit esse ignotum sub sua universalissima ratione consideratum, quatenus scilicet in suo conceptu inspectum potest affirmari de quacumque re sub quacumque ratione concepta, secundum quod in ea importatur aliquid positivum. Atqui quod concipitur sub una ratione intellecta per eumdem actum concipi potest quo ratio illa concipitur atque proinde ab eadem facultate respici debet. Ergo omnia objecta omnino sive existentia sive possibilia et omnes proprietates objectorum aliquid positivum importantes sive rationis sive rei ab eadem facultate intellectiva, cujus actus est respicere verum, respiciuntur; quae proinde sufficit ad omnia cognoscenda, et frustra et vane et absurde multiplicantur facultates intellectivae respicientes verum. Igitur unica facultas seu potentia intellectiva cognoscitiva in anima existit. Unde diversa nomina quae diversas facultates intellectivas designare videntur non designant nisi diversa munia unius ejusdemque facultatis intellectivae (1). Sed ut evidentius veritas nostrae adsertionis appareat, sunt breviter recensendae et explicandae variae denominationes quibus potentia intellectiva cognoscitiva designatur.

537. **Intellectus.** — Nomine *intellectus* ergo designatur facultas propria et specifica animae rationalis, quae ad cognoscendam naturam intimam rerum ordinatur, sive per simplicem apprehensionem, sive per judicium (I, n. 228 et seq.). Intellectus dicitur etiam *mens*. Importat autem sic acceptus quamdam perceptionem seu contemplationem veritatis et quasi quietem in ea.

---

(1) Hinc patet quam falsa et absurda sit distinctio Kantiana rationis purae in *theoreticam* et *praticam*, quasi sint duae facultates distinctae.

538. **Intelligèntia.** — Sed eadem facultas quatenus exclusive consideratur ordinata ad cognoscendas veritates, quae immediate sine ulla ratiocinatione innotescunt, *intelligentia* dicitur. — Imo hoc nomen etiam ad significandum ipsum actum intellectus quandoque sumitur secundum quod ad prima principia terminatur. — Quandoque tamen nomine *intelligentiae* vel *intellectus* vel *mentis* designatur ipsa anima rationalis, seu substantia intellectiva etiam Angelica. A recentioribus *intelligentia* sumitur pro facultate cognoscitiva in genere, unde tribuitur etiam brutis; qui tamen loquendi modus probari nequit utpote periculo erroris obnoxius.

539. **Memoria.** — Appellatur *memoria* inquantum rerum, quas jam apprehendit, conservat species, et objecta quaedam jam cognita recordatur. Neque audiendi sunt qui eam distinguunt ab intellectu ut Th. Teid. (1) et Cousin (2), quippe intellectus ipsum praeteritum percipit sicut ipsam substantiam permanentem ut idem perseverans in praeterito et in presenti. Et licet directe et per se non percipiat ipsum factum sensibile ut praeteritum, percipit tamen actum suum quo percepit objecta universalia et indirecte ipsum factum sensibile (3).

540. **Ratio.** — Dicitur *ratio* quatenus ex quibusdam veritatibus cognitis ad alia cognoscenda per discursum procedit: et inquantum *aeternis* conspiciendis aut consulendis intendit *ratio superior;* quatenus vero intendit temporalibus rebus, *ratio inferior* appellatur. Nam eadem facultas est quae movetur et quae ex temporalibus adsurgit ad cognitionem aeternorum, et quae per aeterna, ad quae cogno-

(1) Oeuvres complètes, t. IV, p. 54.
(2) Huitième leçon de philosophie écossaise.
(3) Cf. S. Th. P. I., qu. 79, a. 6. ad 2.^{m}

scenda ex temporalibus pervenit, de temporalibus judicat.

541. **Intellectus speculativus, intellectus practicus.** — Intellectus dicitur *speculativus* inquantum ordinatur ad solam contemplationem veritatis, seu inquantum quod apprehendit non ordinat ad opus sed ad solam veritatis considerationem. Dicitur *practicus* inquantum quod apprehendit ordinat ad opus. Unde intellectus speculativus differt a practico *fine*. Utriusque ergo est cognoscere verum.

542. **Conscientia.** — Nomine conscientiae proprie intelligitur non ipsa facultas intellectiva, sed quidam actus ejus. — Et est duplex: psychologica, de qua diximus in logica (n. 281 et seq.), et theologica seu moralis, quae est regula humanarum actionum et cujus actus sunt accusare, remordere, testificari, excusare etc. — Etiam conscientia psychologica est duplex: *sensitiva* quae affectiones subjecti sentientis refert seu actiones sensitivas; et intellectiva cuius est referre 1.° actiones *intellectivas* et 2.° actiones *sensitivas*.

543. **Distinctio intellectus a sensu.** — Confundere intellectum cum sensibus summa imperitia est ut patere potest ex dictis, (n. 285, 342-343), nam imprimis sensus sive externi sive interni sunt facultutes organicae, intellectus vero est facultas inorganica; insuper sensus nonnisi objecta singularia, individua, mutabilia et materialia exhibent, intellectus vero praecipue et primo universalia abstracta a notis individualibus et a materia, objecta necessaria, et ipsa contingentia et mutabilia sub ratione necessitatis, aeternitatis et immutabilitatis attingit. Imo ipsa necessaria, immutabilia, aeterna cum contingentibus, mutabilibus, temporaneis comparat, atque de eorum convenientia vel disconvenientia ju-

dicat, super iisdem ratiocinatur atque plures inter eas relationes adinvenit. Haec autem omnia facultatem exigunt taque praesupponunt specialem a sensibus sive externis sive internis distinctam, imo et diversam quae propria est homini inquantum homo, qui propterea a brutis distinguitur, eis supereminet et in natura superiori collocatur. Merito ergo speciale nomen haec facultas idest intellectus prae sensibus omnibus sibi adsumit ad indicanda objecta idoneum, idest *intelligibilia*. Unde patet quam absurdi sint illi qui intellectum cum phantasia ipsa confundunt (1). (Cf. supra n. 342 et Nostram Introd. P. I, c. VIII). Circa hanc distinctionem vide etiam Wasmann. *Istinto e Intelligenza* versione Italiana di Antonio Boni — Firenze Lib. Editrice Fiorentina, c. II, V.

---

(1) Ad rem Aloysius Chiesa: « Siamo liberi di foggiare nell' immaginazione un fantasma, una rappresentazione sensibile del circolo, a preferenza di altri simboli possibili, ma non siamo liberi di *concepire* il circolo come vogliamo. Il concetto del circolo è uno; i simboli o fantasmi sono infiniti; il concetto del circolo è immutabile, i simboli o fantasmi sono mutabili a nostro piacimento; il concetto del circolo è universale, il fantasma invece è sempre singolare e concreto. Il puntolino rotondo che noi vediamo in fantasia quando pensiamo al punto matematico non si dee confondere col punto matematico concepito scientificamente, che non ha figura anzi espressamente la esclude. Così pure, dice il Balmes, abbiamo il *concetto preciso* di un poligono di mille lati perchè possiamo dimostrarne le proprietà, ma non abbiamo un' *immagine precisa* del medesimo. Il concetto di Dio, di sostanza semplice, di sostanza spirituale, di bene, di male, di virtù, di vizio ecc. si può forse identificare con gli svariati simboli che i poeti e i pittori adoperano nel rappresentare alla fantasia questi oggetti sovra sensibili?... Anche il Taine confessa apertamente il divario immenso che corre tra il concetto e l' immagine. Quando concepiamo il circolo, egli osserva, non è affatto questo circolo tracciato sulla tavola che noi consideriamo, esso

544. **Triplex actus intellectus distinguendus.** — In logica (I, 6) distinximus triplicem actum intellectus videlicet simplicem apprehensionem, judicium et ratiocinium; verum antequam intellectus ex simplici apprehensione ad perfectum judicium et ratiocinium perveniat tria requiruntur secundum quae sub alio triplici aspectu actus intellectus considerari potest, unde alius triplex actus considerandus est, idest *intelligere, discernere, cogitare* seu intellectio, discretio, cogitatio qui tamen actus in judicio et ratiocinio includuntur. *Intelligere,* prout hic sumitur, est actus primordialis qui ipsum simplicem *intuitum* importat, cui intelligibile respondet indeterminate perceptum. Unde non requiritur intentio ad ipsum, sed ejus praesentia sufficit; *discernere* est cognoscere rem per differentiam sui ab aliis; *cogitare* est considerare rem secundum partes et proprietates

---

non è il nostro oggetto mentale, esso è invece un semplice mezzo che ci aiuta a concepire un' altra cosa che non è nè bianca, nè tracciata sul fondo nero, nè di un *dato* raggio, nè di una rotondità imperfetta. Diciamo pure col Goethe che la fantasia è la chiave dell' intelligenza, ma riconosciamo sempre il divario specifico tra la prima e la seconda facoltà.... Mille immagini sensibili del punto matematico in qualunque modo associate non vi porgeranno mai il concetto del punto, mille immagini sensibili della virtù, dello spirito di Dio ecc. in qualunque modo associate non vi porgeranno mai i concetti di virtù, di spirito, di Dio.... È vano quindi ricorrere con lo Stuart Mill all' associazione ed abitudine per ispiegare come le immagini sensibili possano mediante una levata elaborazione trasformarsi in concetti. Il concetto non è un'immagine più o meno complessa, più o meno elaborata, ma un fatto totalmente diverso, *sui generis,* irriducibile al fantasma, il concetto è essenzialmente costante, universale necessario, mentre il fantasma ha caratteri del tutto opposti.... L'idea, dice benissimo James Ferrier, è diametralmente opposta all' immagine » : La Base del Realismo, Pag. 140-142.

suas (1). Sed notandum quod intelligere sumitur etiam, imo ordinarie sumitur pro actione intellectus completa et perfecta idest distinguentis et cogitantis (2).

545. **Quaestio.** — Quaestio quae nunc de intellectu movetur est circa ejus objectum, ex quo facultas cognoscitur, in sua specie constituitur et ab aliis facultatibus distinguitur (n. 413). Quodnam est ergo objectum proprium intellectus? Cui quaestioni respondeo :

546. **Conclusio I.** — *Objectum proprium intellectus humani est universale abstractum.*

Prob.: Objectum proprium intellectus humani est illud quod a solo intellectu attingitur et nullo modo a facultatibus cognoscitivis inferioribus idest sensitivis seu communibus homini et bruto. Atqui universale abstractum ut tale a solo intellectu huma-

(1) « Secundum Augustinum, (de util. credendi c. 11) ait S. Thomas : Differunt cogitare, discernere et intelligere, *discernere* est cognoscere rem per differentiam sui ab aliis. *Cogitare* autem est considerare rem secundum partes et proprietates suas ; unde cogitare dicitur quasi coagitare. *Intelligere* autem dicit nihil aliud quam simplicem intuitum intellectus in id quod sibi est praesens intelligibile. Dico ergo quod anima non semper cogitat et discernit de Deo, nec de se, quia sic quilibet sciret naturaliter totam naturam animae suae, ad quod vix magno studio pervenitur : ad talem enim cognitionem non sufficit praesentia rei quolibet modo, sed oportet ut sit ibi in ratione objecti, et exigitur *intentio* cognoscentis. Sed secundum quod intelligere nihil aliud dicit quam intuitum, qui nihil aliud est quam praesentia intelligibilis ad intellectum quocumque modo, sic anima semper intelligit se et Deum indeterminate et consequitur quidam amor indeterminatus ». I. Dist. III, qu. IV. a. V. — Haec Dei cognitio habetur ex hoc quod ipsa anima est imago Dei (cf. S. Th., P. I qu. 93 a. I et IV) licet imperfectissima, unde attingendo se Deum ipsum attingit indeterminate tamen et analogice, cf. P. I. qu. a. ; I. ad 1.^{m}

(2) Ibid. ad 2.^{m}

no attingitur, non vero a facultatibus quae sunt in brutis animantibus seu non a facultatibus sensitivis. Ergo objectum proprium intellectus humani est universale abstractum. — *Prob. minor:* Facultates sensitivae seu inferiores quae communes sunt homini et bruto, nonnisi singularia, materialia et individua attingunt utpote facultates annexae organismo corporali, individuo, materiali, abstractio enim est signum evidentissimum facultatis abstractae a materia seu facultatis immaterialis non affixae organo; objectum enim potentiae proportionatur atque ejus naturam manifestat.

2.° Cognitio universalium est propria illius facultatis quae est idonea ad percipiendas varias relationes quae inter ipsa universalia, inter universalia et particularia, inter magis et minus universalia reperiuntur. Atqui cognoscere hujusmodi relationes est proprium intellectus; imo in his relationibus cognoscendis consistit finis et vera perfectio intellectus; (1) sensus enim hujusmodi relationes non cognoscit, secus et judiciorum universalium et ratiocinationis seu logicae esset capax, cognosceret relationes me-

(1) « L' intelligenza non s' arresta semplicemente alle percezioni e imaginazioni sensibili, non si accontenta di confrontarle tra loro secondo le leggi di istintiva associazione di immagini; fa *ben di più;* confronta tra loro gli oggetti delle varie percezioni sensibili, ne esamina la somiglianza, la omogeneità o eterogeneità, ricerca la relazione causale che essi hanno tra loro o col soggetto conoscente: forma così *idee generali* e le fonda in *conclusioni*. Questa facoltà logica mentale ed essa sola inchiude una vera facoltà di *astrazione*. Soltanto l' intelligenza distingue realmente tra le proprietà essenziali e non essenziali, tra le specifiche e individuali, tra i caratteri di razza e di famiglia.... Ma questo non può mai fare la fantasia dell' uomo tanto meno quella del bruto ». Wasman, *Istintio* e *Intelligenza*, versione di A. Boni, Firenze, pag. 115.

diorum cum fine, esset capax scientiae et disciplinae, unde bruta animantia essent vera animalia intellectiva et rationalia. Ergo cognitio universalium est propria intellectus et universale abstractum est proprium objectum ejus.

547. — **Solvuntur difficultates.** — *Obj:* 1.ª Repraesentationibus sensibilibus compositis in homine abstractiones et conclusiones semper junguntur. Atqui id ipsum contingit etiam in brutis animantibus; canis, e. g. odorem carnis percipit, inde saporem, et cum sentiat famem, quasi apprehendendo eam auferri per comestionem, comedit carnem. Cum ergo in brutis animantibus non sit nisi sensus, sequitur quod objecta abstracta et eorum relationes non solum ab intellectu percipiantur sed etiam a sensibus. — Ita quoad substantiam objicit Emery citatus a Wasmann.

Resp.: Distinguo majorem: Abstractiones et conclusiones... junguntur ratione identitatis facultatis abstractivae et deductivae cum facultatibus repraesentationum sensibilium *nego;* ratione connexionis et coordinationis et cujusdam dependentiae *conc.* Nego autem minorem quoad *abstractionem,* quoad vero *deductionem distinguo:* Si fiat sermo de deductione formali consistente in vera comparatione extremorum cum tertio et in perceptione relationis existentis inter extrema *nego;* si fiat sermo de deductione materiali quae implicite includitur in actione instinctiva *conc.* Et *nego* conseq. — Brutum animal et in ex. adlato canis associat imagines praesentes cum conservatis in memoria et vi harum associationum fit imago composita; puta imago odoris nunc percepta revocat imaginem carnis quam comedit et haec imaginem saporis, ita ut exurgat in ipso imago sensibilis carnis odorantis sapidae, quae movet appe-

titum jam dispositum ad illam vel naturaliter vel ob praecedentem comestionem. Unde canis ex hoc ipso ad carnem comedendam trahitur. Ad hoc autem nulla abstractio requiritur, neque ullus syllogismus, sicut nec comparatio extremorum, secus fere in quacumque actione instinctiva syllogismi et praedictae comparationes essent admittendae (1). Quod est absurdissimum. Forsan puer lactens mammillas sugit per syllogismum?

---

(1) Cl. Wasmann ad hanc difficultatem respondens ait: « La sua memoria (del cane) sensitiva serba l'immagine del pezzo di carne d'una volta e della soddisfazione della fame per mezzo di quell'oggetto così odoroso o così appariscente. Onde il cane, come risente fame in virtù del suo appetito sensitivo, cerca da capo la carne e gelosamente se ne impadronisce. Ma ha esso perciò anche un' *idea generale* della carne come alimento e dei mezzi utili per procurarsi quell'oggetto appetibile? Allora capirebbe assai bene che l'uomo acquista carne col denaro e regolerebbe di conseguenza la propria condotta. Trovando a caso qualche moneta se la piglierebbe per nasconderla e anche la ruberebbe occasionalmente al suo padrone per servirsene a quel fine. Tosto colla sua brava moneta volerebbe al macello, la deporrebbe sul bancone, con la zampa accennerebbe uno dei pezzi più belli ammiccando anche o abbaiando magari al venditore per fargli conoscere la propria intenzione », l. c. pag. 103, 104. E ciò si dovrebbe molto più facilmente verificare nei cani barboni che vengono ammaestrati e mandati al macello col denaro, colla sporta ecc. Come mai questi cani non si sono mai provvisti e dei denari rubandoli e della sporta, e non sono mai andati a procacciarsi la carne per mangiarsela? — Soggiunge poi molto saggiamente il citato autore che « precisamente le conclusioni materiali » dei bruti ci offrono prove molteplici della loro mancanza di intelligenza. Un esempio di questa specie ne lo dà Morgan di un Foxterrier al quale faceva portare un bastone per macchie, aperture strette di siepi ecc. Una volta il cane attraversando col bastone in bocca un buco di siepe, si orticheggiò. Da quell'istante e per parecchie ore non ci fu più verso di fargli portare quel bastone. Vi si gettava sù, è vero,

548. **Conclusio II.** — *Objectum adaequatum seu extensivum intellectus humani est, absolute loquendo, omne ens.*

Prob.: Objectum adaequatum seu extensivum alicujus facultatis est illud quod induit vel potest induere rationem formalem, quae per se, primo et directe percipitur ab illa facultate; e. g. visus potest percipere quidquid potest induere rationem coloris, et palatus quidquid potest induere rationem saporis. Atqui omne ens induit rationem, quae directe, immediate, et per se percipitur ab intellectu humano. Ergo objectum adaequatum seu extensivum intellectus humani est omne ens. — *Prob. minor:* Ratio quam intellectus humanus directe, primo et per se percipit est ipsa ratio *analogica entis* praecisa ab omnibus rationibus sive generibus sive specifis etc. et quae in omnibus rebus et rationibus rerum includitur (I, n. 426) et ratione cujus omnia intelligibilia sunt; quidquid enim concipitur, sub ratione communi entis concipi necesse est; qua sublata, omnis conceptio perit.

549. **Conclusio III.** — *Quamvis objectum extensivum intellectus humani sit omne ens, tamen objectum proportionatum ejus in praesenti statu conjunctionis ad corpus sunt essentiae rerum sensibilium.*

Prob.: 1°. Objectum proportionatum alicujus facultatis illud est, quod ab ipsa facultate directe et per se percipitur ex eo praecipue quod cum ipsa naturalem ordinem, relationem et, ut ita dicam, natura-

---

ma poi si arrestava e non si poteva toglierlo di bocca neppure con la forza. Invece un altro bastone tagliato di poi dal suo padrone lo portò senz' indugio. Solo dopo una lunga passeggiata si riconciliò anche col primo bastone ». Ivi p. 107. Una viva associazione e fugace tra la vista del randello e del dolore spiega tutto.

liter commercium habet et vim facultatis non excedit neque ejus conditionem. Atqui intellectus humanus directe et per se percipit essentias rerum sensibilium cum quibus relationem et, ut ita dicam, commercium aliquod habet, neque vis ejus ab essentiis rerum sensibilium, neque ejus conditio exceditur. Ergo essentiae rerum sensibilium sunt objectum proportionatum intellectus humani in praesenti statu. — *Prob. minor* ex eo quod intellectus est facultas animae, quae est forma substantialis corporis humani, quo mediante, cum aliis corporibus naturaliter communicat, neque ab eis exceditur ejus virtus aut conditio.

2.° Intellectus humanus in praesenti rerum conditione idest corpori unitus, non potest intelligere nisi per conversionem ad phantasmata rerum sensibilium. Atqui si objectum proportionatum ejus non essent essentiae rerum sensibilium sed alia objecta, quae sensibilia non sunt, sequeretur quod tunc non indigeret conversione ad phantasmata talia objecta cognoscendo; imo sequeretur quod omnia cognoscere posset sine conversione ad phantasmata. Ergo vere objectum proportionatum intellectus humani sunt essentiae rerum sensibilium. — *Prob. minor* 1.° ex parte objectorum, scilicet ex eo quod talia objecta quantum est de se possent optime intelligi sine phantasmate, imo phantasma esset inutile et nocivum ad ea cognoscenda, cum illa objecta sensibilia non sint; 2.° in tali hypothesi ex parte intellectus, qui potest cognoscere objectum suum proportionatum eo modo quo objectum in se cognoscibile est; imo intellectus non posset ipsum cognoscere per conversionem ad phantasmata alia ratione, quia scilicet prius cognosceret tale objectum quam essentias rerum sensibilium, quarum sunt phantasmata. Et similiter cognosceret omnia etiam sensibilia sine

conversione ad phantasmata, nam ea cognosceret ratione objecti primarii idest intelligibilis puri cujus non sunt phantasmata, et ideo independenter a phantasmatibus omnia cognosceret.

3.° Si alia objecta ab essentiis rerum sensibilium distincta essent objectum proportionatum intellectus humani, intellectus humanus essentias rerum sensibilium per tale objectum cognosceret, non ergo per phantasmata, neque per sensus exteriores, tamquam per medium naturale. Atqui hoc manifeste falsum est, nam coecus natus, qui per visum non percipit colorem, neque proinde per phantasma potest colorem in se ipso reproducere, non habet ideam de coloribus, et similiter qui a nativitate caret alio sensu non habet ideam de objecto talis sensus. Ergo nonnisi essentiae rerum sensibilium possunt esse objectum proportionatum intellectus humani in praesenti rerum conditione (1).

550. **Conclusio IV.** — *Quamvis objectum proportionatum intellectus humani in praesenti statu sint essentiae rerum sensibilium, tamen essentiae rerum sensibilium non directe in earum specifica differentia vel etiam generica cognoscuntur, sed indirecte per earum proprietates accidentales et operationes.*

Prob.: Essentiae rerum ita sunt objectum cognitionis seu ita cognoscuntur ut explicantur per ipsa vocabula, nam vocabula sunt signa conceptuum. Atqui explicationes et notiones etiam philosophicae rerum sensibilium in earum differentia specifica vel generica inspectarum non dantur nisi per earum extrinsecas proprietates vel per earum actiones extrinsecas et sensibiliter manifestatas. Ergo essen-

(1) Cf. D. Mercier, Psicol., Par. III, n. 160 (1.ª vers. Ital. Super. 5.ª ed. Gallic. a Bersani confecta 1900).

tiae rerum sensibilium in sua differentia specifica vel generica consideratae non directe et per se sunt objectum cognitionis nostrae intellectivae seu intellectus, sed mediantibus proprietatibus et actionibus earum extrinsecis. — *Prob. minor* ex facto ipso: animal e. g. non explicatur nisi per hoc quod dicitur ordinari ad sentiendum, planta vivens nonnisi per hoc quod dicitur ordinari ad vegetandum, homo vero ad ratiocinandum. — Assignatur utique ratio fundamentalis, puta ratio entis vel substantiae, sed aliae determinationes nonnisi per proprietates extrinsecas, quae patent ulterius per operationes seu per ordinem ad propriam operationem explicantur (1).

551. **Conclusio V.** — *Objectum directum, immediatum, proportionatum intellectus animae a corpore separatae est objectum non sensibile sed spirituale et intelligibile.*

Prob.: Illud est objectum directum, immediatum et proportionatum intellectus animae separatae cum quo anima separata habet directam relationem et quod est ei directe et per se praesens. Atqui anima separata non habet per se, directe relationem cum objectis sensibilibus cum quibus nonnisi mediantibus sensibus communicat, sed cum rebus seu cum objectis intelligibilibus. Ergo in statu separationis objectum directum, immediatum et proportionatum est intelligibile (2).

552. **Conclusio VI.** — *Non tamen quodlibet objectum intelligibile est objectum intellectus animae separatae proportionatum.*

Prob.: Inter objecta intelligibilia sunt quaedam objecta et plura esse possunt quae summopere excedunt ipsam animam in perfectione et conseqnen-

(1) Cf. S. Th. P. I. qu. 89. a. 8.
(2) Cf. S. Th. l. c. et ib. a. 2. c.

ter vim et efficaciam intellectus humani, puta Deus et substantiae separatae, quae minus recedunt a Dei perfectione quam anima humana (1). Atqui objectum quod summopere excedit vim et efficaciam intellectus non est objectum ejus proportionatum. Ergo non quodlibet objectum intelligibile est objectum proportionatum intellectus animae separatae.

553. **Ipsa anima humana separata est objectum proportionatum intellectus in illo statu separationis.** — Ex dictis sequitur veluti corollarium animam separatam a corpore esse objectum intellectui humano in illo statu proportionatum, nam omnes conditiones requisitae ad rationem proportionati objecti in anima separata inveniuntur respectu illius ; anima enim separata est per se intelligibilis, est praesens imo intime praesens intellectui, est ad ipsum commensurata quippe quaelibet res est per se loquendo commensurata suis proprietatibus et viceversa. —

(1) Ad rem S. Thomas « Quia essentiae rerum sunt nobis ignotae, virtutes autem earum innotescunt nobis per actus ; utimur frequenter nominibus virtutum vel potentiarum ad essentias significandas. Sed quia nihil notificatur nisi ex hoc quod est sibi proprium opertet quod, cum aliqua essentia notificatur per suam potentiam, designetur per potentiam sibi propriam ». Subjungit autem Angelicus quod essentia, cum designatur, debeat designari per ultimum actum et nobiliorem potentiae quia in ultimo actu potentiae propriae implicite includuntur quasi praesuppositi actus inferioris potentiae. « Et ideo, prosequitur ipsemet, si aliqua res per suam potentiam debeat designari, oportet quod designetur per ultimum potentiae suae. Anima autem quae est in plantis habet infimum gradum inter potentias animae, unde ab ea denominatur cum dicitur nutritiva vel vegetabilis. Anima autem bruti pertingit ad altiorem gradum, scilicet qui est sensus ; unde ipsa anima vocatur sensitiva, vel quandoque etiam sensus. Sed anima humana pertingit ad altissimum gradum qui est inter potentias animae et ex hoc denominatur ; unde dicitur intellectiva et quandoque etiam intellectus et similiter mens : inquantum scilicet ex ipsa nata est effluere talis potentia, quia est sibi proprium prae aliis animabus ». De verit. qu. X. a. I.

Unde sequitur etiam quod intellectus in illo statu intelligat animam et quidem perfecte et plene ita scilicet ut cognoscat omnia quae ei insunt, et quae ipsam perficiunt atque actuant. Unumquodque enim est cognoscibile inquantum est actu (1).

554. **Conclusio VII.** — *Operationes et proprietates rerum sensibilium a nobis cognoscuntur mediantibus sensibus respectivis.*

Prob.: Operationes et proprietates rerum sensibilium nisi res illae agant in sensus nostros sive mediate sive immediate, nobis innotescere non possunt; unde ille qui caret aliquo sensu non cognoscit actiones et proprietates relativas; puta coecus natus non cognoscit actionem colorum, neque lucis, neque ipsos colores, neque lucem, neque proprietates rei sensibilis ex hujusmodi actionibus notas; imo actiones illas simul cum impressionibus vel affectionibus saepe nimis esse vehementes notamus. Unde diversae operationes et consequenter proprietates correspondentes rerum sensibilium per ordinem ad sensus respectivos etiam classificantur; insuper juxta diversas impressiones vel diversos effectus quos producunt in sensum respectivum alias distinctiones suscipiunt; e. g. alia est actio lucis, alia duritiei, etc. et similiter alia actio rubri, alia viridis etc. Quae actiones ad diversas correspondentes proprietates cognoscendas vel admittendas evidenter ducunt. Atqui haec omnia actiones et proprietates rerum sensibilium a nobis mediantibus sensibus cognosci testimonium evidentissimum perhibent. Ergo vere ita cognoscuntur.

555. **Conclusio VIII.** — *Sensus ipsi a nobis cognoscuntur et distinguuntur per ordinem ad actiones et proprietates correspondentes illorum objectorum sensibilium.*

(1) Cf. S. Th. l. c. et ib. a. 2. c.

Prob.: Sensus a nobis non cognoscuntur et distinguuntur ut sunt facultates operativae distinctae adinvicem nisi per eorum proprios actus : e. g. visus per visionem, auditus ut est potentia operativa distincta etc. nonnisi per actum seu per actionem correspondentem cognoscitur. Atqui actiones sensuum non cognoscuntur nisi per ordinem essentialem ad actiones et proprietates respective correspondentes, ad illas enim ordinem habent essentialem. Ergo sensus ipsi a nobis cognoscuntur inquantum important ordinem ad actiones et proprietates correspondentes seu respectivas relative illorum objectorum sensibilium (cf. supra de objectis facultatum animae n. 413).

556. **Corollarium.** — Cognitio quam intellectus habet sensuum in suis operationibus coinvolvit cognitionem aliquarum actionum, proprietatum et aliqualiter essentiarum rerum sensibilium.

II. Cognitio rerum seu essentiarum rerum sensibilium est magis vel minus perfecta secundum quod plures vel pauciores cognoscuntur earum actiones in sensus et quatenus hujusmodi actiones intensius vel perfectius et minus perfecte cognoscuntur.

III. Quia actiones sensuum ut sunt perceptiones ex sua natura primo et per se ordinantur ad hoc ut objecta seu proprietates objectorum referant ut sunt principia activa, ideo primo ab intellectu cognoscuntur sub hoc respectu, secundo ut sunt affectiones subjecti sentientis seu sensuum.

IV. Quia objecta seu essentiae rerum sensibilium praesupponuntur earum actionibus et proprietatibus et non dependent ab intellectu neque a fortiori a sensibus in proprio esse sicut et in proprio operari, ideo non competit eis per se intelligi mediantibus sensibus, sed accidentaliter idest respectu illius intellectus qui ex sensibus procedit ad cognoscendum.

V. Intellectus humanus quanto plures proprietates abstrahit seu percipit juxta unum vel plures sensus, tanto magis et perfectius cognoscit essentiam rei sensibilis.

Caput XXIV.

De passivitate intellectus.

(Auctores cap. praec. citati).

557. **Quaestio.** — Determinato objecto intellectus humani, merito quaeritur de habitudine intellectus ad ipsum, an scilicet active se habeat ipsum efficiendo quasi sit forma et origo objectorum suorum, vel e contra supponat objectum suum a quo determinetur in sua intellectione, idest quaeritur an intellectus sit potentia activa vel passiva (n. 415).

558. **Doctrina Kantiana.** — Concedit Kant quod objectum adaequatum intellectus est ens universaliter sumptum quod de omnibus affirmatur, sed tamen negat quod ens sit aliquid reale in natura existens. Ponit ergo Kant conceptum entis in mente nostra, sed addit talem conceptum esse quid pure ideale a mente effectum, cui an realitas ulla extra mentem correspondeat, nescimus. Quando ergo affirmamus quod Petrus est ens, lapis est ens etc., nulla realitas de Petro, aut de lapide affirmatur; idem dicendum est de quocumque alio objecto, sed solummodo applicatur quidam conceptus mentis, et ideo ideale purum affirmatur de iis, quae realia esse apparent (I, n. 250). Conceptus ergo entis in mente nostra existens et ea quae ab intellctu nostro cognoscuntur non habent valorem objectivum realitatis, quasi sint extra mentem, sed sunt in mente nostra, quia a mente intelliguntur et intantum sunt quatenus intelliguntur; nam eorum esse et realitas

in hoc consistit quod nobis appareant esse et a nobis intelligantur seu apprehendantur.

559. **Formae Kantianae.** — At sicut conceptus entis in mente existens, cui juxta Kantium nihil in natura extra mentem correspondere affirmare possimus, est quaedam *forma,* seu quidam modus sub quo omnia objecta concipiuntur (nam et homo concipitur sub ratione entis, et effectus, quantitas, etc.), ita etiam multae aliae formae a Kantio ponuntur in mente, quae sunt diversi mentis conceptus. Ad explicandam ergo varietatem et multiplicitatem eorum quae a nobis cognoscuntur, Kant non recurrit ad existentiam talium in natura extra mentem, sed ad ipsam mentem; ideo in mente distinguit varias conceptiones et varias operationes, quas formas vocat et quas dicit a mente ipsa procedere spontanee *a priori,* quia juxta ipsum non sunt ab *objectis realibus* experientiae.

560. **Divisio formarum.** — Quaedam formae a Kantio dicuntur formae sensibilitatis, videlicet illae sunt quae ab intellectu spontanee conjunguntur elemento materiali idest objectis sensibilitatis, quae sunt phaenomena sensus seu objecta sensibilia, vi quarum nobis exhibentur objecta sensibilia; et vocantur *categoriae.* Nam sensibilia, quae nobis apparent sive a nobis apprehenduntur, aut apprehenduntur sub ratione *unitatis,* et ideo ad hoc phaenomenon explicandum ponitur in mente quaedam forma sive categoria, quae dicitur *unitas;* vel apprehenduntur sub ratione *pluralitatis* ut plura, et ponitur categoria vel forma, quae dicitur *pluralitas;* vel apparent sub ratione totius vel totalitatis, idest apparent ut totum, et ponitur forma, vel categoria quae dicitur *totalitas;* aut aliquod objectum exhibetur menti ut alteri conveniens et ponitur forma, quae

dicitur *affirmatio,* vel ut disconveniens et ponitur altera quae dicitur *negatio ;* aut exhibetur objectum ut *limitatum,* et ad hoc ponitur forma, quae dicitur *limitatio ;* vel exhibetur objectum ut alteri inhaerens et ponitur forma quae dicitur *inhaerentia,* vel ut subsistens, et habetur *subsistentia,* aut sub ratione causantis et habetur *causalitas et dependentia* si consideretur respectu *effectus,* vel *commercium* si consideretur inter causans et illud quod apparet esse causatum. Ponitur in mente forma quae vocatur *possibilitas* ad explicandum id quod apparet ut possibile, *impossibilitas,* ad explicandum id quod ut impossibile; ponitur forma, quae dicitur *existentia* ad explicanda ea, quae apparent ut existentia; et tandem ponitur *non existentia et contingentia.* En *categoriae* Kantianae quae dicuntur etiam formae sensibilitatis. — Hae igitur illae sunt de quibus satis diffuse egimus in ontologia (n. 616 seqq.) videlicet: *Unitas, pluralitas, totalitas ; — realitas (affirmatio), negatio, limitatio ; — inhaerentia et subsistentia, causalitas et dependentia, commercium ; — possibilitas et impossibilitas, existentia et non existentia, necessitas et contingentia.* — Quibus aliae duae formae sensibilitatis externae et internae adduntur ad explicandum quare objecta sensibilia appareant nobis aut in *spatio* aut in *tempore* existentia; et has formas Kant vocat *spatium* et *tempus.*

561. **Ideae Kantianae.** — Praeter recensitas formas Kant ponit tres *ideas* quas dicit a ratione pura haberi, quatenus haec praedictis categoriis in suis ratiociniis innititur (1), idest ideam *animae,* ideam *finalitatis* rerum et ideam *Dei.* Distinguit enim

(1) Cf. KANT: *La ragione pura,* trad. cit., vol. 4, pagg. 214-215.

Kant triplex *ratiocinium* seu ratiocinandi modum idest: 1.° *categoricum* innixum scilicet in categoria substantiae et accidentis, quod ducit ad aliquod subjectum absolutum, incommunicabile utpote absolute unum, quod est ipsa idea *psychologica, idest idea ego vel animae;* 2.° ratiocinium *hypotheticum* categoriae causae et effectus innixum ad *ideam* dependentiae a quadam *totalitate* (1), ducens omnium quae a mente concipiuntur, quae idea est idea *mundi* seu cosmologica ; 3.° ratiocinium disjunctivum innixum categoriae mutuae actionis ducens ad *ideam* unius absolutae *unitatis* omnium realitatum quasi ab illa dependeant et originem ducant, et haec est *idea Dei* seu theologica (2). Et sic explicat ea omnia, quae ab intellectu nostro concipiuntur circa animae essentiam, proprietates etc. circa Deum et circa finalitatem rerum, quia scilicet res omnes concipiuntur ordinari in finem. Per ideam animae ergo habetur scientia *psychologica,* per ideam Dei habetur scientia *theologica* seu *theologia* naturalis, per ideam *finalitatis* habetur *cosmologia,* quae est scientia rerum mundanarum, seu, ut dicunt, *teleologia.* Unde in hac doctrina et anima et Deus et mundus et omnia quae de iis concluduntur sunt pura idealia. Igitur omnia in hac doctrina subjectiva sunt idest in intellectu ; sunt enim puri conceptus mentis et ideo aliquid exclusive ideale. Nihilominus Kant objecta intelligibilia saltem verbis non negat, sed ait de his, si dentur, nihil a nobis cognosci pone utpote omnino extra objecta cognitionis nostrae positis (cf. I, 313). In hac Kantii doctrina admittitur mundus sensibilis et ordo physicus (phaenomenicus), sed omnis

---

(1) *Totalitas* est tertia categoria subjectiva.

(2) Cf. Frick, Logica 4, 222 cit. a Reinstadler, Criteriol., p. 148.

realitas metaphysica et ordo metaphisicus negatur (cf. I, n. 376 seqq.).

562. **Conclusio doctrinae Kantianae.** — Ergo in doctrina Kantiana concluditur quod objectum intellectus humani non est aliquid extra intellectum, sed est aliquid ideale, et intantum est inquantum intelligitur, et intantum intelligitur inquantum est cum exclusive sit in ipso intellectu. Scilicet intellectus non passive se habet ad proprium objectum, sed active ipsum efficiendo.

563. **Consectaria hujus doctrinae.** — Schelling, Ficht et Hegel ut legitimam et immediatam consequentiam ex hac doctrina deduxerunt pantheismum idealisticum, in quo adseritur *subjectum cogitans* esse unicam realitatem, si realitas est, in qua omnia identificantur. Quidquid est aut concipi potest, est in subjecto cogitante cum ipso subjecto identicum, quia nihil a subjecto cogitante distinctum et extra ipsum esse potest, quamvis objecta quae intelliguntur ut distincta inter se se et a subjecto cogitante, intellectui exhibeantur. Unde juxta distinctionem quae esse apparet inter subjectum cogitans et objectum cognitum distinguitur *τὸ ego* a *τὸ non ego*. Tale subjectum vocatur *τὸ* absolutum (l' assoluto). Quidam eadem doctrina Kantiana innixi ipsi subjecto cogitanti cum suis actibus conscientiae et intelligentiae etc. omnem realitatem denegant. (cf., n. 25). Contra quam pestiferam doctrinam sit:

564. **Conclusio.** — *Intellectus humanus est potentia essentialiter passiva.*

Prob.: 1.° Si intellectus humanus non esset potentia passiva, sed activa, ita scilicet ut suum objectum intelligendo efficeret, sequeretur quod objectum ejus tantum esset quantum intelligeretur ab intellectu, et eo modo esset, quo semper ab intellectu intelligeretur; nam effici obiectum, intelligi ab intellectu, et

ideo esse objecti esset unum et idem; unde Kant docet quod objectum intellectus est quid pure ideale. Atqui absurdum omnino est et contradictorium ponere quod 1.° objectum intellectus sit tantum quantum ab intellectu humano de facto intelligitur et 2.° eo modo semper quo ab intellectu humano intelligitur. Ergo intellectus humanus non est potentia activa respectu proprii objecti quasi ipsum efficiat intelligendo, sed est facultas passiva essentialiter ipsum supponendo. — *Prob. minor.:* 1.° *Absurdum est ponere quod objectum intellectus sit tantum quantum ab intellectu intelligitur:* nam objectum intellectus est ens transcendentaliter sumptum seu est omne ens, quod infinite multiplicari potest, ut patet ex iis quae probata sunt (n, 546); intellectus autem humanus infinita non intelligit; imo multa de facto sunt quae ab intellectu humano non intelliguntur, ut patet, et ut omnes penes quos lumen intellectus et sensus communis est adhuc, concedunt. — 2.° *Absurdum est ponere quod res semper sint eo modo, quo ab intellectu humano intelliguntur:* nam si res essent semper eo modo, quo esse ab intellectu humano intelliguntur, sequeretur quod contradictoria essent simul vera, nam hoc quod ita esse ab intellectu hujus hominis, e. g. Kantii intelligitur, opposito et contradictorio modo intelligitur esse ab alio intellectu, e. g. ab intellectu Platonis vel Aristotelis, qui realitatem objectorum in natura extra intellectum posuerunt contra doctrinam idealistarum. Ergo contradictorium et absurdum est ponere quod res semper sint in se eo modo, quo ab intellectu humano intelliguntur.

2.° Doctrina, quae docet intellectum esse potentiam activam, idest, quae ponit exclusive objecta idealia opponitur iis, quae intellectus habet ut per se manifesta et per se nota. Atqui absurdum est ponere aliquid ut verum per ratiocinationem deductum, quod

opponitur iis, quae intellectus habet ut per se nota. Ergo doctrina quae docet intellectum esse potentiam activam est omnino absurda. — *Prob. major.:* quod objecta, quae intellectus percipit, habeant realitatem et independentiam ab intellectu et ab intellectu praesupponantur, est veritas, quam intellectus humanus semper habuit et habet ut per se evidentem et notam.

Confirmatur: Doctrina kantiana de activitate intellectus circa proprium objectum est per ratiocinationem deducta: et haec doctrina opponitur doctrinae de passivitate intellectus, idest de realitate objecti extra intellectum, quae ab intellectu humano retinetur ut per se manifesta et per se nota. Atqui absurdum est amplecti conclusionem, quae in se obscura est, oppositam iis, quae lumini intellectus manifesta et per se nota apparent (I, 117). Ergo absurda est doctrina de activitate intellectus.

3.° Aut principia ex quibus Kant suam doctrinam deduxit de activitate intellectus humani habent valorem objectivum ita ut sint in seipsis vera independenter ab intellectu, aut sunt purae ludificationes et apparentiae intellectus. Si habent valorem objectivum independenter ab intellectu, sequitur quod saltem illa principia non sunt ab intellectu, qui proinde ea supponit et non se habet active; si autem sunt purae ludificationes intellectus et pura phaenomena subjectiva, sequitur quod etiam doctrina Kantiana de activitate intellectus humani sit pura ludificatio, et ideo in se et objective non est vera (cf. I, 194 et seqq. n. 382).

565. **Corollarium.** — Ex quibus patet absurditas pantheismi germanici sive a Schelling, sive a Ficht, sive ab Hegel in doctrina kantiana extructi. — Adde quod hujusmodi systemata pugnant non solum cum ratione, sed etiam cum conscientia et ideo sunt omnino rejcienda.

Caput XXV.

De intellectu possibili et agente.

(S. Th., P. I, qu. LXXIX, art. III, IV et V, cum comm. supra citatis, idem S. Thomas in comment. super Aristotelem de Anima, Joannes a S. Th.; Suarez, Zigliara, l. c., cap. I, art. II; Liberatore, Lorenzelli, Mercier, Schiffini, Willems, Hugon et alii scholastici).

566. **Intellectus possibilis, et intellectus agentis notio.** — Scholastici praeter divisiones supra relatas intellectus (n. 536 et seq.) distinguebant et distinguunt etiam intellectum in possibilem et agentem. Nomine intellectus *possibilis* intelligunt ipsam animae facultatem intellectivam quatenus est principium et subjectum intellectionis, et ideo quatenus subjectum scientiae et idearum; vocant autem *possibilem* quia intellectus ab initio nullam cognitionem habet, nullam scientiam, nullam ideam, ut dicunt scholastici, sed paullatim ideas, cognitiones et scientiam acquirit. Intellectus autem *agentis* nomine intelligunt vim seu facultatem animae intellectivae, vi cujus objecta sensibilia intelligibilia reduntur.

567. **Quaestio.** — Quaestio movetur circa existentiam intellectus agentis: est ne admittenda aliqua vis in anima vi cujus objecta sensibilia intelligibilia fiunt?

568. **Quomodo intellectus se habeat circa sensibilia cognoscenda.** — Propositae quaestioni rite responderi non potest nisi determinetur quomodo intellectus noster se habeat respectu proprii et proportionati objecti cognoscendi. Dictum est (n. 548) objectum proportionatum intellectus humani in pre-

senti statu esse essentias rerum sensibilium ; sed essentiae rerum sensibilium dupliciter considerari possunt : 1.° secundum propriam singularitatem, prout sunt in individuis per notas individuantes determinatae, et sic sunt ipsa singularia, e. g. Petrus, hic lapis, etc. ; 2.° possunt considerari sine notis individuantibus quoad rationem propriam specificam, aut genericam ; e. g. potest considerari *essentia hominis* in specie prout per definitionem exprimitur et prout de pluribus praedicatur (I, n. 178-181-258). Quaeri ergo potest : quomodo intellectus se habet respectu talium objectorum ? objectum ejus primarium sunt universalia vel singularia ?

569. **Conclusio I.** — *Intellectus cognoscit primo et directe universalia, idest essentias sensibilium universales, et nonnisi ratione universalium cognoscit objecta singularia et individua.* — Haec conclusio supponit intellectum tum universalia, tum singularia cognoscere : quod quidem de universalibus manifestum est ex dictis supra et in logica (I, n. 174 et seqq.), de singularibus autem per se est evidens : nam intellectus applicat conceptus universales ipsis singularibus de ipsis judicando ; quomodo autem de singularibus posset judicium proferre nisi singularia cognosceret ? Igitur :

Prob. conclusio : 1.° Cognosci non potest singulare nisi per cognitionem universalium. Ergo universale primo, directe et per se cognoscitur, indirecte vero et per aliud cognoscitur singulare. — *Prob. antec. :* Non potest ab intellectu cognosci Petrus ut individuus nisi intellectus cognoscat prius quid sit homo, neque hic lapis, nisi cognoscat lapidem absolute : nam in cognitione individui et singularis includitur cognitio universalis ; unde diximus (I, n. 283) quod ens includitur in quacumque cognitione.

2.° Adsumantur duo objecta singularia, e. g. duo folia chartae omnino similia; intellectus ea non distinguit inter se se nisi per hoc, quod unum in una parte spatii, aliud vero in altera repositum est; unde si forte haec duo folia commutent locum, ita ut ubi erat folium A ponatur aliud B, inscio intellectu qui ea ut distincta apprehenderat, ab eodem intellectu non amplius distinguuntur; ratio est quia id per quod intrinsece individuantur et distinguuntur ab intellectu non cognoscitur. Ergo non cognoscitur principium eorum individuationis, et ideo neque ipsa individua in se cognoscuntur. At si ponatur aliquod signum in uno folio et non in altero, tunc intellectus sufficienter unum ab altero discernit per illud signum. Item si ponatur signum omnino simile etiam in altero folio, iterum habetur confusio ex parte intellectus, qui amplius non discernit unum ab alio. Ratio hujus est quod signum sub ratione *universalitatis* in sua natura specifica consideratum, positum in uno et non in altero est sufficiens ad hoc ut unum ab intellectu discernatur et consequenter ut cognoscatur. Ergo intellectus cognoscit et distinguit unum singulare ab alio propter aliquam notam in eo conceptam sub ratione universalitatis, quae nota non est in altero. (1) Non ergo intellectus per se et directe cognoscit cognitione distincta et vera singularia, sed per universalia, quae proinde directe et per se cognoscit.

---

(1) Scholastici septem notas recensebant quibus posset unum individuum ab alio distingui, hujusmodi enim notae licet divisim pluribus convenire possint, tamen simul sumptae in earum determinatione nonnisi uni. Sunt autem sequentes:

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen.

Haec ea sunt septem quae non habet unus et alter.

570. **Conclusio II.** — *In anima intellectiva est admittenda aliqua vis, qua objecta sensibilia redduntur intelligibilia, et haec vis vocatur intellectus agens.*

Prob.: Ab intellectu humano manifestum est objecta sensibilia singularia et individua cognosci. Atqui haec per se et directe non sunt cognoscibilia. Ergo oportet ut fiant cognoscibilia per aliquod medium. Atqui tale medium non potest esse nisi vis animae. Ergo in anima admittenda est aliqua vis qua objecta sensibilia individua fiant cognoscibilia et cognoscantur ab intellectu. Ergo est ponendus intellectus agens; sic enim vocatur illa vis animae.

Confirmatur 1.°: Objecta sensibilia quamvis in se sint singularia et individua et contingentia, tamen apprehenduntur ab intellectu nostro sub ratione universalitatis, necessitatis, aeternitatis, sine motu etc. Atqui hoc esse non potest nisi per vim intellectus humani. Ergo in anima humana intellectiva est po nenda aliqua vis per quam sub tali ratione universalitatis etc. ab intellectu cognoscuntur, quae vis dicitur intellectus agens. — *Prob. minor:* nam quod talia objecta sub statu abstractionis, sub ratione necessitatis, universalitatis etc. apprehendantur, aut est ex parte objectorum ut sensibus exhibentur aut ex parte virtutis intellectivae: non potest esse ex parte objectorum ut sensibus exhibentur, quia objecta ut sensibus exhibentur singularia sunt, individua, contingentia etc. Ergo remanet quod nonnisi ex parte virtutis intellectus tali modo, idest sub statu abstractionis, universalitatis, necessitatis etc. apprehendantur.

Confirmatur 2.°: Intellectus potest apprehendere unum sine altero; e. g. potest apprehendere rationem entis in aliquo objecto non apprehensa ratione specifica aut generica etc., item potest apprehendere ra-

tionem specificam sine ratione individuali, potest apprehendere rem sine loco in quo res quam apprehendit reperitur, sine contingentia, sine motu, qui tali rei conjungitur. Ergo in anima est vis naturaliter abstractiva, vi cujus nata est unum percipere sine alio; haec autem vis dicitur intellectus agens; ergo intellectus agens est omnino admittendus (1).

571. **Conclusio III.** — *Intellectus agens nihil est aliud quam intuitus quidam ad modum habitus ipsam animae essentiam comitans.*

Prob. 1.°: Esse in nobis intuitum abstrahentem naturas universales experimento cognoscimus. Ergo vere lumen intellectus agentis est praedictus intuitus. — Haec ratio ita exponitur a S. Thoma: « Oportet dicere quod in ipsa (anima) sit aliqua virtus derivata a superiori intellectu, per quam possit phantasmata illustrare. Et hoc experimento cognoscimus dum percipimus nos abstrahere formas universales a conditionibus particularibus quod est facere actu intelligibilia. Nulla autem actio convenit alicui rei, nisi per aliquod principium formaliter ei inhaerens, ut supra dictum est. Ergo oportet virtutem qua est principium hujus actionis esse aliquid in anima » (2). Adde quod vis superioris intellectus a qua haec vis animae derivatur non est in doctrina S. Thomae nisi intuitus, ut infra dicetur.

2.° Lumen intellectus agentis est virtus activa spiritualis veluti quaedam participatio luminis intellectualis a substantiis separatis (3). Atqui lumen intel-

---

(1) Cf. ea quae diximus in logica de universalibus (I, n. 174 et seqq.).

(2) P. I. qu. 79. a. 4. c.

(3) Cf. S. Thom. in 3.° De Anima, lect. X et P. I qu. 79, a. 4, c.

lectuale substantiarum separatarum est ipse intuitus intellectus ipsarum ad modum habitus (1). Ergo etiam lumen intellectus agentis est intuitus quidam ad modum habitus.

3.° Lumen animae corpori conjunctae non potest esse diversum a lumine intellectus animae separatae, si consideretur uti proprietas ab anima emanans; differentia poterit esse quoad exercitium ratione diversitatis objecti, quatenus in statu separationis dirigitur ad objecta spiritualia et per se intelligibilia, in statu vero conjunctionis animae cum corpore ad sensibilia; poterit esse differentia quoad intensitatem, sed non quoad essentiam. Atqui in statu separationis lumen intellectuale animae est intuitus. Ergo etiam lumen intellectus agentis in statu unionis debet esse intuitus, licet diminutus et ad sensibilia conversus.

4.° Vere datur in anima nunc intuitus imperfectus permanens qua anima semper intelligit se indeterminate, ut docet S. Thomas (cf., pag. 419 in nota). Atqui talis intuitus praecedit quodcumque exercitium intellectus, est verum intelligere licet imperfectum, est verum lumen et quidem, per animae conversionem ad ipsa phantasmata, manifestativum seu apprehensivum naturae universalis seu naturae indeterminatae mediante abstractione. Ergo intellectus agens seu lumen intellectus agentis est ipse animae intuitus, ad modum habitus in anima existens, ab ea emanans quo anima semper indeterminate intelligit seu percipit se, vertibilis seu convertibilis ad ipsa phantasmata et pertingens ad ipsam naturam sensibilem eam percipiendo veluti proprium ejus objectum non perceptis iis, quibus ipsa natura determinatur. Unde

(1) Quaest. IX, De verit., a. I. c.

S. Thomas ait : « Intellectus noster abstrahit species intelligibiles a phantasmatibus inquantum considerat naturam rerum in universali » (1).

572. **Differentia intellectus possibilis et intellectus agentis.** — Intellectus possibilis et intellectus agens, ut magis patebit ex dicendis de speciebus intelligilibus, non sunt duae potentiae animae realiter distintae sed sunt duo munera ejusdem potentiae. Tamen est aliqua distinctio inter eos sicut inter potentiam et habitum non quidem acquisitum, sed naturalem. « Intellectus agens, ait S. Thomas, est sicut habitus quidam. Hujus autem verbi occasione quidam posuerunt intellectum agentem idem esse cum *intellectu* qui est habitus principiorum. Quod esse non potest, quia *intellectus* qui est habitus principiorum, praesupponit aliqua jam intellecta in actu, scilicet terminos principiorum, per quorum intelligentiam cognoscimus principia : et sic sequeretur quod intellectus agens non faceret omnia intelligibilia ut hic philosophus dicit ; dicendum est ergo quod habitus sic accipitur secundum quod Philosophus frequenter consuevit nominare omnem formam et naturam habitum, prout habitus distinguitur contra privationem et *potentiam,* ut sic per hoc quod nominat eum habitum, distinguat ab intellectu possibili qui est potentia » (2), eo ferme modo scilicet quo intellectus qui est habitus principiorum distinguitur ab eodem intellectu possibili.

572. **Objectio.** — S. Thomas ait : « Quandoque (philosophi) ponunt quatuor intellectus scilicet intellectum agentem, possibilem, et in habitu et ade-

---

(1) P. I., qu. 85., a. I, ad 5.m.

(2) De Anima, l. III, lect. X.

ptum ; quorum quatuor intellectus agens et possibilis sunt *diversae potentiae* sicut et in omnibus alia est potentia activa et alia passiva ». (1) Ergo iuxta S. Thomam intellectus agens et intellectus possibilis sunt due potentiae realiter distinctae.

Resp. : Nego consequentiam, quae ex antecedenti non sequitur. Ex antecedenti solum sequitur in anima esse potentiam veram abstrahendi species intelligibiles et potentiam veram eas recipiendi, et has potentias esse diversas ob munus diversum, idest extrahendi species et recipiendi, at non sequitur esse potentias duas *realiter* distinctas, potest enim idem esse in potentia et in actu secundum aliam et aliam rationem. — Unde omnes potentiae acquirentes habitus sunt in actu secundum illos actus ex quorum repetitione acquiruntur habitus, et sunt in potentia ad habitum acquirendum. S. Thomas intellectum agentem et intellectum possibilem vocat diversas potentias ob diversa et distincta munera in ordine ad agendum excercenda. Et hoc patet etiam ex iis quae sequuntur in contextu, ubi circa alios intellectus recensitos considerat non diversa munera operandi, sed diversos status secundum quos ratio potentiae non attenditur. Sic enim dicit. « Alia tria distinguuntur secundum tres status intellectus possibilis. Qui quandoque est in potentia tantum et sic dicitur *possibilis ;* quandoque autem in actu primo qui est scientia, et sic dicitur intellectus in *habitu ;* quandoque autem in actu secundo qui est considerare, et sic dicitur intellectus in *actu* sive *intellectus adeptus* » (1). Unde dicimus quod intellectus

---

(1) P. I. qu., 79, a. 10.
(2) l. c.

agens est facultas ipsa intellectiva quae ante acquisitionem habitus considerat hoc est abstrhait intuendo naturas universales a singularibus singulas et singulas intellectus; possibilis vero est eadem facultas realiter, diversa tamen formaliter quatenus acquisito habitu vel acquisitis diversis habitibus per praecedentes actus intellectus agentis eis utitur ad perfecte intelligendum. — Cf. supra n. 545 nota.

Caput XXVI.

De voluntate.

(S. Th., p. I, qu. LXXVII a. I-II, cum comm. Cajet., Bannez, Sylvii, etc.; idem S. Th.,I-II, qu. 6. cum comm. Cajet, Alvarez, Medinae etc.; Zigliara, *Psych.*, lib. V, cap. I, art. VI et cap. II, art. I et II; Liberatore, l. c., Schiffini, l. c., Mercier, Hugon, *Psychol.*).

573. **Ratio capitis.** — Juxta promissa (n. 3) agentes de facultatibus animae rationalis ultimo loco edisserendum manet de voluntate humana hoc est de appetitu intellectivo; etenim, sicut ad facultates sensitivas cognoscitivas sequitur appetitus sensitivus de quo suo loco egimus, ita ad facultatem intellectivam sequitur appetitus intellectivus de quo proinde remanet agendum post ea quae diximus de intellectu. Sed appetitus intellectivus hoc est voluntas potest considerari tripliciter idest 1.° in se 2.° in ordine ad intellectum, 3.° in ordine ad appetitum sensitivum. Unde sub his respectibus per varia capita voluntas est consideranda.

574. **Quid intelligitur nomine voluntatis.** — Nomine voluntatis intelligitur appetitus intellectivus seu inclinatio sequens intellectum in bonum ab eodem intellectu apprehensum. Actus quo voluntas fertur in bonum, generico vocabulo dicitur *appetitio;* proprie autem et specifice dicitur *volitio,* vel actus voluntatis.

575. **Existentia voluntatis et distinctio ejus ab appetito sensitivo.** — De existentia appetitus intellectivi dubitari non licet post ea, quae attulimus de appetito sensitivo agentes (n. 468); illa enim argumenta afferri possunt ad probandam hujus appetitus existentiam; sed claritatis gratia sit:

576. **Conclusio.** — *In homine* 1.° *existit appetitus intellectivus, qui* 2.° *omnino ab appetitu sensitivo distinguitur.*

Prob. 1.ª *pars:* 1.° In homine est inclinatio, seu appetitio rerum suprasensibilium. Atqui appetitus pure sensitivus non se extendit nisi ad sensibilia objecta, ut patet ex terminis. Ergo in homine est admittendus appetitus seu facultas appetitiva superior appetitu sensitivo, quae facultas dicitur voluntas.

2.° In homine praeter formam naturalem, quae est in coeteris rebus, et praeter formas sensitivas quibus sensus fit in actu et quae sunt etiam in coeteris animalibus, est forma intellectiva, qua homo apprehendit verum et bonum intelligibile. Ergo sicut ad formam naturalem sequitur inclinatio naturalis, et ad formas sensitivas sequitur appetitus seu inclinatio sensitiva in bonum sensibile apprehensum per sensum, ita ad formam intellectivam sequitur inclinatio ei proportionata in bonum, quod per intellectum apprehenditur: et talis inclinatio vocatur appetitus intellectivus, sive voluntas.

Prob. 2.ª *pars:* 1.° Intellectus est facultas omnino distincta a facultate cognoscitiva sensus, ut patet ex dictis (n. 342 et 545); intellectus enim est facultas solius animae et ideo inorganica, sensus autem est facultas compositi et organica. Atqui appetitus sensitivus sequitur facultatem cognoscitivam sensus et ei proportionatur, et ideo est facultas organica sicut est facultas cognoscitiva sensus; e contra voluntas sequitur intellectum qui est facultas inorganica et spiritualis, et proinde etiam voluntas inorganica facultas esse debet et spiritualis. Ergo voluntas omnino distinguitur ab appetitu sensitivo.

2.° Appetitus sensitivus et appetitus intellectivus sunt potentiae passivae, quae a movente diverso secundum genus natae sunt moveri. Atqui passiva et mobilia distinguuntur secundum distinctionem activorum et moventium seu motivorum, nam motivum oportet ut sit proportionatum mobili et ipsa potentia passiva ordinem habet ad suum activum. Ergo appetitus sensitivus et intellectivus omnino distinguuntur. — *Prob. maj.:* nam appetitus sensitivus movetur ab objecto apprehenso per sensum, appetitus autem intellectivus movetur ab objecto apprehenso per intellectum: objectum autem sensus et intellectus differunt secundum genus.

577. **Objectum voluntatis.** — Objectum voluntatis est bonum per intellectum apprehensum, sicut objectum appetitus sensitivi est bonum apprehensum a sensu. Malum vero sub ratione mali non potest esse voluntatis objectum, quippe nullus appetitus fertur in malum nisi fortasse malum apprehendatur sub ratione boni; ratio enim boni ab intellectu apprehensa potest movere appetitum licet vera non sit. Quia ergo intellectus potest apprehendere omne bonum transcendentaliter sumptum seu omne bo-

num quod cum ente convertitur, ideo omne ens potest comparari ad voluntatem sicut ejus objectum; hoc autem verum est et de ente quod habet rationem finis et de ente quod habet rationem medii, tum prout ducit in finem tum etiam inquantum in sua natura habet ordinem, proportionem et coaptationem ad finem (1).

578. **Quaestio prima.** — Sed ea quae ab intellectu apprehenduntur aut necessitatem habent aut contingentiam; ideo videndum est quomodo voluntas ad talia objecta se habeat. Quaeritur 1.° ergo an voluntas aliquid ex necessitate appetat: 2.° an omnia ex necessitate velit.

579. **Necessitatis notio et origo.** — Necessarium dicitur quod ita est ut non possit non esse; unde quod ita convenit alicui ut non possit ei non convenire dicitur ei necessarium. Hoc autem convenit alicui vel ex principio intrinseco vel ex principio extrinseco.

580. **Necessarium ex principio intrinseco duplex.** — Necessarium ex principio intrinseco attenditur vel ex parte formae, sicut cum dicimus quod homo necessario est animal rationale, necessario circulus est rotundus etc.; vel ex parte materiae, sicut cum dicimus: omne compositum ex contrariis necessario corrumpitur. Haec duplex necessitas dicitur naturalis et absoluta. Si haec necessitas est conformis inclinationi naturali et appetitus sicut adhaesio animae objecto beatitudinis viso in se, dicitur necessitas *libentiae* et *spontaneitatis;* hac necessitate in divinis Deus Pater producit Filium etc.

---

(1) Cf. S. Th. 1-2ae qu. 8. a. 2.

581. **Necessarium ex principio extrinseco duplex.** — Necessarium ex principio extrinseco potest attendi vel ex parte finis, vel ex parte alicujus agentis. Ex parte finis dicitur aliquid necessarium quando sine ipso finis obtineri non potest, sicut conservatio vitae sine cibo ; vel etiam quando finis sine ipso, licet possit obtineri, non tamen convenienter, et tale dicitur necessarium necessitate convenientia, vel ad melius esse ; et haec necessitas interdum dicitur etiam utilitas. Necessarium ex agente illud dicitur, quod a potentiori agente inducitur contra inclinationem naturalem, ita ut illi agenti resisti non possit ; sicut cum aliquis cogitur ab aliquo agente contra suam inclinationem, ita ut contrarium non possit agere ; et haec dicitur *necessitas* coactionis, vel etiam *violentia*. His positis, quaestioni propositae respondetur.

582. **Conclusio I.** — *Necessitas coactionis seu violentia omnino repugnat voluntati.*

Prob. : Coactum sive violentum illud dicitur quod est a principio extrinseco contra inclinationem naturae, cujus actus proinde impeditur. Atqui in voluntate non potest esse nisi actus ab ipsa inclinatione voluntatis procedens. Ego coactio seu violentia omnino repugnat voluntati. — *Prob. minor :* Actus quilibet in voluntate existens est actus voluntatis, hoc est a voluntate procedens, et ideo ab inclinatione voluntatis, nam inclinatio voluntatis est ipsa voluntas (n. 446, 574).

583. **Conclusio II.** — *Voluntas necessitate naturali vult ultimum finem, idest beatitudinem in communi.*

Prob. : Unaquaelibet res adhaeret seu inclinatur immobiliter et necessario (quando ipsa est) in illud quod est fundamentum et principium omnium alio-

rum, quae ipsi rei conveniunt. Atqui ultimus finis, qui est beatitudo, est fundamentum et principium omnium, quae voluntati conveniunt, idest omnium actuum voluntatis. Ergo voluntas necessario necessitate naturali adhaeret ultimo fini, qui est beatitudo in genere, et in ipsam inclinatur.

Confirmatur : Voluntas in omnibus actionibus felicitatem et beatitudinem quaerit; ergo in ipsam necessario inclinatur; quod enim semper et in omnibus et naturaliter convenit alicui rei, necessario convenit.

584. **Conclusio III.** — *Voluntas potest velle aliquid necessario necessitate finis.*

Prob. : Qui vult finem vere et efficaciter vult etiam ea quae sunt necessaria ad finem consequendum. Sed contingere potest quod quaedam sint necessaria ad finem consequendum ipsi voluntati. Ergo voluntas potest velle aliquid necessario necessitate finis. — Necesse tamen est ut finis exhibeatur voluntati per intellectum clare et evidenter cognitus et ipsum medium ut necessario et evidenter connexum cum fine, ut voluntas illud necessario velit.

585. **Voluntas ut natura et voluntas ut voluntas.** — Voluntas considerata in ordine ad felicitatem, seu beatitudinem in communi, quam necessario, immobiliter, naturaliter, semper et in omnibus appetit, dicitur voluntas ut *natura;* considerata autem in ordine ad ea, quae non necessario, sed libere appetit, dicitur voluntas *ut voluntas,* vel etiam volunluntas *ut ratio.* Necessitas qua voluntas vult finem, aut ea, quae ut necessario connexa cum fine ab intellectu evidenter et immediate apprehenso exhibentur voluntati, dicitur necessitas *libentiae* et *spontaneitatis,* ut distinguatur a necessitate coactionis,

quae voluntati convenire non potest. Actus quo voluntas vult bonum, dicitur volitio, quae si est finis seu felicitatis in genere vel objecti evidenter et immediate apprehensi ab intellectu ut necessario connexi cum felicitate seu cum fine, dicitur spontanea vel necessaria, si vero est objecti particularis veluti medii ad finem vel etiam objecti universalis mediate apprehensi dicitur libera, vel elicita.

586. **Quaestio.** — Sed nunc movetur quaestio an actus quo voluntas vult finem ab actu quo voluntas vult media distinguatur vel sit idem.

587. **Duplex consideratio actus quo voluntas vult media.** — Actus quo voluntas vult media ad finem dicitur *electio,* quae licet principaliter ad voluntatem pertineat, ut docet S. Thomas (P. I, q. 83, a. III. c.) et nos dicemus infra, tamen pertinet etiam ad intellectum, inquantum scilicet in ipsa electione includitur judicium ultimum practicum liberum intellectus, per quod voluntas seu velle voluntatis determinatur respectu boni particularis, quod voluntas eligit. Unde actus voluntatis potest considerari prout est determinatus per judicium practicum et est electio, et prout importat ipsum velle praecisum ab judicio practico. (Cf. Nost. theol. vol. II c. V. n. 58. *Dices).*

588. **Punctum quaestionis.** — Igitur si actus voluntatis circa media quatenus *electionem* complete importat, consideretur, certe esse multiplicem juxta multiplicitatem objectorum volitorum particularium manifestum est, nam judicium practicum intellectus multiplex est et varium juxta pluralitatem et diversitatem seu distinctionem objectorum. Igitur quaestio praesens respicit exclusive ipsum motum voluntatis qui dicitur *velle,* praecise ab ipso judicio practico sumptum.

589. **Conclusio.** — *Actus quo voluntas tendit in media idest in ea quae sunt ad finem, praecise sumptus a determinatione quam habet per judicium practicum intellectus, non distinguitur realiter ab actu quo tendit in finem.* — (Cf. Nost. theol. spec. vol. I. c. XXIX, n. 294).

Prob.: 1.° Ille actus seu motus quo aliquis agens tendit in finem per medium aliquod non distinguitur ab actu quo tendit in ipsum medium. Atqui voluntas tendit in finem suum, idest in felicitatem seu in bonum simpliciter per bona particularia, quae sunt ut media ad finem consequendum. Ergo actus seu motus quo voluntas tendit in media, idest in ea bona particularia quae sunt ad finem, non distinguitur realiter ab actu quo tendit in finem, idest ad felicitatem.

2.° Quidquid voluntas vult, vult propter felicitatem, idest propter ultimum finem, qui est ratio volendi omnia quae voluntas vult, ita scilicet ut in ea quae sunt ad finem, idest in bona particularia, non possit ferri nisi feratur in ultimum finem. Atqui, ut ait Angelicus « unus et idem motus voluntatis est quo fertur in finem secundum quod est ratio volendi ea quae sunt ad finem, et in ipsa quae sunt ad finem » (1). Ergo actus quo voluntas tendit in media et ipsa vult, si in se sumatur et praecise a judicio practico, realiter non distinguitur ab actu quo voluntas vult finem et fertur in ipsum. Unde S. Thomas ait: « Quandocumque quis vult ea quae sunt ad finem, vult *eodem actu finem* » (2).

3.° Actus quo voluntas fertur in finem et vult ipsum est omnino sufficiens, quantum est ex parte

---

(1) Cf. S. Th. I-II; qu. VIII; a. II, et III, c.
(2) Ib., ad 2.

voluntatis, ad volendum etiam bonum particulare quod habet rationem medii ad finem illum ; unde si simul ab intellectu exhibetur voluntati finis et medium illud ut practice judicatum conveniens hic et nunc, voluntas vi volitionis finis fertur etiam sin bonum illud et ideo si voluntas vi volitionis finis non vult bonum illud quod est medium ad ipsum finem, unice contingit ex eo quod intellectus hic et nunc non exhibet per judicium practicum hic et nunc illud medium tanquam conveniens. Ergo ad actu volendum sufficit ut suppleatur ex parte illius judicii practici. Consequenter ex parte voluntatis sufficit ipsum velle quo ipsa fertur in finem.

590. **Objectio.** — Actus quo intellectus percipit principia est alius ab actu quo percipit conclusiones, et viceversa actus quo percipit conclusiones est alius ab actu quo percipit principia. Ergo similiter actus quo voluntas vult ea quae sunt ad finem est alius ab actu quo voluntas vult finem.

Resp. 1.° *dist. antec.* : Si seorsum consideret principia et conclusiones, *conc.*; si conclusiones consideret seu percipiat in principiis, *nego. Et nego conseq.* — Nam intellectus potest considerare conclusiones seorsum a principiis, voluntas autem non potest velle bonum particulare idest medium nisi ratione finis ; unde in quacumque volitione includitur ipsa volitio felicitatis.

Resp. 2.° : *Nego* paritatem ; nam intellectus tendit per se in suum objectum, voluntas autem nonnisi mediante intellectu a quo exhibetur objectum a quo actus voluntatis specificatur. Unde motus voluntatis non variatur formaliter ex ipsa voluntate, sed ex hoc quod ab intellectu novum exhibetur objectum. A voluntate autem habetur variatio quasi efficienter indirecte, inquantum scilicet voluntas tendens in fi-

nem, idest ad felicitatem, movet intellectum ad hoc vel illud bonum considerandum ; et in hoc vel illo bono sistit per judicium practicum ad quod movet intellectum, qui proinde in judicio practico ultimo a voluntate pendet, et propterea tale judicium dicitur liberum ; ratio est quia tale judicium est circa *contingentia* cum sit de rebus agendis quae a nobis fieri possunt et de bonis particularibus circa quae voluntas indifferenter se habet (1).

591. **Corollarium.** — Voluntas toto conatu suae naturae fertur in finem, idest in felicitatem, et quia in felicitatem tendit per bona particularia, quae ordinarie non exhibentur ei ab intellectu nisi ut bona diminuta quasi scilicet non sufficientia ad desiderium et inclinationem felicitatis explendam, ideo non fertur voluntas in ipsa totu conatu quo ad felicitatem tendit, sed magis vel minus voluntatis inclinatio eis inhaeret, et non necessario in ipsa fertur cum voluntas possit alia quaerere et per ea tendere in fine.

Caput XXVII.

De libertate arbitrii.

(S. Th., p. I, qu. LXXXIII et I-II qu. XIII a VI cum comm. Cajetani, et aliorum ut supra. Idem S. Th. qu. 24 de verit, et qu. 6 de Malo ; Joa. a S. Thoma ; Nostr. theol. spec. vol. II c. V ; Zigliara, l. c. art. III ; Rosselli, l. c., quaest. XXI, art. II ; Mercier, Psychol. p. III, c. I, sez. II, § II ; Schiffini, Metaph. Spec. Pars altera, disp. III, Sect. III et IV ; Farges, Puccini, Janvier, La libérté même, 1904, Hugon, l. c.).

592. **Quaestio prima.** — Quaestio, quae solvenda occurrit in praesenti, est de existentia liberi arbitrii in homine. Haec quaestio summi momenti est, utpote basis et fundamentum totius moralitatis actionum humanarum.

(1) Cf. S. Th. I-II ; qu. XIII, a VI ad 2.^{m}.

593. **Osores libertatis.** — Multi sunt osores nostrae libertatis; fatalistae imprimis, qui omnia ex necessitate evenire contendunt, item materialistae omnes et sensistae, qui non distinguentes intellectum a sensu, neque ipsum appetitum intellectivum distinguunt ab appetitu sensitivo, cui nulla libertas convenire potest. Inter recentiores qui negant libertatem arbitrii celeberrimi sunt *deterministae* quorum systema dicitur *determinismus* quatenus asserit omnes nostras actiones a causis externis determinari physicis, vel a motivis seu rationibus sufficientibus ita scilicet ut voluntas semper id quod melius apparet necessario sequatur et velit.

594. **Notio libertatis.** — Nomine liberi arbitrii intelligitur facultas, qua substantia, cujus est talis facultas, potest unum eligere altero recusato; vel facultas, qua natura intellectualis potest velle et non velle hoc vel illud. Unde libertas arbitrii importat dominium actus volitionis et nolitionis respectu hujus vel illius objecti particularis et consequenter respicit media ad finem: unde contra finem non datur vera libertas sed habetur abusus libertatis quae proinde scite a S. Thoma passim dicitur: *vis electiva mediorum servato ordine finis.*

595. **Libertas in actu primo et in actu secundo.** — Nomine libertatis in actu primo intelligitur ipsa facultas in se spectata, quatenus in sua nuda natura considerata se habet indifferenter ad agendum vel non agendum, seu ad volendum hoc vel illud. Nomine libertatis in actu secundo intelligitur ipse actus voluntatis liberae seu ipsa facultas libera actualiter agens. Libertas hoc modo considerata non importat indifferentiam, sed determinationem: nam impossibile est actu agere, licet libere, nisi ponatur actus determinatus.

596. **Conclusio.** — *Homo vere libertate arbitrii praeditus est.*

Prob.: 1.° Homines 1.° *sapientissime* se invicem hortantur ad opera quaedam agenda et ad abstinendum ab aliis, puta a malis; 2.° *sapientissime* quaerunt consilium de agendis et non agendis, praecipue circa ea, quae esse noxia vel utilia incertum est; 3.° *sapientissime* laudantur ob actiones bonas, et vituperantur ob actiones pravas; 4.° *sapientissime* praemiantur pro actionibus bonis et puniuntur pro pravis. Atqui *stultum* et *absurdum* est hortare hominem ad opera agenda, de quibus dominium per liberum arbitrium non habet et ad quae ex necessitate naturae impellente adigitur, *stultum* et *absurdum* est de iisdem quaerere consilium, *stultum* est laudare aut vituperare hominem propter opera, quae vitare non potest, et *stultum* est et *absurdum* ei propter eadem opera conferre praemium aut poenam. Ergo vere homo libertate arbitrii praeditus est.

2.° Cum voluntatis objectum non sit nisi bonum prout ei exhibetur ab intellectu, illud solummodo bonum voluntas necessario vult, quod ei ut evidenter necessarium ab intellectu exhibetur. Atqui solummodo beatitudo voluntati ab intellectu exhibetur ut objectum ei evidenter necessarium, bona vero particularia non ut necessaria exhibentur. Ergo voluntas ex necessitate vult beatitudinem, sed bona particularia non ex necessitate vult.

3.° Inclinatio seu facultas, quae ex sua natura non ordinatur ad unum, sed se habet ad plura et opposita, non ex necessitate fertur in unum. Atqui voluntas ex sua natura non ordinatur ad unum bonum particulare, sed se habet ad plura, quae sunt opposita. Ergo voluntas non ex necessitate fertur in bonum particulare. — *Prob. minor:* Cum voluntas sit

inclinatio, seu facultas appetitiva sequens rationem, ex sua natura se habet ad bona, quae per judicium et consilium rationis ei exhibentur. Sed consilium et judicium rationis potest exhibere et de facto exhibet plura bona particularia et opposita. Ergo voluntas ex sua natura non ordinatur ad unum bonum particulare, sed se habet ad plura, quae sunt opposita.

Confirmatur: Si voluntas ex necessitate vellet illud bonum particulare, quod de facto vult, frustra in homine esset consilium et judicium rationis circa plura bona et opposita prosequenda.

4.° Voluntas ex *necessitate naturali* ad beatitudinem inclinatur. Sed ipsa fertur saepe in particularia objecta, ut sunt peccata, quae ex sua natura avertunt ipsam a beatitudine et a fine. Ergo si voluntas *ex naturali necessitate* vellet objecta particularia, *ex naturali necessitate* inclinaretur in beatitudinem et simul a beatitudine averteretur. Quod contradictorium est.

5.° Conscientia testatur invicte nos habere dominium propriarum actionum quae voluntariae dicuntur, nullo vero modo testatur eas nos ex necessitate peragere; et hoc quidem non solum contingit in praesenti sed semper contigit in praeterito ita scilicet ut testimonium interius evidentissimum dictet nos libere ex electione voluntatis egisse. Atqui testimonium conscientiae est veritatis criterium certissimum. Ergo in nobis esse liberum arbitrium ambigi nequit.

Confirmatur: Nos esse liberi arbitrii ad illas veritates pertinet quae tanquam per se omnibus ineluctabiliter notae exhibentur. Ergo de libertate arbitrii existentis in nobis dubitari non licet, ita scilicet ut argumenta quae in contrarium a ratione

afferuntur non possint esse nisi putida sophismata; et ut vera sophismata veluti a priori rejici debent, quippe conclusio per ratiocinium deducta veritati *per se notae* opposita est judicanda ut sophistica et falsa (cf. n. I, 394).

597. **Solvuntur difficultates.** — *Objectio* 1ª Deterministae physici ita objiciunt: Summa virium seu energiarum naturae constans est atque invariabilis quippe est semper eadem. Atqui libertas arbitrii huic energiarum constantiae opponitur et est cum ipsa incompatibilis. Ergo libertas arbitrii non est admittenda (1).

Resp. 1.°: Transmisso antecedente, *nego minorem* et *conseq.:* nam libertas in electione seu in actu voluntatis consistit quatenus voluntas completur per liberum judicium. Actus autem voluntatis et judicium pertinent ad facultates spirituales supra materiam et vires materiae elevatas atque proinde libertas in sua formali ratione extra vires materiae consideranda est; unde ab illa constantia virium est independens.

Resp. 2.° *Dist. majorem:* Summa virium naturae est constans atque invariabilis si consideretur materialiter et quantitative *concedo* vel transeat; si consideretur formaliter et qualificative *nego.* Et contraddistincta *minori, nego* consequentiam. — Vires

(1) Post Kant Stuart Mill, Schopenauer, Wudt, Fouillié, Herbert Spencer et alii putant vel putare affectant oportere ut determinismo adhaereant omnes qui scientiae possibilitatem admittunt. Verum, ut animadvertit Noël Leon, id verificatur in eorum tantum sententia absurda qui, cum omnia naturae phaenomena censeant non esse nisi quosdam motus corporum, explicationem mechanicam omnium phaenomenorum, ut olim Hobbes et nuper Comte, H. Spencer, Taine, tradere conantur. (Cf. *La conscience de Libre Arbitre*, citati auctoris. Paris, Lethielleux, 1900).

naturae in eadem summa materiali et quantitativa permanentes possunt multipliciter variari, ad plures effectus applicari, ad plures et varios fines imo indefinitos ordinari qualitative diversos atque proinde campus vastissimus libertatis exercitio reliquitur. Ego e. g. iisdem viribus materialiter in me existentibus possum uti ad plures et varios effectus: possum eis uti ad ambulandum, ad laborandum, ad ambulandum in hac via vel in alia, ad loquendum hoc vel illud, ad hoc aedificium in tali loco aedificandum vel in alio etc.

Resp. 3.° Si naturae vires omnes reducerentur ad purum motum et nonnisi motum importarent, et si verus esset putidus materialismus ita ut nulla vis supra materiam et materiae vires existeret, vera esset illatio quae deducitur ex praemissis: sed quia oppositum est omnino dicendum ut sensus communis proclamat et ut per rationem ostendimus (n. 98-110) ideo conclusio est omnino rejicienda. — Imo ipsamet libertas arbitrii tam manifeste et ineluctabiliter a conscientia et ab exigentia naturae humanae petita veluti speciale argumentum addi potest ad alia quae adduximus ad absurditatem doctrinae quae hic praesupponitur confirmandam.

Instant deterministae dicentes: Omnia in natura procedunt ex quadam lege. Ergo nihil subest libero arbitrio quod proinde purum nomen est.

Resp. 1.° Natura ipsa cum suis legibus a Deo procedit qui libera voluntate mundum produxit uti supra ostensum est (n. 40, 153) et ideo per hoc argumentum saltem liberum arbitrium Dei non labefactatur.

Resp. 2.° negando *antec.* si sumatur universaliter; 1.° quia ipsa natura cum suis legibus, seu materia a Deo est per liberrimam voluntatem, non ex lege, 2.° quia saltem ipsae hominis et cujuscumque sub-

stantiae spiritualis electiones prout sunt actiones immanentes non sunt ex lege sed ex libero arbitrio ut probatum, imo ut per se evidens est: 3.° quia ipsa experientia ostendit plura in natura non ex lege sed ex pura libera hominis voluntate procedere.

Resp. 3.° Licet plurima (non omnia) in natura procedant ex lege, tamen ex hoc non sequitur negatio liberi arbitrii, 1.° quia, uti jam diximus, plura non ex lege procedunt, 2.° quia ea quae ex lege procedunt, non omnia procedunt eodem modo, et licet quaedam ex lege procedentes non subsint libero hominis arbitrio, tamen plura ex lege procedentes ei subsunt. Loqui eodem modo de omnibus procedentibus ex lege absurdum est, quia non omnes leges naturae sunt aequales. Certe quod sol oriatur aut non oriatur non pendet ab hominis libero arbitrio — sed quod haec vel illa arbor vel plures arbores fructum producant licet arbor ex lege operetur potest pendere ex libero alicujus hominis arbitrio, quatenus in hominis potestate est apponere impedimentum ne producat vel illam custodire ut producat, et similiter quod in hoc agro nascatur avena aut granum ex libero alicujus hominis arbitrio pendere potest. Igitur concedimus liberum hominis arbitrium quoad exteriora non se extendere ad omnia; negamus tamen circa nulla et nullo modo exerceri (1).

---

(1) Neque absolute concedi debet summam energiarum etiam materialiter et quantitative esse invariabilem, ut supra notavimus pag. 100 in nota; sed circa constantiam legum physicarum mihi referre liceat verba clar. P. Duhem citati a P. Hugon l. c. pag. 175: « La loi n'atteint donc pas plus la liberté humaine que la liberté divine; elle n'est une objection ni contre l'une ni contre l'autre. Pour nous le principe de la conservation de l'energie n'est, en aucune manière une affirmation certaine et général concernant des objets réellement existants. C'est une formule mathematique que pose un

Obj. 2.ª Deterministae spiritualistae seu psychologici objiciunt: Actus voluntatis quod dicitur electio a motivo determinante semper causatur; unde si voluntati exhibeantur duo objecta omnino aequalia in quorum nullo sit ratio praeponderans voluntas neutrum eligere potest. Atqui motivum determinans voluntatem ad agendum excludit libertatem. Ergo libertas non datur.

Resp.: Dist. antec.: Si per motivum determinans intelligatur ratio necessitans et impellens voluntatem *nego;* si per motivum determinans intelligatur aliqua ratio sufficiens sufficienter alliciens voluntatem quasi coefficiens cum ipsa voluntate ut habeatur ex voluntate (libere agente) ipsa electio libera *conc.* Motivum extrinsecum est certe principium determinationis, sed ipsa determinatio est a libera voluntate. Utraque causa requiritur nempe objectum includens motivum et ipsa voluntas libera quae sequatur illud motivum ab intellectu exhibitum. Ad rationem pro antecedenti adductam respondet Angelicus his verbis: « Nihil prohibet si aliqua duo aequalia proponantur secundum unam considerationem, quin circa alterum

---

libre décret de notre entendement, afin que cette formule, combinée avec d'autres formules postulées d' une manière analogue, nous permette de déduire une série de conséquences et que ces conséquences nous fournissent une representation suffisante de lois constatées dans nos laboratoires.... Il est déjà clair que cette question: « La loi de la conservation de l'énergie est elle ou non compatible avec le libre arbitre? » ne peut avoir pour nous aucun sens? *Nous étions certains d'avance que dans la classification que nous combinions, aucune place n'était réservée aux actes libres. Que si nous constatons, après cela, qu'un acte libre ne saurait être compris dans notre classification, nous serions fort naifs de nous étonnner et fort insensés d'en conclure que le libre arbitre est impossible* ». *Physique de croyant*, pp. 19-21. Libr. Blond, extrait de: Annales de Phil. Chrétienne, 1906.

consideretur aliqua conditio per quam emineat et magis flectatur voluntas in ipsum quam aliud » (1). Ratio est quia voluntas potest applicare intellectum ad considerandam aliquam praeminentiam sive absolutam sive relativam, sive objectivam sive subiectivam in uno et non in altero ; et sic potest alterutrum eligere alio recusato. Insuper voluntas potest recusare utrumque, et quaerere aliquod tertium objectum, et sic exercet alio modo actum libertatis circa haec duo bona ea recusando.

Obj. 3.ª Objectum voluntatis comparatur ad ipsam sicut movens ad mobile. Atqui in mobili sequitur de necessitate motus ex movente. Ergo voluntas ex necessitate movetur a proprio objecto.

Resp. : dist. maj.: Objectum voluntatis quod est universale bonum, *conc. ;* quod est particulare bonum, *subd. ;* comparatur ad voluntatem sicut movens cujus virtus non excedit et sibi non subjicit potentiam mobilis, idest voluntatis, *conc. ;* cujus virtus excedat..., *nego. Et contrad. min. :* ex movente sequitur necessario motus in mobili, si virtus moventis excedat *potentiam* mobilis, *conc. ;* secus, *nego.* Et *dist. conseq.:* voluntas movetur ex necessitate ab objecto proprio et adaequato, quod est ipsum bonum universale, *conc. ;* ab objecto particulari, *nego.* — Si voluntati exhibeatur universale bonum, idest bonum infinitum clare et evidenter in se cognitum ab intellectu, certe voluntas ex necessitate movetur, quia tale bonum totam capacitatem et potentiam voluntatis sibi subjicit et explet : sed aliter dicendum est de bono particulari (2).

Subsumes : Atqui voluntas ex necessitate movetur ab objecto particulari. Ergo. — *Prob. minorem subs. :*

(1) I-II qu. 13, a. 6 ad 2m.
(2) Cf. S. Th. p. I qu. LXXXII, a. 2 ad 2m.

Voluntas quando ei exhibetur bonum particulare aut ab eo movetur ut ipsum velit, aut ut nolit. Sed non potest ab eo moveri ut nolit. Ergo ex necessitate movetur ab eo ut ipsum velit.

Resp.: 1.° *transeat maj.* et *nego min.;* nam potest bonum particulare exhiberi voluntati a ratione ut nocivum, vel quatenus retardat consequtionem finis, vel ut impeditivum alterius medii, quo voluntas facilius finem consequitur, vel ut unum medium inter multa media, quae aequaliter ac ipsum possunt ducere in finem. Imo quamvis ratio tale bonum sub dicto aspectu fortasse non exhibeat de facto voluntati, tamen absolute loquendo potest exhibere: et ideo oportet ut voluntas ex necessitate non determinetur ad illud, ut possit rejicere si forte sub tali aspectu exhiberetur.

Resp. 2.° *nego maj.:* nam in praesentia boni particularis voluntas potest etiam remanere in sua indifferentia, quin actum aut nolitionis aut volitionis eliciat.

Instabis: Appetitus sensitivus fertur ex necessitate in objectum per sensum apprehensum. Ergo et voluntas necessario fertur in objectum apprehensum per intellectum.

Resp. negando consequentiam et *paritatem:* aliter exhibetur objectum a sensu appetitui sensitivo, et aliter exhibetur objectum voluntati ab intellectu; nam sensus exhibet appetitui sensitivo objectum ut unum in se exclusive, et ideo habetur determinatio ad unum ex parte appetitus, sed intellectus exhibet bonum voluntati sub indifferentia judicii, idest non ut unum, sed simul cum aliis in ordine ad finem, qui indifferenter per diversa media potest judicari consequibilis (1).

(1) Pro aliis diff. cf. nostram theol., vol. II, c. V., et S. Thomam tum in Summa, tum in aliis locis supra citatis.

598. **Diversimode se habet voluntas ad diversa libertatis objecta.** — Objectum libertatis est bonum particulare multiplex quod habet rationem medii ad finem. Medium autem ad finem pro voluntate in triplici classe prout est objectum libertatis circa quod voluntas exercet libertatis dominium distingui potest, videlicet 1.° Actiones ipsae a voluntate procedentes quae libertatem ipsam in actu secundo constituunt et quae electiones dicuntur; et circa has voluntas habet plenum dominium inquantum potest libere hoc vel illud eligere et velle, altero recusato; 2.° actiones quae procedunt ab aliis hominis potentiis et quae a voluntate imperantur; hujusmodi sunt actiones intellectus, sensuum et vis motivae. Et circa has voluntas exercet dominium utique non plenum, sed diminutum, quia ad tales actiones alia saepe requiruntur quae quandoque non sunt in dominio voluntatis; 3.° objecta et res exteriores, quae tamen non omnes subduntur voluntatis arbitrio, imo multo plura sunt quae non subjiciuntur quam quae subjiciuntur propterea quod legibus distantiae, connexionis, fixitatis etc. diriguntur sicut etiam propter limitationem intellectus, ipsius liberi arbitrii virtutis et ob defectum instrumentorum.

Caput XXVIII.

De indifferentia et necessitate in ordine ad libertatem.

599. **Quid est indifferentia et ejus species.** — Indifferentiae nomine intelligitur idem modus se habendi ad plura sive agenda sive recipienda. Indifferentia excludit necessitatem habendi unum prae alio et dici potest etiam immunitas a necessitate, quam supra distinximus in necessitatem *coactionis et libentiae*

(n. 580-581). Idem modus se habendi ad plura agenda dicitur *indifferentia activa*, ad plura recipienda dicitur *indifferentia passiva*. Idem modus se habendi ad agendum vel non agendum, ad agendum hoc vel illud dicitur *indifferentia subjectiva* vel *formalis*, si consideretur ex parte voluntatis, et dicitur etiam *physica* sic considerata ; *indifferentia* autem ad agendum bene vel male *moraliter* dicitur *indifferentia moralis ;* dicitur *objectiva*, si consideretur idem modus se habendi ex parte objecti ad terminandum *velle* aut *nolle* voluntatis; dicitur *contradictionis* vel *exercitii*, si consideretur in ordine ad ponendum actum aut simpliciter non ponendum ; *contrarietatis* in ordine ad actus oppositos emittendos, e. g. ad amandum vel odio habendum idem objectum ; dicitur *disparitatis* vel *specificationis*, si consideretur respectu diversorum objectorum.

600. **Quaestio.** — Quaestio nunc valde complexa movetur an et quaenam indifferentia requiratur ad libertatem : cui quaestioni respondetur per sequentem conclusionem :

601. **Conclusio.** — *Ad rationem libertatis requiritur* 1.° *indifferentia seu immunitas a necessitate coactionis et libentiae*, 2.° *indifferentia activa*, 3.° *indifferentia objectiva*, 4.° *indifferentia subjectiva*, 5.° *Sufficit tamen indifferentia contradictionis seu exercitii*, 6.° *non requiritur indifferentia moralis, hoc est ad agendum bene vel male.*

Prob. 1.ª *pars* ex eo quod hae duae necessitates excludunt dominium proprii actus.

Prob. 2.ª *pars :* Libertas importat dominium emittendi vel non emittendi hunc vel illum actum. Atqui dominium emittendi seu producendi actum, vel hunc actum prae alio concipi nequit sine indifferentia activa. Ergo haec omnino requiritur.

Prob. 3.ª *pars :* Indifferentia objectiva est idem modus se habendi objecti ad terminandos oppositos actus voluntatis, idest velle aut nolle. Atqui ex parte objecti omnino requiritur ut quantum est de se eodem modo se habeat ad terminandos oppositos actus voluntatis, idest velle et non velle: nam si objectum se habeat ex sua natura solummodo ad velle, necesse est ut voluntas illud velit, si autem solummodo ad nolle, voluntas ex necessitate ipsum non vult, et ideo non habet in sua potestate velle et non velle illud. Ergo indifferentia objectiva essentialiter requiritur ad libertatem.

Prob. 4.ª *pars :* Indifferentia subjectiva est idem modus se habendi ex parte voluntatis ad volendum et nolendum. Atqui ex parte voluntatis idem modus se habendi ad volendum et nolendum essentialiter requiritur ad libertatem, secus voluntas esset determinata ex sua natura ad unum. Ergo ex parte voluntatis indifferentia subjectiva omnino ad libertatem requiritur. — Adverte tamen hanc indifferentiam considerari in voluntate antequam agat, quia dum actu agit, voluntas non est indifferens ad agendum, sed determinatur.

Prob. 5.ª *pars :* Ad libertatem sufficit quod voluntas habeat dominium sui actus. Atqui per indifferentiam exercitii seu contradictionis, idest per hoc quod potest velle et non velle, habet dominium sui actus. Ergo indifferentia exercitii sufficit ad libertatem.

Prob. 6.ª *pars :* Libertas est perfectio, imo est nobilissima perfectio. Atqui indifferentia moralis idest ad agendum male moraliter non est perfectio, sed imperfectio. Ergo indifferentia moralis non est de ratione libertatis, sed est defectus et imperfectio libertatis. — *Prob. minor :* Indifferentia moralis ad bene vel male agendum importat inclinationem in malum, idest

in peccatum, quae inclinatio certe perfectio non est, sed defectus. — *Confirmatur :* In Deo et in beatis non est indifferentia moralis, et tamen in eis est nobilissima libertas. Et utinam etiam nostra libertas ad malum indifferentiam excluderet! Quanto esset perfectior! (1).

602. **Quaestio tertia.** — Certum est quod necessitas suppositionis ex parte voluntatis non auferat libertatem, supposito e. g. quod quis velit, non potest non velle; non tamen necessario vult, sed libere : unde actus voluntatis liber est. Igitur quaeritur an necessitas suppositionis, quae est ex parte Dei in actu libero divinae voluntatis destruat liberbertatem humanam : idest, supposito quod Deus velit libere et efficaciter aliquod objectum, e. g. actum voluntatis humanae, destruitur libertas humana? Affirmant Molinistae, negant Thomistae.

603. **Conclusio.** — *Necessitas suppositionis quae est ex parte voluntatis divinae efficaciter volentis actum voluntatis humanae non destruit libertatem humanam.*

Prob. 1.° Necessitas suppositionis ex parte voluntatis divinae non aufert contingentiam a rebus. Ergo neque aufert libertatem humanam. — *Prob. antec. :* nam secus omnia quae a Deo fiunt essent necessaria. *Prob. conseq. :* Ex hoc ipso quod ab actibus humanis non aufertur contingentia, actus contigentes sunt in se, et ideo ex hoc quod ex facultate libèra procedunt, sunt etiam liberi idest respectu facultatis, quamvis necessarii ex suppositione.

2.° Necessitas suppositionis voluntatis humanae non officit libertati humanae. Atqui necessitas suppositionis voluntatis humanae necessitatem suppositionis voluntatis divinae praesupponit, imo a neces-

---

(1) Cf. S. Th. P. I, qu. LXXII, a. ad. 3.^{m}

sitate suppositionis voluntatis divinae derivatur. Ergo necessitas suppositionis voluntatis divinae non officit libertati humanae. — *Prob. minor:* nam voluntas humana et quidquid est in ipsa a voluntate divina derivatur ut ab ea participatum.

3.° Posita voluntate efficacissima, quae se extendit ad omne ens et ad omnem modum et perfectionem entis, si ipsa quemcumque effectum efficaciter velit, sequitur quicumque effectus. Atqui Dei voluntas est efficacissima et ipsa se extendit ad omne ens et ad omnem modum et perfectionem entis, ad quidquid habet aut habere potest rationem effectus. Ergo, facta hypothesi quod Deus efficaciter velit ut homo per actum liberae voluntatis velit libere hoc objectum vel illud, infallibiliter et necessario necessitate *hypothetica* sequitur quod homo tale objectum *libere* velit, nam velle *libere* hoc objectum habet rationem effectus. Ergo necessitas hypothetica ex parte Dei volentis non officit libertati, sed causat potius actum liberum hominis.

4.° Supposita necessitate hypothetica electionis voluntatis divinae, electio libera Dei semper remanet perfectio in Deo essentialis licet libera et quidem simpliciter simplex. Atqui perfectiones Dei sunt participabiles a creaturi. Ergo electio libera Dei, ut importat rationem perfectionis liberae, potest adhuc a creatura intellectuali participari; ergo creatura intellectualis potest *libere* agere participative a Deo etiam supposita necessitate hypothetica in ipso Deo liberae electionis.

Confirmatur: Actus liber voluntatis creatae non potest esse nisi participatio correspondentis actus liberi voluntatis divinae, sicut ipsa voluntas humana non potest esse nisi partecipatio voluntatis divinae. Ergo sicut voluntas humana supponit voluntatem

divinam cujus est participatio, ita etiam actus liber voluntatis humanae supponit actum liberum voluntatis divinae correspondentem; et ideo supponit necessitatem hypotheticam actus liberi voluntatis divinae volentis actum liberum voluntatis humanae. Unde tantum abest ut necessitas hypothetica actus liberi voluntatis divinae decernentis actum liberum voluntatis creatae officiat libertati humanae, quin potius omnino et necessario requiratur ad libertatis humanae exercitium; nam quod est per essentiam tale praerequiritur ad id quod est per participationem.

Dices 1.° Determinatio ad unum opponitur libertati. Sed ex necessitate hypothetica ex parte voluntatis divinae sequitur determinatio ad unum in voluntate humana: ergo libertas humana destruitur ex necessitate suppositionis voluntatis divinae.

Resp.: dist. maj.: determinatio ad unum quae attenditur ex ipsa natura facultatis in se nude spectatae opponitur libertati, *conc.:* determinatio ad unum quae sequitur ex ipsa facultate se habente in sua natura ad opposita vi primae libertatis vel vi primae determinationis liberae, *nego.* Et *dist.* pariter *minorem:* sequitur determinatio ad unum ex parte ipsius facultatis creatae nude spectatae, *nego;* spectatae prout ad actum liberum determinatum se reducit vi efficaciae divinae virtutis, *conc.* Et *nego conseq.*

Dices 2.°: In facta hypothesi quod Deus non velit actum liberum voluntatis humanae, voluntas non potest talem actum liberum emittere, e. g. actum diligendi parentes. Atqui impotentia agendi est negatio libertatis. Ergo voluntas in facta hypothesi non est libera diligendi parentes.

Resp.: dist. maj.: voluntas non potest talem actum emittere, quasi voluntas careat virtute agendi in

actu primo considerata, *nego;* quasi carens ordine actuali ad actum secundum, *conc.* Et *contradist. min.:* impotentia agendi, quae est carentia virtutis operativae in actu primo consideratae, est negatio libertatis, *conc.;* impotentia agendi, quae est ex carentia ordinis actualis in virtute operativa ad agendum, est negatio libertatis *subd.:* in actu secundo consideratae, *conc.;* in actu primo consideratae, *nego* (cf. n. 595). — Ex hoc quod Deus non vult actum liberum voluntatis humanae sequitur quod talis actus in voluntate humana non erit, non tamen sequitur quod non possit esse: nam Deus potest participare ipsi voluntati potentiam agendi quin participet ipsum agere libere: haec enim duo *posse* agere libere hunc actum et agere de facto realiter distinguuntur.

Caput XXIX.

De relatione et ordine inter voluntatem et intellectum et de subjecto et radice libertatis humanae.

(S. Th. P. I, qu. LXXXII, a. III, et IV cum comm. Cajet, Sylvii, Bannez, etc. Zigliara, l. c. IV, De Maria, Liberatore, Schiffini, l. c., sect. V; Mercier, Hugon, et alii).

604. **Mutua dependentia existit inter voluntatem et intellectum.** — Voluntatem ab intellectu pendere manifestum est ex dictis (n. 574); nam ex hoc ipso quod voluntas est inclinatio in bonum per intellectum apprehensum, manifestum est ejus operationem supponere intellectus operationem et ei inniti; item ex testimonio conscientiae patet voluntatem quandoque, imo saepe, applicare intellectum

ad intelligendum hoc vel illud objectum; igitur patet inter has facultates esse mutuam dependentiam.

605. **Tamen dependentia voluntatis ab intellectu est major simpliciter loquendo quam intellectus a voluntate.** — Nam voluntas nullum prorsus actum elicere potest, nisi praevia operatione intellectus, vi cujus objectum ei exhibetur: unde illud vulgare adagium: *ignoti nulla cupido;* et aliud: *nihil volitum quin praecognitum;* e contra intellectus quam saepissime proprium objectum intelligit independenter a voluntate; et quamvis circa quosdam peculiares actus voluntas possit applicare intellectum ad intelligendum, non tamen circa omnes; imo quamplurimi actus intellectus sunt, qui a voluntate esse non possunt utpote ipsos actus voluntatis omnino praevenientes. Dependentia ergo voluntatis ab intellectu universalis est, e contra dependentia intellectus a voluntate particularis (1).

606. **Motio quoad specificationem et motio quoad exercitium.** — Aliter movet intellectus voluntatem, aliter voluntas movet intellectum. Intellectus movet voluntatem per exhibitionem objecti, quae motio dicitur *quoad specificationem,* quia per objectum exhibitum ab intellectu diversificatur et speciem sortitur actus voluntatis; voluntas autem movet intellectum applicando ipsum. Motio voluntatis dicitur *quoad exercitium.*

607. **Quaestio prima.** — Sed movetur questio: quaenam facultas sit nobilior an intellectus vel voluntas. — Huic quaestioni non eodem modo ab omnibus respondetur. S. Bonaventura, Scotus et alii etiam inter recentiores praeminentiam voluntati tri-

(1) Cf. S. Th. l. c. a. IV.

buunt; e contra S. Thomas Suarez et Thomistae generatim etiam recentiores oppositam sententiam amplectuntur.

608. **Conclusio.** — 1° *Simpliciter loquendo intellectus est facultas nobilior ipsa voluntate;* 2° *at secundum quid voluntas est nobilior intellectu.*

Prob. 1.ª *pars:* 1.° Nobilitas facultatis attenditur ex simplicitate, abstractione et universalitate objecti (n. 413 VI). Atqui objectum intellectus est simplicius, abstractius et universalius quam objectum voluntatis. Ergo simpliciter et absolute loquendo intellectus est nobilior quam voluntas.

2.° Intellectus comparatur ad voluntatem sicut principium dirigens, cujus directione voluntas in omnibus suis operationibus indiget. Sed principium dirigens est nobilius quam id quod dirigitur. Ergo intellectus est nobilior voluntate.

Prob. 2.ª *pars:* Nobilitas facultatis ex nobilitate objecti attenditur. Ergo illa facultas est nobilior, cujus objectum est nobilius. Atqui, licet simpliciter et universaliter loquendo objectum intellectus sit nobilius objecto voluntatis, tamen objectum voluntatis quandoque contingit esse in re nobiliori quam objectum intellectus. Ergo voluntas secundum talem respectum seu per ordinem ad talem rem, idest secundum quid est nobilior intellectu. — *Prob. minor:* Quamvis verum, quod est objectum intellectus, sit nobilius simpliciter loquendo in ratione objecti quam bonum, quod est objectum voluntatis, tamen contingit quandoque quod ratio *boni* inveniatur in re nobiliori, quam ratio veri, nam ratio veri proprie est in intellectu, ratio boni est in re, quae dicitur bona. Quando ergo objectum intellectus et voluntatis sunt aliquid supra animum, e. g. Deus, bonum est in re nobiliori quam verum; nam bonum est in Deo, ve-

rum est in intellectu. Unde Dei dilectio est nobilior quam Dei cognitio (1).

609. **Quaestio altera.** — Quaeritur tandem quomodo se habeant intellectus et voluntas ad libertatem. Cui quaestioni respondetur varias conclusiones statuendo.

610. **Conclusio I.** — *Actus libertatis principaliter ad voluntatem pertinet* (2).

Prob. : Actus libertatis formaliter sumptus est electio. Atqui electio principaliter pertinet ad voluntatem. Ergo actus libertatis principaliter sumptus ad voluntatem pertinet. — *Prob. minor :* objectum electionis proprium est id quod est ad finem, hoc autem inquantum hujusmodi habet rationem boni utilis, bonum autem est objectum facultatis appetitivae seu voluntatis, et ideo electio est actus voluntatis.

Dices : liberum arbitrium dicitur quasi liberum *judicium*. Sed judicium non ad voluntatem sed ad intellectum pertinet. Ergo et actus liberi arbitrii.

Resp. : Judicium est quasi conclusio et determinatio consilii. Determinatur autem consilium primo quidem per sententiam rationis, et secundo per acceptationem appetitus. Et hoc modo ipsa electio dicitur quoddam judicium a quo nominatur liberum arbitrium (3).

Instabis : Electio importat quamdam comparationem unius ad alterum : comparare autem est proprium virtutis cognoscitivae.

Resp. quod comparatio seu collatio, quae importatur in nomine electionis, pertinet ad consilium praecedens, quod est rationis. Appetitus enim, quamvis

---

(1) Cf. S. Th. l. c. a. III. cum comm. Cajet, Bannez, Sylvii, etc. ; et Joan. a S. Thoma, qu. XII. a. 5, Goudin, phil. tom. III, Hugon, l. c., pp. 191 seqq.

(2) Cf. S. Th. P. I. qu. LXXXIII, a. III, c.

(3) Ibid ad 1.^{m}

non sit collativus, tamen inquantum a vi cognoscitiva conferente movetur, habet quamdam collationis seu comparationis similitudinem, dum unum alteri praeoptat. Unde breviter dici potest quod liberum arbitrium dicitur *judicium* praesuppositive, inquantum judicium est determinatio rationis ; dicitur *judicium* formaliter, quatenus per judicium significatur ipsa acceptatio appetitus, qui importat quamdam similitudinem comparationis seu collationis inquantum unum alteri praeoptat.

611. **Conclusio II.** — *Actus libertatis quamvis principaliter ad voluntatem pertineat, tamen aliquo modo pertinet etiam ad intellectum.*

Prob.: Actus libertatis est electio. Atqui electio includit ultimum judicium practicum per quod voluntas formaliter ad objectum tanquam ad bonum sub ratione convenientis inclinatur et determinatur, judicium autem ad intellectum pertinet. Ergo actus libertatis, quamvis principaliter ad voluntatem pertineat, tamen pertinet etiam quasi secundario ad ipsum intellectum.

Confirmatur: Voluntas movet intellectum ad judicium ultimum practicum, quod est effectus voluntatis liberae et quod proinde dicitur judicium liberum (1), quo mediante voluntas libere adhaeret objecto volito. Atqui judicium ad intellectum pertinet. Ergo quamvis actus libertatis principaliter ad voluntatem pertineat, tamen pertinet etiam aliquo modo ad intellectum.

---

(1) Cf. S. Th. p. I, qu. LXXX, a. I, c., et qu. 24 De verit. a. I, c. ubi dicit quod homo « non est solum causa sui ipsius in movendo, sed et in judicando ; et ideo est liberi arbitrii, ac si diceretur liberi judicii de agendo vel non agendo.

612. **Analysis libertatis in actu secundo consideratae.** — I. Libertas ergo in actu secundo consistit in eo actu quo voluntas movet intellectum ad judicium practicum vi cujus et per quod adhaeret objecto libere ipsum volendo et eligendo.

II. Ad libertatem in actu secundo habendam tria requiruntur : 1.° actus quo voluntas movet intellectum, 2.° judicium practicum intellectus moti a voluntate, 3.° adhaesio voluntatis objecto judicato convenienti per ultimum judicium practicum intellectus. Haec adhaesio voluntatis bono dici recte potest acceptatio appetitus in qua electio completur.

III. Quia eodem actu voluntas tendit in finem seu vult finem et ea quae sunt ad finem, idest media, ideo actus quo voluntas vult finem hoc est bonum sub communi ratione boni est ille ipse actus quo voluntas libere vult bonum particulare per judicium practicum intellectus.

IV. Electio supra volitionem finis, hoc est supra ipsum velle seu supra voluntatem quae est finis et quam electio praesupponit, importat motum intellectus ad ultimum judicium practicum et adhaesionem objecto practice judicato.

V. Et in hoc sensu electio et voluntas, idest ipsum *velle,* sunt diversi actus, licet pertineant ad eamdem potentiam (1).

VI. Electio quia includit judicium ultimum practicum intellectus sine quo esse non potest, quandoque dicitur judicium ; unde S. Thomas ait quod electio est judicium de agendis. « Homo, ait, non dicitur esse liber suarum actionum, sed liber *electionis* quae est *judicium de agendis* » (2). Et similiter

(1) S. Th., p. I ; qu. LXXXIII, a. IV, ad 2.m.
(2) De ver., qu. XXIV, d. I, ad 1.m

judicio attribuitur libertas ab eodem S. Doctore dicente quod « judicium cui attribuitur libertas est judicium electionis, non autem judicium quo sententiat homo de conclusionibus in scientiis speculativis ; nam ipsa *electio* est quasi quaedam *scientia* de praeconsiliatis (1).

VII. Voluntas movet se et reducit se de potentia in actum idest de potentia volendi bonum particulare in actum volendi per hoc quod movet intellectum ad judicium ultimum practicum quippe per hoc judicium bonum particulare definitive exhibetur voluntati tanquam ad bonum universale seu ad ipsam felicitatem pertinens. Unde ex parte voluntatis nihil aliud requiritur, quippe ei sufficit actus ille quo tendit in finem et vult ipsum (Cf. n. et nostram Theol. vol. I n. 312-325).

613. **Conclusio III.** — *Intellectus est proxima radix libertatis* (2).

Prob. : Appetitus intellectivus seu voluntas est inclinatio sequens intellectum (n. 154), et ideo in ipso intellectu proximum fundamentum habet. Ergo recte intellectus ut proxima radix liberi arbitrii consideratur.

Confirmatur : Electio, seu actus liberi arbitrii, supponit consilium et judicium rationis et ei innititur, Ergo et liberum arbitrium prout est facultas, intellectui sicut suae radici et fundamento innititur.

614. **Conclusio IV.** — *Fundamentum remotum libertatis est natura seu substantia spiritualis* (3).

Prob. : Substantia spiritualis est fundamentum et radix intellectus ; sola quippe substantia spiritualis

---

(1) Ib. ad 17.^{m} ; Cf. nostram Theol. spec. vol. I, c. XXIX, *Appendix* et vol. II, c. V.

(2) Cf. S. Th., *De verit.* qu. XXIII, a. I.

(3) Zigliara, l. c., a. III.

seu immaterialis intellectu praedita est (n. 341). Atqui intellectus est fundamentum proximum libertatis. Ergo substantia spiritualis est fundamentum remotum libertatis.

615. **Conclusio V.** — *Prima radix libertatis humanae est libertas divina; et quidem libertas divina, ut est facultas, est radix et fundamentum libertatis humanae ut est facultas; libertas divina, ut est actus liber voluntatis divinae, est fundamentum et radix libertatis humanae ut est actus liber.*

Prob. 1.ª *pars:* Libertas divina est id a quo totaliter sicut a principio et causa derivatur libertas humana. Atqui illud a quo aliquid derivatur totaliter sicut a principio et causa est fundamentum et radix illius quod derivatur. Ergo libertas divina est fundamentum et radix totius libertatis humanae.

Prob. 2.ª *pars* ex eodem principio: quia scilicet libertas humana, ut est facultas seu in actu primo, derivatur totaliter sicut a principio, a libertate divina, ut est facultas seu in actu primo considerata, cum sit illius formalis participatio.

Prob. 3.ª *pars* etiam ex eodem principio; quia scilicet actus liber voluntatis humanae, idest libertas in actu secundo, totaliter derivatur ab actu libero voluntatis divinae, quem praesupponit et cujus est totaliter participatio.

616. **Corollaria.** — I. Determinatio actus liberi voluntatis humanae est a determinatione actus liberi voluntatis divinae; et intantum est in voluntate humana talis determinatio, quatenus praesupponit determinationem actus liberi voluntatis divinae, nam hujus participatio est.

II. Determinatio libera voluntatis divinae non officit liberae determinationi voluntatis humanae, quippe causa illius est. Unde S. Thomas agens de efficacia

divinae voluntatis docet quod non solum res, sed etiam contingentia rerum est ab efficacia divinae voluntatis, scilicet res sunt necessario vel contingenter ex eo quod divina voluntas disposuit ut quaedam necessario et quaedam contingenter evenirent; et rejicit sententiam illorum, qui repetunt contingentiam rerum a causis secundis seu mediis. En verba S. Doctoris (1): « Divina voluntas quibusdam volitis necessitatem imponit, non autem omnibus. Cujus quidem rationem aliqui assignare voluerunt ex causis mediis ; quia ea quae producit per causas necessarias sunt necessaria; ea vero, quae producit per causas contingentes sunt contingentia ». Hanc sententiam Angelicus refutat duabus rationibus, et postea ipsemet respondet statuens suam sententiam his verbis : « Et ideo melius dicendum est quod hoc contingit propter efficaciam divinae voluntatis. Cum enim aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam non tantum secundum id quod fit, sed etiam secundum modum fiendi vel essendi. Ex debilitate enim virtutis activae in semine contingit, quod filius nascitur dissimilis patri in accidentibus quae pertinent ad modum essendi. Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant ea, quae Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quaedam fieri Deus necessario, quaedam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi. Et ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quae deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt: quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter proveniant. Non igitur propterea effectus voliti a Deo eveniunt contin-

(1) P. I, qu. 19, a. 8, c.

genter quia causae proximae sunt contingentes : sed, propterea quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos praeparavit ». (Cf. Nostr. Introduct ad sacr, Theol. n. 258).

Caput XXX.

De appetitu sensitivo in ordine ad voluntatem.

617. **Dependentia appetitus sensitivi a ratione et voluntate.** — Demonstrata existentia appetitus intellectivi et ejus distinctione ab appetitu sensitivo non absonum erit determinare relationem, quae inter utrumque appetitum reperitur; quodcirca duas conclusiones subnectimus :

618. **Conclusio I.** — *Appetitus sensitivus dependet aliquo modo a ratione.*

Prob.: Appetitus sensitivus a facultate sensitiva cognoscitiva dirigitur et dependet, nam actus appetitus non potest esse nisi in bonum apprehensum. Atqui ipsa facultas sensitiva cognoscitiva dependet a ratione et ei aliquo modo in homine subjicitur. Ergo etiam appetitus sensitivus dependet a ratione.

Prob. min.: nam facultas cognoscitiva sensus in homine nata est moveri et dirigi secundum rationem ; unde in syllogisticis ex universalibus propositionibus concluduntur conclusiones singulares circa sensibilia objecta. — *Confirmatur ex facto:* cum enim applicantur aliquae universales considerationes, mitigatur ira, aut timor, aut aliquid hujusmodi, aut etiam instigatur.

619. **Conclusio II.** — *Appetitus sensitivus dependet a voluntate et ei obedit aliquo modo.*

Prob.: 1.° Appetitus sensitivus, uti probatum est conclusione praecedenti, dependet a ratione et ei obedit. Atqui exercitium rationis circa hoc vel illud objectum a voluntate dependet, ut patet ex conscientia. Ergo etiam appetitus sensitivus a voluntate dependet et ei aliquo modo subjicitur.

2.° Superior motor natus est movere omnes inferiores motores, quando motores ad finem superioris motoris tendere debent. Atqui appetitus sensitivus ad finem intentum a voluntate, quae est superior motor, naturaliter ordinatur. Ergo voluntas nata est naturaliter movere appetitum sensitivum, qui proinde voluntati aliquo modo subjicitur et ei obedit. — *Prob. minor:* Nam appetitus sensitivus in homine ordinatur ad bonum hominis; bonum autem hominis verum et proprium ad quod omnes facultates hominis debent ordinari, est bonum a ratione et voluntate intentum. — *Confirmatur ex facto:* nam voluntas aut compescit aut suscitat motus appetitus sensitivi, ut unusquique in seipso experiri potest.

620. **Observatio.** — Tamen dependentia appetitus sensitivi a ratione et voluntate non est absoluta eo modo quo est dependentia membrorum exteriorum; nam membra exteriora nullo modo resistunt rationis et voluntatis imperio, e contra appetitus sensitivus potest resistere et saepe resistit. Unde dominium voluntatis et rationis respectu membrorum exteriorum comparatur dominio dispotico, quod exercetur in servos, qui non habent ut domino resistant; dominium autem respectu appetitus sensitivi comparatur dominio politico et regali, quo rex dominatur in liberos, qui habent ut ei resistere possint in aliquo.

Caput XXXI.

De cognitione intellectiva.

621. **Ratio capitis.** — Cum egerimus de facultate intellectiva tum cognoscitiva tum appetitiva, de actionibus harum facultatum agendum remanet; sed de actionibus facultatis appetitivae quae est voluntas agemus in ethica, nunc igitur de actionibus facultatis cognoscitivae seu intellectus exclusive dicendum est. At quia actiones intellectus ad cognoscendum objectum idest verum ordinantur quod fit mediantibus ideis, ideo de ipsa cognitione, de objecto, de ideis, et de origine cognitionis agendum est. In praesenti capite de ipsa cognitione erit sermo, de aliis vero in sequentibus.

622. **Multiplex actus intellectus.** — Cognitio intellectualis, de qua in praesenti exclusive loquimur, multiplex est (cf. I, n. 6) juxta gradum diversum suae perfectionis. Et quia cognitio importat actum intellectus, ideo ad multiplicem actum intellectus attendendum est. Supra cum S. Thoma distinximus *discernere, cogitare, intelligere.* Discernere est cognoscere rem per differentiam sui ab aliis; cogitare est considerare rem secundum partes et proprietates suas; intelligere autem prout contraddistinguitur a discernere et cogitare, nihil aliud dicit quam simplicem intuitum intellectus in id quod sibi est praesens intelligibile. — Unde *discernere* importat cognitionem *quidditatis* rei sive imperfectam sicut quae habetur vulgariter, sive perfectam quae habetur per subtilem inquisitionem; *cogitare* vero importat ipsum discernere et aliquid amplius puta cognitionem quae

habetur per ratiocinium et quae extenditur ad ipsas proprietates. Saepe tamen intelligere sumitur pro cognitione perfecta (cf. supra, n. 544).

623. **Conclusio.** — *Ad intelligere prout importat simplicem intuitum intellectus in id quod est sibi praesens intelligibile non requiritur neque intentio intelligentis neque praesentia intelligibilis in ratione objecti, sed sufficit praesentia rei quocumque modo* (1).

Prob. 1.ª *pars:* Simplex intuitus intellectus in id quod est sibi praesens intelligibile salvatur per hoc quod intellectus aliquo modo intelligibile intuetur etiam indeterminate et confuse sub ratione communissima entis. Atqui ad attingendum objectum per simplicem intuitum praecipue indeterminate sub ratione communissima entis non requiritur intentio intelligentis; nam intentio intelligentis ad objectum supponit simplicem intuitum et importat aliquid determinatum saltem prout exprimitur et significatur per terminos transcendentes adivicem in eorum significatione distinctos sicut et attentio (cf., n. 429). Ergo si intelligere sumatur prout importat simplicem intuitum etc. non requiritur intentio intelligentis (2).

Prob. 2.ª *pars :* Si ad praedictum intelligere prout simplicem intuitum importat requireretur praesentia intelligibilis in ratione objecti, requireretur etiam verbum et species intelligibilis et ipsa intentio in-

---

(1) Cf. S. Th., dist. III, qu. IV, a. IV.

(2) S. Thomas de facultate intellectiva ait: « Primo quidem simpliciter aliquid apprehendit: et hic actus dicitur intelligentia; secundo vero id quod apprehendit ordinat ad aliquid aliud cognoscendum vel operandum: et hic vocatur intentio; dum vero persistit in inquisitione illius quod intendit, vocatur cogitatio; dum vero id quod cogitatur examinat ad aliqua certa, dicitur scire vel sapere....: nam sapientiae est judicare » P. I. qu. 79. a. X. ad 3.^{m}.

telligentis. Atqui ad intelligendum seu ad intuendum objectum vel rem indeterminate sub ratione communi et confusa entis neque species intelligibilis, neque verbum, neque intentio intelligentis requiritur, nam haec tria important aliquid determinatum, species enim intelligibilis *quidditatem* objecti intelligibilis, saltem rationem entis ut distinctam ab aliis rationibus transcendentalibus importat, et similiter verbum, quod ex specie intelligibili semper procedit; intentio autem intelligentis simplicem intuitum supponit et importat specialem et determinatum conatum, et ideo magis determinate attingit objectum et perfectius. Ergo si intelligere sumatur prout importat simplicem intuitum non requiritur praesentia intelligibilis in ratione objecti, sed sufficit praesentia rei intelligibilis alio modo. Unde Angelicus ait: « Secundum quod intelligere nihil aliud dicit quam simplicem intuitum qui nihil est aliud quam praesentia intelligibilis ad intellectum quocumque modo, sic anima semper intelligit se et Deum indeterminate » (1).

2.° Datur intelligere licet imperfectum sine verbo, nam ad verbum requiritur cognitio perfecta, ut infra dicetur. Atqui intelligere sine verbo importat simplicem intuitum in intelligibile, non autem importat intentionem cognoscentis neque praesentiam intelligibilis in ratione objecti, sed praesentiam intelligibilis quocumque modo (2).

---

(1) l. c. (Cf. supra n. 544).

(2) S. Thomas triplici modo ex parte objecti docet fieri conceptionem seu verbum formari et in quolibet supponit elementa praecedentia ex quibus formatur verbum, ita enim loquitur: « Verbum intellectus nostri.... est id ad quod operatio intellectus nostri terminatur quod est ipsum intellectum, quod dicitur conceptio intellectus, sive sit conceptio signifi-

3.° Intuitus in objectum optime esse potest et verificari sine intentione intuentis ; plura enim etiam per sensus et quidem saepe intuemur quin ea intueri intendamus, imo neque ea percipimus, vel percipimus modo imperfectissimo et indeterminatissimo unde sunt aliquo modo praesentia, sed quia non exprimuntur interius ideo neque objective praesentia dici merentur.

624. **Objectio.** — S. Thomas ait : « Semper cum actu intelligitur aliquid verbum formatur » (1). Ergo non datur intelligere quod importat simplicem intuitum sine verbo.

Resp. : Dist. sensum verborum Angelici. Si fiat sermo de intelligere perfecto quo terminatur ad quidditatem rei seu de operatione perfecta intellectus distinguentis vel cogitantis *conc.*, si fiat sermo de intelligere prout est actio intellectus imperfecta non

---

cabilis per vocem incomplexam, ut accidit quando intellectus format quidditates rerum, sive per vocem complexam, quod accidit quando intellectus componit et dividit. Omne autem intellectum in nobis est aliquid realiter progrediens ab altero ; vel sicut progrediuntur a principiis conceptiones conclusionum, vel sicut conceptiones quidditatum rerum posteriorum a quidditatibus priorum (*in quibus casibus unus conceptus seu unum verbum procedit ab alio praesupposito)* ; vel saltem sicut conceptio actualis progreditur ab habituali cognitione : (*quae scilicet praecedit omne verbum seu omnem conceptionem sed non omnem cognitionem actualem imperfectam quia ex repetitis actibus fit habitus*) et hoc universaliter verum est de omni quod a nobis intelligitur sive per essentiam intelligatur sive per similitudinem ; ipsa enim conceptio est effectus actus intelligendi ; unde etiam quando mens intelligit seipsam ejus conceptio non est ipsa mens, sed aliquid expressum a notitia mentis. Ita ergo verbum intellectus in nobis duo habet de sua ratione ; scilicet quod est intellectum et quod est ab alio expressum ». *De veritate*, qu. IV., a. II., c.

(1) Opusc. XXIII., *De natura verbi intellectus.*

distinguentis et non attingentis plene quidditatem vel saltem entitatem rei cognitione distincta *nego*. (Cf. supra, n. 544).

Instabis : S. Thomas ait : « In nobis dicere non solum significat intelligere, sed intelligere cum hoc quod est ex se exprimere aliquam conceptionem ; *nec aliter possumus intelligere, nisi hujusmodi conceptionem exprimendo, et ideo omne intelligere* in nobis proprie loquendo est dicere » (1). Ergo non potest dari intelligere sine conceptione seu sine verbo.

Resp. sicut prius : *Dist. conseq. :* Non potest dari intelligere prout est operatio perfecta intellectus distinguentis vel attingentis naturam in sua quidditate *conc.,* intelligere imperfectum prout importat simplicem intuitum, ut supra explicatum est (n. 544) *nego*. — Solutio patet ex ipsis verbis S. Thomae qui evidenter loquitur de intelligere prout importat *dicere ;* dicere autem importat judicium saltem implicitum, ille enim qui dicit aliquid, distinguit id quod dicit, et consequenter judicium saltem implicitum profert. Insuper *intelligere* proprius acceptum idem est ac intus legere, idest videre ea quae sunt intima rei seu quae ipsi rei conveniunt saltem quaedam ; ille enim qui rem de qua loquitur non distinguit ab aliis, eam non intellexisse et non intelligere dicitur : unde *proprie* loquendo intelligere judicium saltem implicitum importat et ipsum dicere. Per hoc tamen non excluditur intuitus de quo supra et qui intelligere imperfectum importat (cf. n. 544) et simplicissimam apprehensionem confusam circa objecta quorum quidditatem non attingit. Ad quam attingendam intellectus mediante iteratione intuitus pervenit, quippe iterando intuitum di-

(1) *De verit.*, qu. cit. ad 5.m

spositio ad modum habitus in intellectu formatur atque robur et facilitas intellectus augetur ad perfectius intuendum objectum et redditur aptus ad conceptionem efformandam.

625. **Praesentia objecti ad cognitionem requisita.** — Ad cognitionem requiruntur duo, nempe subjectum cognoscens et objectum quod est terminus cognitionis. Subjectum cognoscens et objectum cognitum possunt esse identica quatenus cognitio potest terminare ad subjectum ipsum cognoscens quod potest certe cognoscere se ipsum. Sed quia cognitio ad ipsum subjectum cognoscens non limitatur sed ad plura objecta se extendit ab ipso cognoscente distincta, ideo praeter subjectum cognoscens et objectum cognitum est consideranda quaedam relatio inter utrumque et haec relatio dici potest relatio praesentialitatis.

626. **Natura relationis praesentialitatis inter subjectum cognoscens et objectum cognitum.** — Supra (I., n. 708) distinximus varios modos essendi alicujus rei in loco vel in altera re, qui modos diversos praesentialitatis important. In praesenti avertenda est imaginatio a modo praesentialitatis essendi in loco eo modo quo res materiales in loco esse dicuntur, idest per contactum quantitativum, vel etiam a modo essendi in aliqua re definitive, ita scilicet ut ibi sit tantum et non alibi, vel etiam ad modum formae communicantis subjecto proprium esse naturale. Modus enim praesentialitatis seu essendi praesens est mensurandus et judicandus varius secundum diversitatem continentis seu rei cui aliquid dicitur praesens. Quia vero intellectus non est materialis, et non continet rem eo modo quo res continetur in spatio a quo neque ipse continetur, sed ab eo solutus est secundum suam naturam, et quia attin-

gere potest et sibi reddere praesentem rem alteri praesentem, quin res illa amittat priorem alteri praesentialitatem, ideo praesentialitas rei ad intellectum utpote non excludens praesentialitatem quae ei inest respectu alterius, alterius generis et rationis esse debet; idest est praesentialitas sui generis propria intellectus excludens spatium, locum, communicationem esse naturalis per modum formae etc.

627. **Praesentialitas rei intellectae ipsi intellectui non est explicanda per identitatem.** — Multa enim objecta percipiuntur et cognoscuntur ab intellectu quae ineluctabiliter ei exhibentur ut ab ipso distincta, quae tamen ex hoc ipso quod sunt cognita sunt ei secundum suum peculiarem modum praesentia; unde duo exhibentur indubitanter, *distinctio,* et *relatio praesentialitatis,* et ideo nonnisi absurde idest contra testimonium evidentissimum et ineluctabile ipsius intellectus illa duo idest res intellecta et intellectus per veram identitatem explicantur seu affirmantur, et inde absurde per explicationem negatur quod evidenter ponitur a mente; unde explicatio cognitionis non solum obscura sed prorsus absurda datur evidentiae omnino repugnans.

628. **Ratio praesentialitatis objecti, seu hujus relationis quae est specialis praesentialitas, est ab ipsa natura intellectus repetenda.** — Haec relatio objectiva praesentialitatis quae rei convenit respectu intellectus et solius intellectus, non est per modum loci et spatii, sed a spatio et loco soluta: et tamen convenit rei etiam quae spatio et loco ligatur et ab eo continetur. Igitur relatio illa non est repetenda a re seu ab objecto, sed ab ipsa natura intellectus repeti debet, quae proinde est vera ratio talis praesentialitatis et relationis; non tamen sequitur quod intellectus sit causa rei in suo esse consi-

deratae, sed solum quod sit causa et ratio praesentialitatis rei ad ipsum.

629. **Haec ratio praesentialitatis rei respectu intellectus non potest esse tamen a solo intellectu.** — Nam secus intellectus per se ipsum solum esset sufficiens ad omnia objecta cognoscenda; unde independenter a sensibus haberet cognitionem objectorum et coecus natus haberet scientiam de coloribus et surdusnatus de sonu etc., et sic intellectus penitus insensati posset assurgere ad cognoscenda intelligibilia, imo intelligibilia directe cognosceret per se ipsum, et consequenter multo magis ea directe cognosceret homo sensibus omnibus praeditus.

630. **Intellectus vel cognoscens per quamdam metaphoram et per similitudinem dici potest esse idem ac objectum cognitum.** — Ratio est quia vi praedictae relationis praesentialitatis vere res cognita est praesens cognoscenti imo et in ipso cognoscente, et licet non materialiter ad modum quo res est in loco vel spatio, tamen etiam verius est in intellectu, quia intellectus nobiliori modo ob nobilitatem suae naturae ipsam rem continet quam spatium vel locus, relatio enim illa praesentialitatis ad modum intellectus est elevata supra materiam, locum etc.; imo ob praedictam rationem nobilius et verius etiam dici potest esse praesens intellectui et in ipso intellectu quam sint ipsae formae materiales in rebus materialibus, puta albedinis in re alba etc. a quibus ipsae res materiales denominantur; et nihil mirum si a philosophis consideretur quaedam identitas inter intellectum et rem intellectam, inter cognoscens et cognitum. Hinc illae expressiones scholasticorum *intellectus in actu est intellectum in actu; ex intellectu et re intellecta fit unum* etc. — Unio enim intima inter intellectum et rem intellectam tanta

est, licet inter ea vera et realis distinctio salvetur, ut melius exprimi non possit quam illis expressionibus. Desunt enim vocabula et sententiae ad illam intimam relationem exprimendam. Tamen scholastici ad aequivocum et erroris occasionem vitandum modum illum intimitatis addendo terminum *intentionaliter* determinant, dicentes quod objectum est in mente *intentionaliter* (cf. I, 190-191).

631. **Relatio praesentialitatis praedictae duplici modo concipi potest.** — Res aliqua potest esse praesens alteri vel per suam essentiam quin tamen identificetur cum illa, vel per suam similitudinem, quatenus scilicet similitudo est expressio illius rei et ad illam in suo constitutivo essentiali relationem importat per quam res illa constituitur praesens. Scholastici praesentialitatem rei ad intellectum hoc secundo modo explicant. Qua explicatione etiam nos utemur.

632. **Id quod clarum et per se evidens est in cognitione et quid obscurum et mediante ratiocinio deductum.** — In cognitione duo sunt consideranda 1.° id quod est per se evidens et omnibus notum ineluctabiliter a lumine mentis exhibitum, idest subjectum cognoscens, objectum cognitum, distinctio realis inter cognita et mentem cognoscentem, relatio quaedam praesentialitatis hujusmodi objectorum ipsi menti; 2.° est considerandum id quod retinetur non immediate et per se notum, sed mediate hoc est per ratiocinium deductum, idest quod illa relatio praesentialitatis sit attendenda vi similitudinis, vel vi essentiae, vel alio modo.

633. **Absurdum est negare subjecti cognoscentis et objecti cogniti realem existentiam eorumque distinctionem realem ob aliquam vel etiam nimiam** (relative loquor) **obscuritatem quae**

forte invenitur in explicatione praedictae relationis. — Nam in hac hypothesi scilicet obscuritatis explicationis sana ratio dictat vel confitendam esse debilitatem et ignorantiam nostri intellectus, vel negandam potius esse explicationem quae traditur, quam neganda aut in dubium vertenda ea quae praedicta sunt. Igitur nonnisi absurde et illogice quidam arguunt scholasticos ob explicationem cognitionis quam tradunt mediantibus speciebus intelligibilibus aut verbo mentis, accusantes eos vel de subjectivismo vel de sensismo. Quippe illi meliorem explicationem afferant. Sic enim respondere possunt scholastici qui longissime de coetero sunt a praedictis erroribus ; non enim ita adhaerent propriae theoriae ut potius ad illa omnia neganda sint parati quam illi valedicant.

Caput XXXII.

De cognitione animae.

(S. Th. I. Dist. III, qu. IV, a. V.; et De veritate, qu. X. a VIII).

634. **Ratio capitis.** — Agentes de objectis cognitionis intellectivae ab ipsa anima initium sumimus, quia ipsa, ut patebit ex dicendis, in quacumque cognitione aliquo modo apprehenditur; unde ad basim et fundamentum objectorum aliquo modo pertinere videtur. — Inde dicemus de primis objectis ab intellectu apprehensis et tertio de objectis supersensibilibus.

635. **Multiplex cognitio.** — Cognitio multipliciter distingui potest videlicet cognitio habitualis et cognitio actualis; cognitio actualis autem alia est de objecto considerato quoad suam existentiam et dici potest cognitio vulgaris, si statim absque inquisitione

habetur, alia vero est de objecto quoad suam essentiam considerato prout disquisitionibus metaphysicis et per logicam deductionem habetur. Insuper cognitio actualis alia est confusa et indeterminata, alia est distincta et determinata sicut cum videtur Petrus a longe et non cognoscitur quid sit. Cognitio indeterminata in intellectu importat ipsum *intelligere* licet imperfectum quod est simplex intuitus, sed non importat discretionem seu distinctionem, et multo minus actum intellectus conferentem plura distincta inter se se (cf. supra n. 544). His positis sit.

636. **Conclusio I.** *Anima cognitione habituali cognoscit se quoad existentiam prius quocumque alio objecto.*

Prob.: Anima humana ad cognoscendum se esse cognitione habituali non indiget aliquo habitu sibi superaddito et posteriori essentia sua, sed ipsa vi suae essentiae sibi praesentis potens est exire in actum cognitionis sui ipsius (1). Atqui ad alia cognoscenda cognitione *habituali* indiget aliquo habitu essentiae suae superveniente vel saltem ei posteriori. Ergo anima cognitione habituali cognoscit se quoad existentiam prius quocumque alio objecto.

637. **Conclusio II.** — *Anima humana cognitione actuali indeterminata et imperfecta semper intelligit se.*

Prob. 1.° Anima humana est sibi praesens per suam essentiam, quae est principium verum cognitionis intellectivae, ita scilicet ut vera cognitione sui habi-

(1) S. Thomas cujus est haec dotrina ita se exprimit: « Quantum ad cognitionem habitualem sic dico quod anima per essentiam suam se videt, idest ex hoc ipso quod essentia sua est sibi praesens est potens exire in actum cognitionis sui ipsius, sicut aliquis ex hoc quod habet alicujus scientiae habitum ex ipsa potentia habitus est potens percipere illa quae subsunt illi habitui » (qu. X de veritate art. VIII corp.).

tuali, innata, prima, necessaria vi ejusdem essentiae sīt praedita. Atqui ex cognitione habituali, prima, innata, praecipue ipsi essentiae per se et immediate innixa fieri non potest ut actus aliquis correspondens saltem imperfectus non sequatur et animam ipsam non semper comitetur; videmus enim in rebus naturalibus nullam esse ex qua eo ipso quod est, non sequatur aliqua operatio quae ipsam semper comitatur; unde in plantis semper adest aliquis actus vegetationis, in animalibus actus aliquis semper reperitur, puta pulsatio cordis etc. Ergo anima cognitione imperfecta et indeterminata semper actu intelligit seu intuetur se. Quodcirca S. Thomas (in I dist. III qu. IV a IV). « Secundum quod intelligere nihil aliud dicit quam intuitum, qui nihil aliud est quam praesentia intelligibilis ad intellectum quocumque modo, sic anima semper intelligit se et Deum indeterminate et consequitur quidam amor indeterminatus » (cfr. supra pag. in nota).

2.° Haec argumentatio confirmatur ex ipsa natura substantiarum separatarum inter quas anima tenet ultimum locum; nam ex substantia separata, non exclusa anima, sequitur intuitus ex necessitate ad modum proprietatis circa seipsam vi cognitionis habitualis fundatae in ipsa praesentia substantiae; unde objectum proportionatum animae separatae est ipsa animae essentia (cfr. supra n. 553). Itaque fieri ne potest ut vi unionis ad corpus intuitus ille ex necessitate sequens penitus impediatur et destruatur? Concedimus tamen ad ipsam animam directe et determinate non intendi et defectu intentionis animam non statim intelligere se perfecte et determinate cognitione discretiva, et a fortiori concedimus animam non posse se cognoscere cognitione directa et immediata sicut in statu separationis; et

ratio est quia per hoc quod ipsa est forma corporis esse ipsius in materia immergitur et ad materiam dirigitur, unde etiam virtus ejus ad materiam dirigitur et quasi dividitur ad sensus efformandos, quod fieri nequit quin actio ejus intellectiva seu ejus intuitus summopere remittatur atque debilitetur ut anima in sua essentia fiat objectum (cfr. supra n. 372, 374) omnino ei improportionatum ; imo ipsa anima quodammodo intuitui subtrahitur per hoc quod materiae immergitur, formae enim abstractae a materia sunt objectum intellectualis intuitus.

638. **Conclusio III.** — *Anima humana antecedenter a quocumque habitu vi essentiae suae cognoscit et percipit se esse et quid in seipsa agatur.*

Prob. : Data cognitione habituali nullus alius habitus requiritur ad actualiter cognoscendum objectum de quo est cognitio habitualis, sed solum requiritur ut procedatur ad actum. Atqui data animae essentia habetur vera cognitio habitualis qua anima potens est cognoscere se esse et se agere, imo ipsum agere animae, ipsam animae attentionem et intentionem erga seipsam provocat qua anima aliqualiter animadvertit ea quae in ipsa contingunt. Ergo anima humana antecedenter a quocumque habitu, vi essentiae suae cognoscit et percipit se esse et quidem cognitione propria et discretiva (non tamen quoad quid est) et aliqualiter ea quae in ipsa aguntur. Unde ipsemet S. Thomas hanc doctrinam ita exprimit conceptis verbis et probat : « Ad hoc quod percipiat anima se esse et quid in se ipsa agatur *attendat* non requiritur aliquis habitus, sed ad hoc sufficit sola essentia animae, quae menti est prasens, ex ea enim actus progrediuntur, in quibus actualiter ipsa percipitur » (1). Hoc autem An-

(1) De verit. l. c.

gelicus ex cognitione habituali, quam anima habet de se, deducit praemittens haec verba: « Quantum ad cognitionem habitualem sic dico quod anima per essentiam suam se videt, idest ex hoc ipso quod essentia sua est sibi praesens, est potens exire in actum cognitionis sui ipsius, sicut aliquis ex hoc quod habet alicujus scientiae habitum ex ipsa praesentia habitus est potens percipere illa quae subsunt illi habitui. Ad hoc autem quod percipiat anima » etc. prosequitur Angelicus verba nuper citata.

639. **Corollarium.** — Cognitio habitualis qua anima potest percipere se esse praecedit cognitionem quamcumque habitualem etiam eam quam anima habet vi specierum intelligibilium primarum receptarum et existentium in intellectu possibili (1).

640. **Conclusio IV.** — *Cognitio seu notitia actualis qua anima seu intellectus percipit se esse praecedit notitiam seu cognitionem actualem quamcumque procedentem ex speciebus intelligibilibus receptis in intellectu possibili.*

Prob. 1.° Sicut se habet notitia habitualis praesupposita ad aliam notitiam habitualem supervenientem, ita se habet notitia actualis derivata a prima habituali ad actualem derivatam a secunda superveniente. Atqui notitia habitualis quae attenditur vi essentiae animae praecedit notitiam habitualem

(1) Ad rem S. Thomas: « Intellectus noster nihil actu potest intelligere antequam a phantasmatibus abstrahat, nec etiam potest habere *habitualem notitiam* (non dicit *actualem* sed habitualem et hoc nota pro sequenti conclusione) aliorum a se, quae scilicet in ipso non sunt ante abstractionem praedictam, eo quod species aliorum intelligibilium non sunt ei innatae; sed essentia sua sibi innata est ut non eam necesse habeat a phantasmatibus acquirere... Et ideo mens antequam a phantasmatibus abstrahat sui notitiam habitualem habet qua possit percipere se esse » l. c. ad 1.^{m}.

quamcumque aliam supervenientem etiam quae attenditur vi specierum receptarum in intellectu possibili. Ergo cognitio qua anima seu intellectus percipit se esse antecedit notitiam aliorum quae ex speciebus intelligibilibus receptis in intellectu possibili derivatur.

2.° Anima vi essentiae suae ante species intelligibiles receptas per modum habitus in intellectu possibili est vere potens exire in actum suum quod est intelligere, seu in actum cognitionis sui ipsius, sicut ex hoc quod quis habet alicujus scientiae habitum est potens percipere illa quae subsunt illi habitui (n. 638). Ergo species intelligibiles in intellectu possibili non requiruntur et ante eos anima vi essentiae suae est potens exire in actum intelligendi quo se esse cognoscat.

3.° In qualibet potentia in qua habitus acquiruntur prius datur actus et postea habitus acquisiti; unde dicitur quod ex repetitis actibus fit habitus, imo quandoque unus actus sufficit ad acquirendum habitum. Ergo non est negandum hoc ipsum contingere in intellectu, imo a fortiori in eo est id ponendum cum praesentia animae teneat locum habitus respectu cognitionis sui ipsius et eorum quae in ea contingunt.

641. **Conclusio V.** — *Anima seu intellectus cognitione actuali distincta non ab habituali proveniente antequam intelligat se esse distincte, sentit et intelligit aliquod objectum a se distinctum.*

Prob.: Anima cognoscit se esse per actus suos idest per *sentire* et *intelligere* (n. 542) « in hoc enim aliquis percipit se animam habere et vivere et esse quod percipit se sentire et intelligere et alia hujusmodi vitae opera exercere; unde dicit Philosophus in 9. Ethic. *Sentimus autem quoniam sentimus:* et *intelligimus quoniam intelligimus;* et *quia hoc sentimus in-*

telligimus quoniam sumus (1). Atqui nullus percipit se sentire et intelligere nisi ex hoc quod *aliquid* sentit et intelligit, quia prius est sentire et intelligere aliquid quam intelligere se sentire et intelligere. Ergo anima cognitione actuali antequam intelligat se intelligit aliquod objectum a se distinctum puta ipsum *sentire* aliquod objectum (462), sentire enim est ab anima ut a vero principio (n. 418) et revocat animae attentionem. (Cf. n. 638, 637 et 553).

642. **Conclusio VI.** — *Anima ante intellectionem actualem ex speciebus intelligibilibus in intellectu possibili per modum habitus receptis et conservatis provenientem intelligit aliquod objectum a se distinctum cognitione actuali.*

Prob.: Anima intelligit non solum cognitione habituali sed etiam actuali se esse, ante quamcumque cognitionem habitualem et etiam actualem procedentem ex cognitione habituali, puta ex speciebus intelligibilibus receptis in intellectu possibili, ut in concl. IV probatum est. Atqui cognitio actualis qua anima cognoscit se esse supponit objectum ab anima distinctum intellectum seu cognitum cognitione actuali. Ergo a fortiori ante cognitionem actualem ex speciebus intelligibilibus receptis provenientem cognoscit aliquod objectum ab anima distinctum.

643. **Corollaria.** — I. Cognitio actualis qua anima intelligit *se esse* cum praecedat cognitionem quae ex speciebus intelligibilibus receptis in intellectu possibili derivatur, procedit ex cognitione seu intellectione quae est propria intellectus agentis et quae est initium abstractionis imo primordialis abstractio specierum intelligibilium, quae proinde est vera intellectio et cognitio.

II. Abstractio prima specierum intelligibilium est intuitio intellectus simplex circa objectum ab anima

(1) S. Th. l. c.

distinctum per phantasma repraesentatum ad quam intuitionem sequitur perceptio ipsius intelligere seu ipsius intuitionis et animae intuentis, idest perceptio qua anima percipit seu intelligit se intelligere et esse. Unde Angelicus ait quod anima « percipiendo actum suum seipsam intelligit quamdocumque aliquid intelligit ». P. I qu. 93. a. VII. ad 4^{m}.

644. **Objectio.** — S. Thomas dicit : In omni actu quo homo intelligit concurrit operatio intellectus agentis et intellectus possibilis (1). Atqui intellectus possibilis, ut idem S. Thomas advertit, non concurrit ad intellectionem seu non adimpletur nisi per species intelligibiles abstractas a sensibus et in eo receptas. Ergo nulla datur intellectio sine intellectu possibili et ante species in eo receptas.

Resp. : dist. maj. : In omni actu quo homo intelligit secundum quod intelligere est « operatio intellectus completa distinguentis vel cogitantis » (2) seu prout intelligere importat discretionem diversorum objectorum inter se, seu prout importat cogitationem et discretionem saltem habitualem respectu diversorum *conc.;* prout importat simplicem intuitum vel abstractionem singulorum *nego. Conc. min.* et *nego consequentiam.* — Si intelligere sumatur prout dicit simplicem intuitum intellectus in id quod est sibi praesens intelligibile non requiruntur species intelligibiles receptae in intellectu possibili ; unde supra ex Div. Thoma (n. 544) animadvertimus hoc intuitu animam semper intelligere se indeterminate et quidem per essentiam suam. Haec indeterminata animae cognitio incipit determinari cum simplex intuitus fertur ad actum sensationis quae est in ipsa et ad objectum sensibile ab anima distinctum (n. 462), intuitus enim ille

(1) De verit. qu. X, l. c. ad ultimam difficultatem.
(2) Cf. supra n. 544).

primitivus fertur successive de uno ad aliud; ex eo enim ita progrediente causantur species in intellectu possibili qui per eas potest exire in actum non solum naturas rerum considerando sed eas adinvicem conferendo vel potius ipsa objecta et eorum proprietates discernendo. — Attende ad illam triplicem distinctionem supra relatam circa intelligere, discernere et cogitare. — Dicimus ergo quod intelligere prout importat simplicem intuitum ad id quod est animae praesens intelligibile antecedit species intelligibiles receptas in intellectu possibili sicut habitus quosdam. « Ad hoc autem, ait Angelicus, quod percipiat anima se esse et quid in seipsa agatur attendat non requiritur aliquis habitus sed ad hoc sufficit sola essentia animae, quae menti est praesens; ex ea enim actus progrediuntur in quibus actualiter ipsa percipitur ». (1).

645. **Conclusio VII.** — *Loquendo de naturae animae cognitione philosophica quae per definitionem habetur, anima cognoscitur per suos actus et per comparationem ad objecta quae a sensibus abstrahimus, considerata ut abstracta.*

Prob.: Imprimis quod anima possit cognoscere et cognoscat se per suos actus manifestum est ex eo quod ex effectibus potest cognosci et de facto a nobis cognoscitur natura causae (cf. I, 760). Quod autem anima cognoscat se per comparationem ad ea quae abstrahuntur a sensibus ut abstracta ex iisdem principiis probatur, nam cum naturae et species intelligibiles a sensibus abstractae habeant eumdum modum essendi ac ipsa natura animae et hoc habeant vi abstractionis ipsius animae, si considerentur formaliter ut abstractae sunt effectus animae. Atqui effectus naturaliter ducit in cognitionem cau

(1) De verit. qu. et art. pluries citatis.

sae quae proinde cognoscitur per comparationem ad ipsum. Ergo per comparationem ad eas anima cognosci potest in sua natura. Quocirca Angelicus sapientissime ait: « Ex hoc enim quod anima humana universales rerum naturas cognoscit, percipit quod species qua intelligimus est immaterialis, alias esset individuata, et sic non duceret in cognitionem universalis. Ex hoc autem quod species intelligibilis est immaterialis intellexerunt *(philosophi)* quod intellectus est res quaedam independens a materia, et ex hoc ad alias proprietates intellectivae potentiae cognoscendas processerunt; et hoc est quod philosophus dicit in 3 de anima (com. 16) quod intellectus est intelligibilis sicut alia intelligibilia; quod exponens Commentator dicit quod *intellectus intelligit per intentionem in eo, sicut alia intelligibilia;* quae quidem *intentio* nihil est aliud quam species *intelligibilis* » (1). Ex quibus patet in doctrina S. Thomae cognitionem quae habetur per *speciem intelligibilem* supponere cognitionem imperfectam quae habetur per simplicem intuitum, uti exposuimus supra (n. 623 et 640, 641).

Caput XXXIII.

De primis objectis quae intellectus humanus attingit.

646. **Ratio capitis.** — Supra locuti sumus de proprio, proportionato, adaequato objecto intellectus (n. 546 seqq.); nunc ergo remanet dicendum de primis objectis quae intellectus attingit et de objectis supersensibilibus. Primum in praesenti, alterum in sequenti capite perficiemus. Quidam idest ontologistae posuerunt Deum esse primum objectum quod

(1) l. c.

intellectus humanus cognoscit et omnia alia in Deo; sed de ontologismo in sequentibus erit sermo. Igitur nunc veritas est statuenda.

647. **Conclusio I.** — *Primum objectum quod intellectus noster attingit est ens.*

Prob.: Illud primo attingit intellectus noster quod in omni cognitione includitur et praesupponitur ita ut sine ipso cognitio sit omnino impossibilis utpote sine termino et objecto ad quod referatur. Atqui ens seu ratio entis in omni cognitione includitur et praesupponitur ita ut cognitio sine ipsa sit omnino impossibilis utpote sine termino et objecto, quippe praeter ens seu rationem entis est nihil, quod neque terminus neque objectum est. Ergo ens seu ratio entis est primum objectum quod intellectus humanus attingit.

648. **Conclusio II.** — *Primum objectum intellectus tamen non est ens possibile ut tale.*

Prob.: 1.° Primum objectum quod intellectus attingit debet habere vere rationem termini et vere debet esse, seu debet verificari simpliciter loquendo quod est. Atqui ens possibile non habet sic consideratum in se rationem termini, et de ipso non verificatur simpliciter loquendo quod est; imo melius et verius dicitur quod non est. Ergo ens possibile ut tale nequit esse primum objectum intellectus.

2.° Uumquodque est cognoscibile inquantum est actu. Sed ens possibile non est actu. Ergo per se non est cognoscibile, sed per ens actu existens, quod proinde primo ab intellectu cognoscitur.

649. **Conclusio III.** — *Prima cognitio intellectus humani terminatur ad aliquid singulare attingens illud sub ratione entis indeterminate.*

Prob.: Prima cognitio intellectus est confusissima, imperfectissima, indeterminatissima et simplicissima,

respiciens aliquod objectum actu existens. Atqui objectum actu existens est aliquid singulare, quod confusissime et indeterminatissime non potest apprehendi nisi sub ratione entis et cognitione simplicissima. Ergo prima cognitio intellectus humani terminatur ad aliquid singulare attingens illud sub ratione entis indeterminate.

650. **Conclusio IV.** — *Prima cognitio intellectus terminatur ad ipsam animam attingens ipsam indeterminate et indistincte sub ratione entis.*

Prob.: 1.° Prima cognitio quae terminatur ad aliquid actu existens, attingens ipsum sub ratione entis indeterminate non indiget specie intelligibili, sed optime potest procedere ex ipso intellectu in suo statu indeterminato existente 1.° quia ad cognitionem indeterminatam sub ratione entis indistincte sufficit status indeterminationis quem intellectus sive anima habet ex sua natura, 2.° quia species intelligibilis ad hoc est ut determinet intellectum ad objectum aliquod; species autem universalissima entis utpote omnino indeterminata nullam determinationem ponit in intellectu, 3.° quia quod facit species objecti a fortiori facit ipsum objectum, si est praesens per semetipsum; unde supra diximus quod anima cognoscit se sine specie intelligibili sui ipsius (cf. n. 638); ens autem per seipsum est praesens intellectui, cum intellectus per seipsum habeat rationem entis. Atqui haec cognitio non potest terminari nisi ad ipsam animam, quippe omnis cognitio quae terminatur ad aliud ab anima distinctum importat ex parte hujusmodi objecti in intellectu aliquam determinationem (1) quae statui intellectus indeterminatissimo et

(1) « Intellectus possibilis, ait S. Thomas, est in potentia ad intelligibilia sicut indeterminatum ad determinatum. Nam intellectus possibilis non habet determinate naturam

ipsi cognitioni indeterminatissimae respicienti objectum sub ratione communissima entis omnino repugnat. Ergo prima cognitio intellectus terminatur ad ipsam animam attingens ipsam indeterminate sub ratione entis (cf. supra n. 637).

2.° Cognitio intellectualis in quocumque cognoscente incipit ab ipso; unde Deus primo cognoscit se, et omnia alia in seipso, angelus primo intuetur essentiam suam, et similiter ipsa anima separata, idest cognitio sui ipsius praesupponitur veluti fundamentum et principium cognitionis aliorum objectorum. Ergo non videtur hoc ipsum esse denegandum intellectui humano in praesenti statu. — Neque officit quod experientia edoceat intellectum seu animam non cognoscere se perfecte praecipue ab initio, hoc enim contingit ex statu conjunctionis ad corpus ex quo vis cognoscitiva intellectualis attenuatur ut ejus cognitio ab initio sit imperfectissima, sed non ita ut penitus auferatur (cf. n. 637).

3.° Unde S. Thomas nostram conclusionem clarissime docet : quaerens enim « Utrum potentiae rationales sint semper in actu respectu objectorum in quibus attenditur imago, respondit : « Secundum Augustinum differunt cogitare, discernere et intelligere. Discernere est cognoscere rem per differentiam sui ab aliis. Cogitare autem est considerare rem secundum partes et proprietates suas : unde cogitare

---

alicujus rerum sensibilium. Unumquodque autem intelligibile est aliqua determinata natura alicujus speciei. Unde supra dixit (Philosophus) quod intellectus possibilis comparatur ad intelligibilia sicut tabula ad determinatas picturas. Quantum autem *ad hoc* intellectus agens non est in actu. Si enim intellectus agens haberet in se determinationem omnium intelligibilium non indigeret intellectus possibilis phantasmatibus, sed per solum intellectum agentem reduceretur in actum omnium intelligibilium, et sic non compararetur ad intelligibilia ut faciens ad factum » III. De Anima lect. X.

dicitur quasi coagitare. Intelligere autem nihil aliud dicit quam simplicem intuitum intellectus in id quod sibi est praesens intelligibile. Dico ergo quod anima non semper cogitat et discernit de Deo nec de se, quia sic quilibet sciret naturaliter totam naturam animae suae ad quod vix magno studio pervenitur; ad talem enim cognitionem non sufficit praesentia rei quolibet modo, sed oportet ut sit ibi in ratione objecti » *(determinate scilicet secundum quod aliquali distinctione ab aliis discernitur* (1) « et exigitur intentio cognoscentis (2). Sed secundum quod intelligere nihil aliud dicit quam intuitum, qui nihil aliud

---

(1) Eamdem doctrinam habet Angelicus in Summa theologia ubi ait : « Aliquis respondere posset per hoc quod Augustinus dicit quod *mens semper sui memoriam habet, semper se intelligit et amat :* Quod quidam sic intelligunt quasi animae adsit intelligentia et amor sui ipsius. Sed hunc intellectum excludit per hoc quod subdit *quod non semper se cogitat discretam ab his, quae non sunt ipsa.* Et sic *patet quod* anima semper intelligit et amat se non actualiter, *(idest ut discretam ab aliis)* sed habitualiter (*quia scilicet ille intuitus permanenter ad modum habitus existit in anima*). — Quamvis dici possit, quod percipiendo actum suum seipsam intelligit quandocumque aliquid intelligit ». P. I., qu. 93 a 7 ad 4.[m]).

(2) S. Thomas in Summa theologica sibi semper cohaerens ita coordinat actus potentiae intellectivae : « Primo quidem (potentia intellectiva) simpliciter aliquid apprehendit : et hic actus dicitur *intelligentia.* Secundo vero id quod apprehendit ordinat ad aliquid aliud cognoscendum vel operandum : et hic vocatur *intentio* : dum vero persistit in inquisitione illius quod intendit vocatur *cogitatio :* dum vero id quod est cogitatum examinat ad aliqua certa dicitur *scire* vel *sapere* ». P. I, qu. 79. a. X ad 9.[m]

Unde juxta Angelicum ad aliquid apprehendendum simpliciter non requiritur intentio intelligentis, intentio enim consequitur : et ideo ipsemet S. Thomas ait quod *ad tale intelligere,* quo anima semper percipit se, non *requiritur intentio intelligentis.* I Sent. III dist. qu. IV. a. V. ad 3.[m]. Cf. n. 645 nbi *intentio* dicitur species intelligibilis.

est quam praesentia intelligibilis ad intellectum quocumque modo, sic anima semper intelligit se et Deum indeterminate et consequitur quidam amor indeterminatus » (1).

651. **Quaestio.** — Supposita cognitione primi objecti quod est ipsa anima indeterminate et indistincte percepta sub ratione communissima entis, quaeritur de ordine cognitionis aliorum objectorum.

652. **Conclusio.** — 1.° *Anima seu intellectus primo et directe attingit actiones et qualitates sensibiles rerum materialium mediantibus phantasmatibus,* 2.° *attingit se indeterminate in ipsis qualitatibus abstractis* 3.° *anima percipit se in quocumque actu quo aliquid intelligit,* 4.° *per reflexionem attingit seu percipit ipsas affectiones seu actiones suas et suam substantiam in semetipsa;* 5.° *ipsam substantiam rerum materialium.*

Prob. 1.ª *pars :* Illud directe et primo attingit intellectus per suum intuitum ad quod intuitus ipse tanquam ad objectum dirigitur. Atqui intuitus intellectus ad ipsa phantasmata ut sunt repraesentativa, imo ut sunt actu repraesentantia actiones et qualitates rerum sensibilium et quatenus ad eas nexum et relationem effectus important directe et primo dirigitur. Ergo anima seu intellectus directe et primo ipsas actiones et qualitates rerum sensibilium attingit.

---

(1) I. Sent. dist III. qu. IV. a. V. — Quae cognitio de Deo intelligenda est ut patet ex contextu per animam seu in anima sicut in imagine sub ratione analogica entis ; unde idem Angelicus de eadem cognitione analogica Dei loquens ait : « Cognoscere Deum esse in aliquo communi sub quadam confusione est nobis naturaliter insertum inquantum scilicet Deus est hominis beatitudo... sed hoc non est simpliciter cognoscere Deum esse, sicut cognoscere venientem non est cognoscere Petrum, quamvis sit Petrus veniens ». P. I. qu. II. a 1. ad 1.^{m}.

Prob. minor 1.° ex eo quod res cognitae a nobis non explicantur nisi per earum actiones et qualitates quae proinde primo et directe sunt nobis notae; 2.° ex eo quod phantasmata praecipue quatenus ex impressionibus in sensibus externis receptis ab objectis exterioribus derivantur attentionem provocant animae quae ex hoc ipso applicat ad ea suam activitatem seu suas facultates quae proinde proprium objectum attingunt; una enim et eadem anima est quae sentit obiectum sensibile et intelligit se licet per distinctas potentias; unde non est mirum si ad ipsum objectum ab ea per phantasma perceptum utpote sibi aliquo modo objective praesens intuitum intellectus dirigat et per hoc quod aliquo modo se intelligit, intelligat seu attingat etiam aliquo modo actum suum perceptionis et sensationis cum impressione recepta ab objectis exterioribus et inde percipiat determinate se esse (cf. I, n. 282). Unde S. Thomas scite ait: « Ad hoc quod percipiat anima se esse et quid in seipsa agatur attendat, non requiritur aliquis habitus sed ad hoc sufficit sola essentia animae quae menti est praesens; ex ea enim actus progrediuntur in quibus actualiter ipsa percipitur » (cf. n. 641) (1).

Prob. 2.ª *pars:* Secunda pars sequitur ex dictis; nam ex hoc ipso quod intellectus attingit tanquam proprium objectum ipsas qualitates sensibiles abstrahit eas a conditionibus materialibus individuantibus (cf. n. 546 et 569); atque proinde sensibiles qualitates perceptae habent vi abstractionis seu illuminationis intellectus modum essendi universalem supra conditiones materiae elevatum eo ferme modo quo coloratum habet esse coloratum vi lucis corporalis. Atqui eo ipso quo videtur coloratum illustratum a luce lux

(1) De verit. qu. X. a. VIII.

illa percipitur. Ergo eo ipso quo sensibiles qualitates sub ratione universali seu sub statu abstractionis vi illuminationis intellectus habitae ipsum lumen intellectuale aliquo modo percipitur (1).

Prob. 3.ª *pars:* Actus intellectus est naturaliter reflexivus; unde substantiae separatae intelligunt directe et primo propriam substantiam et ejus perfectiones, actionibus ipsis comprehensis, intellectus autem humanus licet non attingat substantiam animae directe ob ejus imperfectionem, tamen habet conscientiam suae intellectionis quandocumque intelligit. Atqui conscientia propriae intellectionis importat perceptionem et quidem ut aliqualiter discretam sui ipsius. Ergo anima in quocumque actu quo aliquid intelligit percipit se.

Prob. 4.ª *pars* quae etiam sequitur ex dictis. Nam ex hoc ipso quod anima alia a se puta qualitates sensibiles objectorum exteriorum per intellectum qui est facultas reflexiva, percipit, in semetipsam redire potest et redit reditione completa atque seipsam satis distincte alia percipere et ab eis affici intelligit. Atqui haec perceptio vel cognitio importat cognitionem non solum affectionum, actionum etc. quae sunt in ipsa anima, sed etiam cognitionem ipsius substantiae idest ipsius animae prout est subjectum harum affectionum et prout eas in se substentat. Ergo anima cognitione intellectiva in semetipsa attingit rationem substantiae praeter ipsas affectiones.

---

(1) « Alio tamen modo (a supra exposito n. 650, 3º) secundum philosophos, ait Angelicus, intelligitur quod anima semper se intelligit eo quod omne quod intelligitur non intelligitur nisi illustratum lumine intellectus agentis et receptum in intellectu possibili. Unde sicut in omni colore videtur lumen corporale, ita in omni intelligibili videtur lumen intellectus agentis: non tamen in ratione objecti, sed in ratione medii cognoscendi » I dist. III, qu. IV, a. V, c.

Prob. 5.ª *pars.* Quamvis anima seu intellectus primis perceptionibus ipsas qualitates sensibiles percipiat non tamen videtur eas percipere in earum natura determinata, clara et distincta, imo neque sub ratione inhaerentiae vel accidentis; unde neque videtur percipere imo a fortiori ipsam rationem substantiae cui illae qualitates inhaerent, sed progressu temporis licet citissime illarum qualitatum et objectorum exteriorum cognitio explicatur ad praedictas rationes formales pertingens. — Non tamen putandum est notionem substantiae et accidentis de qua loquimur, ab initio esse distinctam, claram, absolutam et perfectam sicut per metaphysicam habetur.

653. **Origo cognitionis substantiae.** — Ex quo haberi potest quod anima rationem substantiae aliquo modo accipit seu percipit in semetipsa quasi modo experimentali non per speciem intelligibilem; est enim anima sibi praesens in ratione substantiae modo habituali, unde potens est hoc modo se ipsam percipere et similiter affectiones et actiones praecipue intellectuales utpote sibi praesentes potest anima percipere et percipit sub ratione accidentis idest ut sibi inhaerentes quasi in subjecto. Notio ergo substantiae et accidentis ab initio cognitionis provenire potest ex ipsa anima non quidem subjective eo modo quo Kantiani absurde putant (n. 559), sed objective quatenus anima est verum subjectum in se subsistens. Unde non videtur necessaria species intelligibilis quae ipsam directe repraesentet ad primam substantiae notionem.

654. **Objectio** *contra* 1.ªm *partem conclus.:* Anima non cognoscit phantasma directe et primo sed per quandam reflexionem, directe enim et primo attingit universale idest objectum quod abstrahitur. Ergo intuitus non dirigitur ad phantasma et objectum non cognoscitur ex cognitione phantasmatis.

Resp.: dist. antec.: Anima seu intellectus non cognoscit directe et primo phantasma cognitione distincta et determinata *conc.*, cognitione imperfecta et indeterminata, quae importat simplicem intuitum *nego.* Et *dist. conseq.:* Intuitus non dirigitur ad phantasma tanquam ad suum terminum et objectum primarium *conc.*, non dirigitur tanquam ad viam et medium ad terminum *nego.* — Phantasma non est institutum a natura ut sit objectum et terminus intellectus, sed solum ut sit via ad objectum, et ideo intuitus non eadem ratione respicit ipsum et objectum suum; unde ad ipsum dirigitur ea tantum ratione qua est via: ad hoc autem non requiritur ut perfecte et distincte vel ut per se et primo cognoscatur, sed sufficit ut apprehendatur ejus nexus et relatio ad ipsam impressionem seu ad ipsam actionem objecti exterioris in sensum. Sic enim intuitus directe et primo fertur ad terminum idest ad objectum modo abstracto percipiendum et indirecte tangit ipsum phantasma et indeterminate. Inde autem potest redire ad ipsum phantasma magis determinate puta in sua singularitate percipiendum. — Phantasma non est medium ad intelligendum objectum exterius nisi ratione impressionis seu actionis exercitae in sensum externum ab ipso objecto exteriori; unde phantasmata somniantis non ducunt in cognitionem objectorum exteriorum (cf. I, 279-280); et ideo intuitus magis ad impressionem et actionem in sensibus externis receptam fertur quam ad ipsum phantasma; unde illa prius et per se attingitur: sed etiam magis ad ipsas actiones exteriores mutuas rerum quae sensus percellunt fertur intuitus intellectus, et inde est quod naturae rerum sensibilium nonnisi per ordinem ad proprias operationes cognoscuntur et explicantur (cf. I, n. 438, et supra n. 330, 550, 554 seqq).

655. **Modus cognoscendi singularia determinatur.** — Diximus supra (n. 569) intellectum non cognoscere directe et per se singularia, sed indirecte et vi cognitionis universalium. Unde cognitio intellectus primo et per se ad universalia terminatur. Explicandum est ergo quomodo exercetur cognitio indirecta intellectus respectu singularium. S. Thomas docet expresse quod talis cognitio reflexionem importat; demonstrato enim quod intellectus directe non potest cognoscere singulare, subdit: « indirecte, autem et quasi per quamdam reflexionem potest cognoscere singulare » (1) et infra (2) dicit « singularia..... intellectus humanus non cognoscit *nisi per reflexionem* » (3) et explicat modum quo contingit haec reflexio dicens: « Mens cognoscendo objectum suum quod est aliqua natura universalis redit in cognitionem sui actus et ulterius in speciem, quae est actus sui principium et ulterius in phantasma a quo species est abstracta; et sic aliquam cognitionem de singulari accipit ».

656. **De qua reflexione est intelligenda doctrina S. Thomae exposita.** — Adverte tamen duplicem a S. Thoma distingui reflexionem, unam quae fit studiose inquirendo de natura rei, quae cognoscitur per actum novum distinctum omnino a primo; altera quae in ipsa perceptione objecti directe cogniti habetur: in praesenti est sermo de utroque genere reflexionis. Hanc duplicem reflexionem distinguit Angelicus p. 1.ª q. 87, a. 2.º ubi, loquens de cognitione quam intellectus habet de habitu qui in ipso est principium actus, ait: « Necesse est quod

(1) P. I, qu. LXXXVI, a. I. c.
(2) Ibid. a. IV.
(3) De ver. qu. X. u. V. c.; Cf. etiam ib. qu. II, a VII, c.

per actum suum cognoscantur (habitus), sive dum aliquis percipit se habere habitum per hoc, quod percipit se producere actum proprium illius habitus, sive dum aliquis inquirit naturam et rationem habitus ex consideratione actus. Et prima quidem cognitio habitus fit per ipsam praesentiam habitus; quia ex hoc ipso quod est praesens actum causat in quo *statim* percipitur. Secunda autem cognitio habitus fit per studiosam inquisitionem »; et infra q. 93, a. 7 ad 4.^{m} ait quod mens « percipiendo actum suum seipsam intelligit, quandocumque aliquid intelligit ».

657. **Corollarium.** — Ex hac doctrina sequitur quod statim eo ipso quo cognoscitur universale objectum, habeatur etiam aliqualis cognitio singularis objecti: haec tamen cognitio confusa est, evadit autem distincta per hoc quod in singulari objecto intellectus notas diversas sub ratione universalitatis cognitas, illi soli objecto simul sumptas convenire perspicit (Cf. n. 569 in fine).

Caput XXXIV.

De cognitione rerum supersensibilium.

(S. Th., p. qu. I, LXXXVIII; Zigliara, l. c. cap. III, art. VI; Mercier, l. c. n. 180 et seq.).

658. **Ratio capitis.** — Agentes de objectis cognitionis humanae esset dicendum de objecto proportionato intellectus humani, sed cum de hoc egerimus congruentius supra (n. 547 seqq.), nunc remanet dicendum de rebus supersensibilibus.

659. **Quid doceant ontologistae circa Dei cognitionem.** — Docent ontologistae Deum esse primum objectum quod a mente nostra cognoscitur, et omnia alia vi cognitionis talis objecti a nobis co-

gnosci. Haec Dei cognitio intuitus ab ontologis dicitur; non tamen eodem modo cognitio Dei ab omnibus ontologistis explicatur: nam 1,° ontologi pantheistae, qui nonnisi unum *ens* aut *unicum subjectum* cognoscens cum quo omnia identificant, esse autumant, affirmant Deum perfecte in se a mente humana cognosci (n. 562 et I, 205); de hac specie ontologismi satis sunt ea, quae supra loco citato diximus (Cf. nostram Introd. ad S. Theol. P. I, c. XII): 2.° ontologistae vero qui Deum distinctum a mundo et a subjecto cogitante agnoscunt, adseverant essentiam divinam non videri in se ab intellectu humano, sed videri ipsam ut est aliquid relativum ad creaturas, et ideo ut est idea creaturarum repraesentativa et expressiva: potest autem videri prout est idea hujus naturae et non alterius, e. g. ut est idea hominis et non ut est idea lapidis etc. Unde ideae divinae sunt rationes rerum, quae sunt ipsa universalia, ut docent ontologistae. Rosminius etiam sententiam ontologisticam amplectitur, quamvis ontologos refutet; nam ipsemet docet intellectum humanum habere intuitionem immediatam entis, et ens quod est objectum talis immediatae intuitionis esse aliquid divinum in se, esse ipsum Deum realiter (Cf. I, n. 200, et nostram Introd. l. c. cap. XIII et XIV).

660. **Conclusio.** — *Deus non potest esse primum objectum quod a mente nostra cognoscitur.* — (Cf. S. Th. l. c. a. II).

Prob.: 1.° Si Deus esset primum objectum quod per se, directe et immediate a mente nostra cognoscitur, mens nostra non indigeret conversione ad phantasmata ad cognoscenda objecta. Atqui mens nostra indiget converti ad phantasmata ad cognoscenda objecta, ut ex experientia constat. Ergo Deus

non potest esse primum objectum quod per se, directe et immediate a mente nostra cognoscitur. — *Prob. maj.:* Objectum primum, directum et immediatum alicujus facultatis oportet ut in se includat rationem sub qua omnia alia a tali facultate cognoscuntur, et ideo oportet ut omnia a tali facultate cognoscantur sub illa ratione. Unde si talis ratio quantum est de se est sufficiens ad objecta cognoscenda, nihil aliud requiritur praeter ipsam facultatem quantum est de se expeditam ad agendum. Atqui Deus directe, per se et immediate visus includit rationem sufficientem ad cognoscenda omnia objecta; unde ontologistae docent quod nonnisi Deus directe visus potest esse ratio omnia alia cognoscendi et quod essentiae rerum sunt ipsae ideae divinae. Ergo si Deus esset objectum quod primo, directe, per se et immediate intellectus humanus intueretur, non indigeret conversione ad phantasmata ad cognoscenda objecta.

Confirmatur: Necessitas conversionis ad phantasmata quam experimur aut est ex parte objecti, aut ex parte intellectus: sed non desumitur ex parte intellectus, qui est facultas spiritualis, inorganica omnino, et qui in statu separationis certe sine conversione ad phantasmata intelligit; neque desumitur ex parte objecti in sententia ontologistica, nam objectum quod primo, per se, directe et immediate objicitur intellectui et sub cujus ratione intellectus omnia cognoscit, est ipse Deus vel ideae divinae juxta ontologistas; Dei autem et idearum divinarum non sunt phantasmata, cum Deus et ideae divinae omnimoda spiritualitate gaudeant. Ergo si intellectus humani primum, directum et immediatum objectum esset ipse Deus, intellectus humanus non indigeret conversione ad phantasmata.

2.° Modus naturalis et proprius cognitionis intellectus humani est per abstractionem a sensibilibus quorum sunt phantasmata; unde supra (n. 569) probavimus intellectum nonnisi vi cognitionis abstractae posse cognoscere singularia sensibilia. Ergo si intellectui ipsa objecta universalia non per operationem intellectus, sed secundum propriam naturam abstracta per se objective exhiberentur, ut adserunt ontologistae de ideis divinis, naturaliter eo ipso cognoscerentur, quin intellectus se converteret ad phantasmata, quae exhibent singularia sensibilia.

661. **Pro solutione difficultatum.** — Ad solvendas difficultates quas ontologistae movent 1.° observanda sunt ea, quae de universalibus explicavimus in logica (n. 196 et seq.); 2.° observandum est quod veritas, praeter divisiones quas enumeravimus in logica (n. 127 et 128), dividitur etiam in veritatem per essentiam et per partecipationem; 3.° idea infiniti haberi potest ex notione finiti (I, n. 590); 4.° quod res aliqua licet sit quid relativum, tamen potest in se intelligi quamvis non perfecte, quin intelligatur terminus ad quem refertur; e. g. si quis non cognoscat Petrum potest cognoscere imaginem ejus, quin ex hoc ipso cognoscat imaginem esse expressivam Petri, aut esse expressivam conceptus alicuius pictoris: sicut de facto contingit in puero, aut in persona adulta valde rudi et barbara, quae nullum artificem aut pictorem agnovit.

662. **Traditionalistarum sententia circa cognitionem rerum supersensibilium.** — Traditionalistae quoad res suprasensibiles docent intellectum humanum eas non posse cognoscere sine ope divinae revelationis generi humano per protoparentem transmissae. — Tamen duplex traditionalistarum sententia habetur: sunt enim quidam (quos inter de Bo-

nald recensetur) dicti rigidiores, qui negant non solum rerum supersensibilium ullam cognitionem a mente nostra haberi posse sine ope dictae revelationis, sed etiam rerum naturalium et sensibilium; putant enim nullum conceptum a mente haberi posse sine ope sermonis. Alii vero dicti mitiores negant solummodo posse haberi cognitionem rerum supersensibilium, videlicet existentiae Dei, spiritualitatis animae, ordinis moralitatis etc. Inter mitiores recensetur P. Ventura et Bonnetty. — Contra traditionalistas sit sequens conclusio:

663. **Conclusio.** — *Tam traditionalismus rigidus, quam mitior est omnino rejiciendus.*

Prob.: 1.° *de traditionalismo rigido:* Fundamentum cui innititur traditionalismus rigidus est omnino falsum et absurdum. Ergo traditionalismus rigidus est omnino rejiciendus. — *Conseq. patet. Prob. antec.:* Traditionalismi rigidi fundamentum est quod nullus conceptus a mente nostra haberi potest sine ope sermonis; hoc autem esse falsum et absurdum infra ostendetur (in cap. *de verbo mentis)*; nunc autem animadvertere sufficiat quod verbum vocis sive sermo nihil est aliud quam signum verbi interioris seu conceptus mentis: signum autem supponit rem cujus est signum, imo verbum exterius seu vox significativa plura interius supponit idest phantasmata et ideam abstractam subjecti cogitantis (cf. n. 445).

2.° *de traditionalismo mitiori:* Concedunt traditionalistae mitiores quod mens humana potest sine ope magisterii traditionalis cognoscere veritates obiectorum, quae intra limites sensibilium continentur. Atqui inter objecta sensibilia et objecta spiritualia est nexus logicus, qui non excedit vires intellectus humani, sed qui est eis omnino proportionatus. Ergo intellectus humanus, cognitis objectis sensibilibus,

potest pervenire ad aliqualem cognitionem rerum spiritualium. — *Prob. minor* ex facto ipso ; nam intellectus humanus nunc de facto vere demonstrat ex objectis sensibilibus existentiam rerum supersensibilium et spiritualium e. g. existentiam Dei, existentiam animae spiritualis et immortalis in nobis (cf. n. 342, 351 etc.) ; demonstrat etiam quasdam imo plures veritates in ordine moralitatis et quidem per veram demonstrationem, ut concedunt ipsimet Traditionalistae. Hoc autem non esset si nexus logicus proportionatus viribus intellectus nostri non extaret inter objecta sensibilia et supersensibilia.

Caput XXXV.

De existentia et natura specierum intelligibilium.

(S. Thom., P. I, qu. 84 cum comm. Caiet., Bannez, etc. Zigliara, l. c. lib. IV, c, II, a. I-III ; Gonzales, Liberatore, De Maria, Schiffini, Lorenzelli, Mercier, Hugon etc. in suis psychologiis. — Period. Div. Thom. vol. 6. pag. 199).

664. **Ratio capitis.** — Agentes de medio cognitionis dicendum est de ideis, et primo quidem de idea impressa, deinde de idea expressa. De idea impressa seu de specie intelligibili vero determinanda est existentia et natura ; et similiter de idea expressa seu de verbo mentis. Inde origo et formatio idearum statuetur.

665. **Ideae notio et divisio.** — Idea dicitur a S. Thoma et communiter : *Similitudo seu forma rei existens in mente praeter ipsam rem.* « I δεα enim, ait Angelicus, latine forma dicitur. Unde per ideas intelliguntur formae aliarum rerum praeter ipsas existentes » (1). Potest autem idea considerari ut exi

(1) P. I, qu. 15. a. 1.°.

stens in mente modo habituali vel modo actuali cum scilicet mens actu cognoscit vel concipit objectum. Idea primo modo considerata dicitur idea impressa, vel species intelligibilis; si vero secundo modo consideretur dicitur conceptio, vel idea expressa, verbum mentis, verbum cordis, species expressa vel intellecta.

666. **Aliae divisiones idearum.** — Ideae varias divisiones suscipiunt juxta divisiones terminorum de quibus satis sunt quae diximus in logica, nunc vero non repetenda utpote de facili ideis applicabilia. Solummodo animadvertimus ideas quasdam alias subdivisiones suscipere quae terminis convenire non possunt. Unde communiter ideae propria divisione dividuntur in claras, distinctas, confusas prout objecta clare, vel distincte vel confuse referunt aut exprimunt. Similiter dividuntur in completas et incompletas, adaequatas et inadaequatas prout objecta complete, adaequate vel inadaequate referunt; objectum enim potest cognosci magis vel minus prout aut totum aut in parte tantum attingitur, et potest magis vel minus intime attingi inquantum in sua praedicata magis vel minus intima, in quaedam tantum vel in omnia usque ad ultimas differentias resolvitur.

667. **Idea ut exemplar.** — Idea non solum potest considerari prout est principium et medium cognitionis, sed etiam ut habet rationem exemplaris, seu ut est exemplar. Non tamen omnes ideae habent rationem exemplaris, sed solum illae ideae quae aliquod artefactum pro objecto habent seu quae ordinantur ad aliquod opus faciendum, licet fortasse non fiat. Ita in mente artificis idea aedificii construendi vel constructi ab ipso est verum exemplar, nam exemplar est id ad quod aspiciens agens, vel artifex ope-

ratur. At de ideis exemplaribus diximus supra (cf. I, n. 278 seqq.).

668. **Quaestio prima.** — Prima quaestio quae de speciebus intelligibilibus proponitur est an anima humana seu intellectus cognoscat omnia per essentiam suam, vel mediantibus quibusdam similitudinibus a se ipsa distinctis et in ipsa existentibus quae objecta cognita repraesentant et quae ideae seu species intelligibiles merito vocantur.

669. **Sententiae antiquorum philosophorum.** — Antiqui philosophi nimis materialiter de anima humana et de cognitione intellectiva ejus sentientes, supposito quod cognitio sit per similitudinem sicut revera supponendum est, putaverunt animam humanam corpora cognoscere per hoc, quod ipsa ex natura omnium corporum constet. Unde dixerunt per ignem, qui, ut ipsi putant, est in ea, ut pars ejus constitutiva, ipsam cognoscere ignem, per aquam aquam etc. — Falsitas hujus sententiae per se evidens est : non enim anima humana est corpus (n. 336); insuper sequeretur ex hac sententia, quod cum anima omnia corpora tum in specie tum in individuo cognoscere possit, deberet in se continere omnia corpora, tum quantum ad rationem specificam, tum etiam individualem. Rejecta ergo hac sententia ut evidenter absurda, aliae sententiae expendendae sunt (1).

670. **Idealistarum sententia.** — Idealistae non valentes explicare quomodo anima humana objecta cognoscat, si objecta ponantur existere in natura extra animam, posuerunt omnia objecta quae ab anima nostra cognoscuntur realitate carere et habere solummodo esse ideale, idest existere in mente et a mente

(1) Cf. S. Th., l. c., a. 2.

habere originem, ut exposuimus ex Kantio, cujus doctrina non differt a doctrina veterum idealistarum (n. 557 et seq. et I, 272). Sed quia de absurditate idealismi satis diximus loco citato, et etiam in logica (I, n. 236 segg. et 272 seqq.), ideo in praesenti nihil directe contra ipsum dicimus ne actum agamus. Hanc tamen conclusionem ponimus ex qua indirecte utraque exposita sententia refutatur.

671. **Conclusio I.** — *Anima humana seu intellectus humanus non potest omnia cognoscere per essentiam suam* (1).

Prob.: 1.° Si intellectus humanus cognosceret objecta per essentiam suam ipsa essentia intellectus esset forma seu species intelligibilis una et simplex omnia repraesentans, qua ipsemet intellectus objecta sua cognosceret. Atqui omnino impossibile est quod intellectus humanus cognoscat ea, quae sunt seu objecta sua per seipsum tanquam per formam, seu per speciem intelligibilem. Ergo intellectus humanus non cognoscit objecta sua per suam essentiam. — *Maj. patet,* nam forma est id quo agens agit. *Prob. minor :* Si intellectus humanus cognosceret objecta sua per suam essentiam sequeretur quod in sua essentia objecta sua praecontineret sicut in uno. Imo, cum objectum intellectus adaequatum sit ens (n. 548), sequeretur quod omnia cognoscibilia continerentur in essentia intellectus eminentiori quadam ratione, et omnia materialia modo immateriali, quod solius essentiae divinae est, in qua sola perfectiones omnium rerum continentur.

2.° Actus qui sequitur ex aliqua virtute actuata per aliquam formam attenditur secundum efficaciam virtutis et formae ; unde quo forma est perfectior,

(1) Cf. S. Th., p. I, qu. LV, 1.

tanto ad plura se extendit actus. Si ergo intellectus intelligit per essentiam suam tanquam per formam unam et simplicem plura repraesentantem objecta, sequitur, quod ea omnia per unum actum simul comprehendat. Si autem ponatur quod per essentiam suam, tanquam per formam intelligibilem intellectus omnia cognoscat, sequitur ulterius quod omnia, quae comparantur ad ipsum sicut objecta, simul per unum actum comprehendat. Haec autem sunt contra con scientiam manifeste.

672. **Conclusio II.** — *In intellectu sunt ponendae formae ab intellectu distinctae, quae sunt similitudines objectorum, et dicuntur species intelligibiles seu ideae.*

Prob.: Per hoc quod intellectus objecta cognoscit, oportet ut ipsa objecta sint in intellectu, nam cognitum est in cognoscente; si autem objecta, quae cognoscuntur ab intellectu sunt in eo, aut sunt per identitatem, aut sunt per hoc quod ipse intellectus unus et simplex, est similitudo et forma omnium objectorum suorum, vel per hoc quod in intellectu sunt similitudines objectorum ab intellectu distinctae, quae dicuntur formae intellectus, et quibus intellectus determinatur ad intelligendum, et quae dicuntur species intelligibiles vel ideae. Atqui 1.^{m} et 2.^{m} mem brum stare non possunt, ut patet ex dictis (concl. praec.). Ergo dicendum est, quod objecta sint in intellectu per eorum similitudines ab intellectu distinctas, quae sunt formae, quibus intellectus actuatur et determinatur ad intelligendum, et recte vocantur ideae seu species intelligibiles (1).

673. **Quaestio secunda.** — Statuta existentia idearum earum natura determinanda est; in qua determinanda et explicanda philosophi non conveniunt.

(1) P. I, qu. LV, a. I.

674. **Sententiae diversae.** — Putavit Plato exĭstere naturās rerum sensibilium ab omni materia separatas extra intellectum humanum, quas vocabat formas seu ideas; e. g. putavit existere *humanitatem* separatam ab omni materia sensibili, item existere *animalitatem*, existere *naturam equi* etc.; has formas vocabat propria denominatione *humanitatem* quidem *per se hominem, animalitatem per se animal* etc. (I, n. 197). Diversimode tamen hanc doctrinam platonicam philosophi interpretati sunt; quidam enim acceperunt doctrinam platonicam ut admittentem illas formas esse separatas ab omni materia, et per se subsistentes, et quod ex eis resultarent quaedam similitudines in intellectu humano ad eas formas intelligendas; alii autem intellexerunt doctrinam platonicam ut admittentem illas formas non esse in se et per se subsistentes, sed in mente divina, et ideo esse ipsas ideas divinas praesentes intellectui humano, qui proinde juxta eos intelligit ideas divinas quae sunt ipsa universalia, in quibus sensibilia intelliguntur (1).

675. **Conclusio.** — *Doctrina platonica,* 1.° *sive admittat ideas, quibus intellectus humanus intelligit esse similitudines derivatas a formis separatis,* 2.° *sive admittat esse ideas in mente divina existentes, falsa est omnino.*

Prob. 1.ª *pars:* 1.° Formae illae, prout dicuntur esse separatae in se et per se subsistentes, sunt omnino chimerae et absurditates, ut probavimus (I, n. 199), et concedunt nunc omnes philosophi. Ergo ideae quibus intellectus noster intelligit non sunt similitudines ex illis formis derivatae.

---

(1) Ib. qu. LXXXIV, a. IV.

2.° Si similitudines seu ideae in mente nostra existentes ex illis formis derivarent et essent primo et per se expressivae illarum formarum per se subsistentium, deberent illae formae ut tales primo et per se cognosci ab intellectu, idest deberent cognosci communiter ab hominibus tales formae ut per se subsistentes. Hoc autem falsum omnino est.

Prob. 2.ª *pars :* 1.° Formae platonicae, e. g. humanitas, animalitas, equinitas etc. affirmantur de rebus sensibilibus, et quidem non quasi accidentaliter advenientes, sed ut intrinsece constituentes ipsa sensibilia ; e. g. humanitas intrinsece et essentialiter affirmatur de Petro, de Francisco etc., item animalitas affirmatur de quolibet animali sensibili. Atqui ideae in mente divina existentes nequeunt affirmari praecipue ut intrinsece constituentes, de rebus sensibilibus. Ergo formae platonicae non possunt esse ideae in mente divina existentes, et proinde intellectus humanus non intelligit per ideas divinas.

2.° Si humanitas, animalitas, equinitas etc., prout a mente nostra concipiuntur, sunt in mente divina ut formae, seu ut ideae realiter et vere existentes, et quidem intrinsece (nam quidquid est in Deo et Deo convenit, intrinsece ei convenit) sequitur quod Deus possit a talibus formis vere et proprie denominari ; nam unaquaelibet res vere et proprie denominatur a forma sua, praecipue si est ei intrinseca et identica ; sicut paries vocatur albus ab albedine, et homo virtuosus a virtute, et animal ab animalitate, et homo ab humanitate. Ergo Deus vere et proprie dici poterit homo, animal, equus etc., quod blasphemum et pantheisticum omnino est (cf. I, n. 201).

676. **Corollaria.** — I. Ideae ergo seu species intelligibiles, quas probavimus esse in intellectu humano, non sunt neque formae per se subsistentes et

sua praesentia determinantes intellectum ad intelligendum, neque sunt similitudines ab eis in intellectum derivatae, neque sunt ipsae ideae in mente divina existentes quasi determinantes sua prasentia intellectum humanum ad intelligendum.

II. Sunt tamen quaedam similitudines objectorum, quae ab intellectu cognoscuntur, et dici possunt quaedam determinationes in intellectu existentes, vel etiam dispositiones, quibus intellectus constituitur in actu proximo intellectionis.

III. Ideae ergo seu species intelligibiles sunt accidentia, quae intellectui inhaerent; sunt spiritualis naturae, utpote actuantes, determinantes et perficientes rem spiritualem, qualis est intellectus, et quidem in ordine ad actionem spiritualem eliciendam, quae est intellectio.

IV. Possunt ergo species intelligibiles sive ideae et debent considerari sicut principium intellectionis, imo ut forma, quae intellectum complet ad intelligendum; et ideo ex intellectu et ex specie intelligibili constituitur unum principium completum intel lectionis.

V. Unde species intelligibilis potest considerari ut quasi foecundativa intellectus in ordine ad intellectionem et conceptionem: conceptio enim nullius objecti esset in intellectu, nisi intellectus prius informaretur a specie intelligibili et ab ea determinaretur ad intelligendum vel concipiendum hoc vel illud objectum.

VI. Est ergo species intelligibilis veluti semen consideranda in intellectu.

VII. Species intelligibilis non est terminus cognitionis sed principium, ex quo progreditur cognitio; et a natura intellectui datur, ut objecta quorum est repraesentativa intellectus cognoscat, ideo primo, di-

recte et per se cognitio intellectus ad talia objecta ordinatur, et per reflexionem intellectus speciem intelligibilem cognoscit, sicut per reflexionem cognoscit se.

CAPUT XXXVI.

De verbo mentis et de verbo vocis.

(S. Th., P. I, qu. 27, a. I; q. 34, a. 1 q. 37, a. 1 et aliis locis infra citatis. LIBERATORE, LORENZELLI, MERCIER, HUGON, l. c. pp. 310 seqq. Period. Div. Thomas v. 6 pag. 392, ZIGLIARA, l. c., cap. III art. I).

677. **Verbum exterius.** — Nomine *verbi*, communiter loquendo, intelligitur vox articulata, quae ore profertur, aut signum ejus quod atramento exaratur ad exprimendum aliis mentis conceptum; et dicitur etiam verbum exterius prolatum.

678. **Verbum interius.** — Per hoc quod aliqua res a mente apprehenditur seu concipitur, dicitur esse in mente; sed hoc non intelligitur quasi ipsa sit per se physice, et, ut ita dicam, materialiter et realiter in ipsa mente, sed per suam imaginem, quae est rei viva similitudo et expressiva; unde sicut per verbum exterius prolatum exprimitur res aliis, ita per hujusmodi similitudinem seu conceptionem mens sibi ipsi quodammodo exprimit et dicit objectum. Propterea talis similitudo dicitur *verbum interius* et *verbum mentis,* seu *verbum cordis.*

679. **Verbum imaginatum.** — Similitudo rei quae est in imaginatione, et quae est ipsum phantasma, habet aliquam proportionem cum verbo interiori intellectus; sed non dicitur verbum imaginatum, nisi in specie sumatur ipsa similitudo imaginationis, idest

ea, quae est repraesentativa *verbi exterioris* seu *vocis* (1).

680. **Corollarium.** — Conceptio in intellectu non est nisi dum intellectus actualiter objectum aliquod concipit seu actualiter intelligit; quia ergo verbum mentis est ipsa conceptio, ideo etiam de verbo mentis, seu verbo cordis, idem dicendum est.

681. **Ad verbum efformandum non requiritur cognitio reflexa.** — Haec propositio quae est contra Rosminium, est certissima : nam verbum est ipsa conceptio et expressio objecti cogniti ; ad concipiendum autem sive exprimendum aliquod objectum puta lapidem etc. non requiritur actus reflexus neque cognitio reflexa, sed sufficit cognitio directa « Cum reflexio, ait Angelicus, fiat redeundo super idem ; hic autem non sit reditio super speciem nec super intellectum formatum specie quia non percipitur quando verbum (rei exterioris) formatur ; gignitio verbi non est reflexa » (2).

682. **Ad verbum tamen requiritur perfecta cognitio.** — Ad verbum efformandum non sufficit simplex intuitus qui existit in intellectu per modum habitus et qui est ipsum lumen intellectus agentis hinc illucque per varia phantasmata diversis objectis applicatum, dum objecta illa unum post aliud successive agunt in animam sensus externos afficientia atque determinantia per hoc quod eorum actio in ipsis sensibus excipitur atque ad internos

---

(1) « In loquente, ait Angelicus, *triplex* verbum distinguitur, scilicet id quod per intellectum concipitur... hoc est verbum cordis voce prolatum, item exemplar exterioris verbi, et hoc dicitur verbum interius quod habet imaginem vocis, et *verbum exterius* expressum quod dicitur verbum vocis » De verit. qu. IV, a. I, c.).

(2) Opusc. *De natura verbi intellectus.*

sensus pertingit. Nam haec objectorum animae praesentia respectu intellectus possibilis non est objectiva quae non habetur nisi per speciem quae vi intuitionis intellectus agentis in ipso resultat et manet (cf. n. 544). Sed requiritur actus novus, actus perfectior ex intellectu informato specie intelligibili proveniens, qui proinde intentionem importat (cf. pag. 503 (2), actus enim ex nuda potentia est imperfectus, perfectus vero ex potentia informata habitu procedens. (Cf. n. 623).

683. **Conclusio I.** — *In quacumque cognitione etiam in simplici apprehensione, quae non est simplex intuitus, procedente ex specie seu ex notitia habituali verbum formatur.* — Adverte verba restrictiva; quae non est *simplex intuitus, et procedente ex specie seu notitia jam habita vel habituali;* nam cognitio seu intellectio quae importat simplicem intuitum vel primos actus et notitiam purae potentiae sine habitu est cognitio imperfecta. — Insuper nostra conclusio intelligenda est de cognitione naturali; nam de cognitione beatifica supernaturali agere ad theologos spectat.

---

(2) « Verbum nostrum, ai Angelicus, est prius formabile quam formatum; nam cum volo concipere rationem lapidis oportet quod ad ipsum verbum ratiocinando perveniam; et sic est in omnibus aliis quae a nobis intelliguntur, nisi forte in primis principiis, quae cum sint naturaliter nota absque discursu rationis statim intelliguntur seu cognoscuntur. Quandiu ergo intellectus ratiocinando discurrit, huc illucque jactatur necdum formatio perfecta est nisi quando ipsam rationem rei perfecte conceperit et tunc habet primo rationem verbi; et inde est quod in anima nostra est etiam cogitatio, per quam significatur ipse discursus inquisitionis; et verbum quod est jam formatum per perfectam contemplationem veritatis; ideo perfecta contemplatio veritatis dicitur verbum ». Opus. *De differentia verbi divini et humani.*

Prob. conclusio : Verbum est ipsa similitudo expressiva objecti, quod intelligitur existens in mente ab ipsa mente effecta. Atqui in quacumque cognitione procedente ex specie intelligibili seu ex notitia habituali existente in mente formatur seu producitur similitudo expressiva objecti, secus objectum non potest esse in mente a mente expressum et perfecte cognitum. Ergo in quacumque cognitione etiam in simplici apprehensione etc. verbum formatur.

684. **Ad verbum mentis requiritur cognitio discretiva.** — Cognitio quae procedit ex specie intelligibili ad verbum mentis requisita est duplex, una quidem quae vocatur indivisibilium intelligentia per quam intellectus format in seipso definitionem vel conceptum alicujus incomplexi et haec dicitur simplex apprehensio ; alia est operatio intellectus componentis et dividentis seu judicantis et formantis enuntiationem. Utraque autem haec operatio intellectus importat cognitionem distinctam. - Nam prima est cognitio quidditatis seu essentiae qua una res ab alia distinguitur, secunda est cognitio eorum quae quidditati conveniunt (1).

685. **Cognitio quae habetur per verbum semper judicium saltem virtuale importat.** — Nam cognitio quae habetur per verbum est cognitio perfecta, cognitio autem perfecta judicium importat (cf. I, 229) ; insuper cognitio distincta et discretiva omnino requisita ad verbum (n. prace.) importat cognitionem saltem quidditatis rei, cognitio autem

(1) « Una operationum intellectus, ait idem S. Thomas, est secundum quod intelligit indivisibilia puta cum intelligit hominem, aut bovem, aut aliquid hujusmodi incomplexorum ». III. *De anima*, lect. XI, Cf. etiam Quodl. V., a. IX c.

quidditatis rei habetur per definitionem, definitio autem saltem duo elementa sibi invicem unita et sibi convenientia importat. Cognitio vero quae convenientiam duorum elementorum attingit, licet per simplicem apprehensionem, saltem implicite includit judicium atque cognitioni quae per judicium habetur aequivalet; insuper quidditas seu essentia rei non concipitur nisi per ordinem ad suam operationem per quam etiam explicatur et definitur (cf. n. 549). Hinc est quod *verbum* mentis dicitur *conceptio*, quasi actio quae simul plura capiat, et importat *dicere*; dicere autem importat propositionem et judicium et similiter productio verbi dicitur *formatio* ad quam duo saltem elementa requiruntur.

686. **Intuitus seu intuitio objecti per se non importat verbum.** — Ratio est quia in uno verbo plura objecta possunt intueri, sicut in verbo principiorum possunt intueri conclusiones, eodem enim actu contingit principium et conclusionem in eo contentas apprehendi. Insuper intuitus seu intuitio potest importare cognitionem confusam, indeterminatam, indistinctam et tunc non importat verbum (cf. n. 544 et n. 623).

687. **Conclusio II.** — *Verbum mentis a specie intelligibili realiter differt.*

Prob.: Quod praecedit verbum mentis, quod est principium ejus, et quod potest remanere in mente, pereunte verbo mentis, a verbo mentis distinguitur. Sed species intelligibilis praecedit verbum mentis, est principium ejus, ipsa remanet in mente, pereunte verbo mentis. Ergo realiter a verbo mentis distinguitur. — *Prob. minor:* verbum mentis procedit ab intellectu ut jam determinato ab objecto, et ideo ut habente determinationem et impressionem vi actionis ab objecto receptae, quae determinatio seu impressio

in intellectu remanere potest, imo remanet, pereunte verbo. Atqui determinatio seu impressio seu dispositio quae causatur ab objecto in intellectu et vi cujus intellectus intelligit producendo verbum est ipsa species intelligibilis (n. 676). Ergo species intelligibilis praesupponitur a verbo mentis tamquam principium, a quo verbum mentis procedit, et potest remanere in intellectu, pereunte verbo mentis. — *Maj.* 2.ⁱ *syllogismi prob.* ex eo quod intellectus non potest intelligere et ideo efformare verbum nisi prius ab objecto determinetur et quasi disponatur ad intelligendum, determinatio autem et dispositio remanet in intellectu, secus non posset intelligere iterato idem objectum, quod intellexit, nisi iterum determinaretur ab eo, quod tamen est falsum.

688. **Conclusio III.** — *Verbum mentis realiter distinguitur ab actione, quae est intelligere.*

Prob.: Verbum est similitudo viva objecti expressi, seu est ipsum objectum intelligibiliter et idealiter reproductum per actionem intellectivam. Sed res, quae per aliquam actionem producitur, ab ipsa actione realiter distinguitur. Ergo verbum mentis realiter distinguitur ab actione intellectiva (1).

Dices. 1.°: S. Thomas negat actionem intelligendi terminari ad aliquod factum: « Actio, ait, quandoque terminatur ad aliquod factum, sicut aedificare ad domum et sanatio ad sanitatem: quandoque autem non sicut intelligere et sentire. »

Resp. his verbis S. Thomam comparare actionem transeuntem in exteriorem materiam cum actione quae manet in ipso agente; et dicit primam tendere ad aliquod factum exterius, non autem secundam. Sed per hoc S. Thomas non negat actionem

(1) *De ver.*, qu. IV., a. I, ad 1.ᵐ.

immanentem non terminari ad aliquid interius, quod manet in agente et quod ab actione immanenti procedit. Unde adferens auctoritatem Damasceni ait: « Verbum interius esse motum mentis, ut cum accipitur motus pro *eo ad quod* motus terminatur, idest operatio pro *operato* sicut *intelligere* pro *intellecto* ». Et (1) dicit « ipsa enim conceptio est *effectus* actus intelligendi » et infra ait quod mentis « conceptio.... est aliquid expressum a notitia mentis ».

Dices. 2.°: Species expressa est aliquid per se vitaliter procedens ab intellectu. Sed vita non dicitur nisi aut de esse substantiae viventis, aut de operatione inde progrediente. Ergo cum verbum mentis non sit ipsum esse animae, sequitur quod sit ejus operatio.

Resp.: Dist. minor: vita juxta notionem obviam et communiter notam dicitur illis duobus modis, *conc.;* vita secundum quod cognoscitur per subtilem inquisitionem, *nego.* — Non solum actio intellectualis *vitalis* dicitur et est, sed etiam species intelligibilis *vitalis* dicitur, et hoc dupliciter: 1.° dicitur ratione principii, quia scilicet est principium actionis *vitalis,* 2.° ratione subjecti, quia est in subjecto *vitali.* Item verbum mentis sive species expressa dicitur *vitalis,* quia est *terminus intrinsecus* actionis *vitalis,* et dicitur *vitaliter* procedere, quia procedit per actionem *vitalem* et in actione *vitali* subjectatur (2).

---

(1) Ibid., a. II., c.

(2) Cf. BUOMPENSIERE, *De Deo uno* in 1.^{m} p., *S. Th.*, q. XII, a. II, n. 601. — Audiatur S. Thomas assignans differentiam verbi, rei intellectae, speciei intelligibilis, et intelligere. « Conceptionem seu verbum a tribus praedictis differt, ait Angelicus. A re quidem intellecta quia res intellecta est interdum extra intellectum; conceptio autem intellectus non est nisi in intellectu; et iterum conceptio intellectus ordinatur ad rem intel-

689. **Varia nomina Verbum designantia.** — Verbum intellectus multipliciter nominatur idest verbum mentis, verbum cordis, verbum interius, conceptio, conceptus, species expressa, species intellecta, ut distinguatur a specie impressa, seu intelligibili, quae habet esse habituale et est principium verbi seu speciei expressae. Dicitur autem species expressa quia est expressio, hoc est viva similitudo rei intellectae quae in ipsa specie expressa intelligitur veluti in instrumento. Intellectus enim formans verbum ipsum intelligit quatenus est actu expressivum rei cujus est similitudo.

690. **Verbum mentis, verbum oris.** — A verbo mentis procedit verbum vocis, vox enim conceptum mentis significat. Tamen manifestius et communius in nobis dicitur verbum quod voce profertur, quod quidem ab interiori verbo procedit quantum ad duo idest et quantum ad ipsam vocem et quantum ad vocis significationem ; quia significatio verbi interioris pertinet ad rationem verbi exterioris, vox enim quae non est significativa verbum dici non potest. Unde verbum primo dicitur ipse mentis con-

---

lectam sicut ad finem ; propter hoc enim intellectus conceptionem rei in se format ut rem intellectam cognoscat. Differt autem a specie intelligibili ; nam species intelligibilis, qua fit intellectus in actu, consideratur ut principium actionis intellectus ; cum omne agens agat secundum quod est in actu, actu autem fit per aliquam formam quam oportet esse actionis principium. Differt autem ab actione intellectus ; quia praedicta conceptio consideratur ut terminus actionis, et quoddam per ipsam constitutum. Intellectus enim sua actione format rei definitionem, vel etiam propositionem affirmativam seu negativam. Haec autem conceptio intellectus in nobis proprie verbum dicitur ». — (Quaest. VIII., *De potentia.*, a. 1).

ceptus, secundo dicitur ipsa vox significativa, et tertio imaginatio vocis (1).

691. **Quaestio.** — Nunc quaestio movetur circa praecedentiam verbi mentis et vocis. — Putarunt enim quidam, ut Traditionalistae (quos inter De-Bonald) et Ontologi, verbum mentis dependere a verbo vocis, ita scilicet ut simpliciter loquendo verbum vocis illud praecedat et verbum mentis sine ipso haberi non possit. — Hanc doctrinam etiam quidam sensistae amplexati sunt quos inter Emery (2).

692. **Conclusio.** — *Verbum mentis praecedit verbum orale simpliciter loquendo.*

Prob.: 1° Verbum mentis simpliciter loquendo a verbo exteriori praesupponitur. Atqui nulla res simpliciter loquendo dependet et praeceditur ab eo, a quo praesupponitur. Ergo verbum mentis simpliciter loquendo non dependet a verbo exteriori seu orali. — *Minor patet. Major* vero *prob.:* 1.° Verbum exterius est signum arbitrarium verbi interioris si consideratur in sua significatione, et ideo nihil esset seu nihil significaret, et ideo non esset verbum, nisi verbum mentis supponeret. 2.° Verbum exterius non habet naturaliter suam significationem, sed ex arbitrio voluntatis. Ergo contingere potest quod ab aliquo nullum verbum intelligatur; imo nullum verbum de facto a pueris intelligitur. Quomodo ergo eis explicatur? non per alia verba, quia nulla verba intelliguntur ab eis ab initio; igitur nonnisi per ostensionem rerum, quae non ducunt in cognitionem verbi exterioris quoad ejus significationem, nisi ipsae res prius intelligantur. Atqui non intelliguntur nisi per verbum mentis interius. Ergo significatio verbi exte-

(1) Cf., *S. Th.*, P. I., qu. XXIV., a. I., c.
(2) Cf., Wasman, l. c., pag. 00.

rioris non intelligitur simpliciter loquendo nisi praesupponatur verbum interius in mente, quo ipsa res cognoscitur.

2.° Plures sunt homines qui verba nunquam perceperunt, verbis uti non possunt et tamen exercitio intellectus optime pollent: hoc manifestum est in lingua et auribus captis qui suo infortunio occurrunt gestibus et vultus motibus verbi munus demandantes. Et surdomuti qui verbum vocis nunquam audierunt neque audire possunt, ipso exercitio intellectus, quod sane sine conceptibus esse nequit, eo perveniunt, mediantibus nutibus, ut ad usum loquelae seu ad verba proferenda quin ea audiant, perducantur. Unde verbum vocis eis deservit ad aliis proprios conceptus manifestandos, quin eis deserviat ad concipiendum; quippe nutus seu motus labiorum oculis perspecti eis adiutorio sunt (1).

CAPUT XXXVII.

De origine idearum juxta ontologos.

(S. Th. p. I, qu. LXXXIV, ZIGLIARA, l. c. III, HUGON, WILLEMS et alii auct. citati).

693. **Sententia Platonis et ontologistarum quoad originem nostrarum idearum.** — Posuit Plato ideas simul cum anima originem duxisse ac proinde eas esse naturaliter inditas, quatenus scilicet naturaliter, vel resultant in anima ex formis separatis per se subsistentibus (I, n. 197), vel quatenus ipsae ideae divinae menti naturaliter objiciuntur. Qui explicandi modus originem idearum ad ontolo-

(1) Cf., Period. Div. Thom., tom. 6, pag. 392 — et WASMAN, l. c., pag. 126.

gismum pertinet. Inter ontologos autem sunt pantheistae germanici eorumque asseclae mentione digni vel melius dicam indigni, qui ponunt aliquid unum quasi centrum omnium cum quo omnia identificantur veluti primum et principium totius nostrae cognitionis quod est ipsum ego vel absolutum (cf. supra n. 25 seqq.). Falsitas tamen harum sententiarum patet ex iis quae in logica disseruimus (I, n. 269) et supra (n. 25 seqq. et n. 563 e seqq.).

694. **Aliorum philosophorum sententiae.** — Alii philosophi putant ideas, seu species intelligibiles esse humano intellectui naturaliter inditas vel a Deo impressas. Sed in numero idearum inditarum adsignando non conveniunt; nam quidam de omnibus ideis objecta secundum propriam naturam specificam repraesentantibus id adseverant. Alii vero ut Cartesiani ad ideam Dei, felicitatis et ad quasdam paucas alias restringunt.

695. **Conclusio I.** — *Sententia quae docet animam humanam habere omnes vel fere omnes species seu ideas naturaliter inditas, admitti non potest* (1).

Prob.: 1.° Si ideae seu species intelligibiles essent in anima naturaliter inditae, anima humana semper actu intelligeret. Atqui anima humana etiam in homine adulto non semper actu intelligit objecta sua. Ergo anima humana non habet ideas seu species sibi naturaliter inditas. — *Minor patet,* nam anima non semper est actu intelligens, sed procedit de potentia ad actum et quidem pedetentim et cum difficultate. *Prob. maj.:* Ideae seu species intelligibiles constituunt intellectum in actu primo proximo, ita ut intellectus ideis informatus habeat omnia requisita ad prorumpendum in actum suum, idest ad intelligen-

(1) Cf. S. Th. qu. LXXXIV, a. III.

dum. Atqui virtus naturalis, quae habet omnia praerequisita ad prorumpendum in actum suum naturaliter operatur. Ergo si intellectus haberet ideas, naturaliter et semper actu intelligeret.

2.° Aut anima humana per unionem ad corpus impeditur quominus procedat in actum suum, qui est intelligere, aut non impeditur; si non impeditur, ergo ex hoc ipso quod habet species intelligibiles, naturaliter potest intelligere et semper intelliget objecta sua, neque requiritur ut scientiam acquirat dum est in corpore; si autem impeditur, ergo unio ad corpus non est animae naturalis, sed contra naturam ipsius, nam per corpus impeditur ejus nobilissima operatio, in qua ejus perfectio et ejus felicitas consistit; hoc autem est falsum: nam ex anima et corpore constituitur homo, qui est unum ens naturale et quid perfectius quam sit anima sola: insuper anima non appetit separationem a corpore, cum mors ut horribilis ab ea apprehendatur.

3.° Si ideae sunt naturaliter inditae, est inexplicabile quod in eo, qui caret aliquo sensu non possit esse scientia, imo nulla idea illius objecti, quod tali sensui correspondet, e. g. quod in caeco nato non possit esse scientia, imo neque idea de coloribus.

696. **Conclusio II.** — *Cartesianorum sententia est omnino rejicienda.*

Prob.: Cartesianorum sententia, quae docet in nobis esse ideas felicitatis, Dei etc. innititur falso supposito. Ergo non est admittenda talis sententia. — *Prob. antec.:* Sententia Cartesianorum supponit 1.° cogitationem esse de animae essentia, non autem accidens ejus (1); 2.° in nobis esse desiderium innatum felicitatis apprehensae per intellectum; hoc autem

(1) Cf. S. Th. p. I. qu. LIV, a. I, 2.

est supponere id quod est probandum; 3.° ideam infiniti haberi non posse per cognitionem finiti, quod esse falsum ostendimus (I, n. 590 et seq.); 4.° supponit etiam similitudinem animae nostrae ad Deum consistere in eo, quod sicut in Deo sunt exemplaria, seu ideae rerum, ita etiam, licet modo inferiori, sint in anima nostra, hoc autem est supponere id quod est probandum; insuper a S. Thoma (1) aliter explicatur similitudo animae ad Deum et aliter explicatur a SS. Patribus.

697. **Sententia Rosminiana.** — Docet Rosminius ideam *entis* nullo modo posse in nobis esse acquisitam, sed debere esse innatam; alias vero omnes ideas esse per judicium efformatas seu acquisitas. Putat enim per abstractionem non posse haberi ideam entis, nam, ut ipse arguit, abstractio supponit cognitionem objecti, a quo divelluntur notae individuantes, et ideo supponit ideam saltem entis. Quoad vero formationem aliarum idearum talis est processus juxta Rosminium: Homo seu mens *ens* naturaliter intuetur per ideam innatam; quod *ens* purum ideale applicat *objecto* per sensationem percepto; et sic habetur perceptio intellectiva, quae est judicium a ratione efformatum. *Ens* autem idealiter intuitum, quod ut tale est quid communissimum, inquantum omnibus omnino est applicabile, coarctatur ex ipsa applicatione ad elementum seu objectum sensibile seu objectum sensationis, quod ex eadem applicatione fit intelligile. *Ens* igitur a mente intuitum et quod est purum *ideale* realizatur in objecto sensationis ex eo quod a mente tali objecto sensationis applicatur; insuper Rosminius adserit quod si ab objecto reali sensibili praescindatur realis existentia

(1) P. I. qu. XCIII.

habetur universale; et per divisionem notarum individuantium habetur abstractio. Tale autem ens a mente humana intuitum quod omnibus applicatur et de omnibus praedicatur, juxta Rosminium, non est aliquid analogicum sed univocum, non aliquid creatum, sed est aliquid divinum, est realiter ipse Deus, quamvis non sit Deus formaliter. Contra hanc sententiam sit: (1).

698. **Conclusio.** — *Sententia Rosminiana* 1.° *nititur falso supposito,* 2.° *est impossibilis in suo processu,* 3.° *est absurda et contradictoria in suo exitu.*

Prob. 1.ª *pars:* Sententia Rosminiana supponit ideam entis non posse haberi per abstractionem, quod omnino falsum est: nam abstractio non est, ut falso putat Rosminius, divulsio partis a toto, sed est perceptio vel consideratio *unius* e. g. proprietatis, in aliquo objecto, aliis non consideratis (I, n. 39). In facultatibus cognoscitivis animae habetur naturaliter hujus generis abstractio; oculus e. g. percipit in pomo *colorem,* sapore non percepto; tactus percipit resistentiam pomi non autem colorem, et intellectus percipit unam proprietatem in aliquo objecto aliis proprietatibus non perceptis; e. g. homo videns objectum aliquod a longe per intellectum percipit ipsum esse corpus, non percepta vita, qua illud corpus fortasse praeditum est, et percipit animal, quin percipiat ipsum esse Petrum, aut esse hominem; ad hanc abstractionem habendam non requiritur praecognitio Petri, neque divulsio notarum, ut putat Rosminius. (Cf. S. Th. p. I. qu. 85 ad 1.ᵐ)

Prob. 2.ª *pars:* Sententia Rosminiana est impossibilis in suo processu Nam mens non potest appli-

(1) Cf. ZIGLIARA Prop. lib. I. C. XII; et nostram *Introd. ad Sacr. Theol.* p. I, c. XIV.

care objectum suum quod est *ens* naturaliter intuitum, nisi objecto praecognito. Atqui mens, antequam applicet *ens* intuitum objecto sensationis, objectum sensationis non cognoscit juxta Rosminium. Ergo mens non potest applicare *ens* ab ipsa intuitum objecto sensationis.

Prob. 3.ª *pars:* videlicet *sententia Rosminiana est absurda et contradictoria in suo exitu.* Aut ens ideale intuitum quod objecto sensibili applicatur est realiter distinctum ab objecto sensibili, aut est identicum cum illo; si est realiter distinctum, sequitur quod applicatio sit absurda; nam applicatio talis est per hoc, quod ens intuitum affirmatur de tali objecto; nihil autem potest effirmari de objecto nisi sit identicum cum illo; si autem ens intuitum sit identicum cum tali objecto, sequitur quod ideale purum et intelligibile sit identicum cum objecto reali sensationis, quod etiam absurdum est. Insuper si per hoc quod ab individuo abstrahitur *existentia* habetur *universale,* sequitur quod individua in statu possibilitatis ad invicem non distinguantur, et quod unum individuum possibile possit praedicari de altero; unde Petrus possibilis erit Paulus possibilis. Denique, si ens ideale seu intuitum sit aliquid divinum, sit ipse Deus, sequitur quod res non creantur ex nihilo, et quod Deus est praedicatum essentiale omnium entium; nam *esse ideale* Rosminianum de omnibus praedicatur. Habetur ergo pantheismus (1). Plura alia addi possent contra sententiam Rosminianam, sed haec in praesenti sufficiant.

---

(1) A Congreg. S. Officii a. 1897 plures fuerunt propositiones Rosminii damnatae circa hanc doctrinam. Referre liceat sequentes:

1.º « In ordine rerum creatarum manifestatur humano in-

Caput XXXVIII.

De origine idearum juxta sensistas.

(S. Th. qu. LXXXV a. I et II; Zigliara, l. c. art. IV, et V).

699. **Sententia antiquorum philosophorum.** — Leucippus, Democritus, Epicurus et alii ex antiquis philosophis, docuerunt sensationem esse causam totalem nostrarum idearum sicut objecta exteriora sensibilia sunt causa totalis impressionum, seu specierum sensibilium, quae in sensibus nostri producuntur. Ideo posuerunt sensibilia individua esse objecta propria et exclusiva cognitionis humanae. Unde, quia sensus immutatur a sensibili, posuerunt omnem nostram cognitionem fieri per solam immutationem a sensibilibus. Quam quidem immutationem Democritus adserebat fieri per solas imaginum defluxiones a corporibus emissas et in sensibus receptas. Fundamentum hujus positionis fuit quod citati philosophi non ponebant intellectum differre a sensu (1).

700. **Conclusio.** — *Sensatio non potest esse causa totalis nostrae cognitionis.*

Prob.: Si sensatio esset causa totalis nostrae cognitionis sequeretur: 1.° intellectum non differre a

---

tellectui aliquid divini in seipso, hujusmodi nempe quod ad divinam naturam pertineat ».

2.° « IV Esse indeterminatum quod procul dubio notum est omnibus intelligentiis est divinum illud quod homini in natura manifestatur ».

3.° « V. Esse quod homo intuetur necesse est ut sit aliquid entis necessarii et aterni, causae creantis, determinantis ac finientis omnium entium contingentium, atque hoc est Deus ».

(1) Cf. S. Th. p. I. q. LXXXIV a II et VI.

sensu, etenim omnis nostra cognitio esset a sensu sicut a vera causa; 2.° sequeretur quod omnis nostra cognitio ad sensibilia individua, ut ad objecta, terminaretur, non autem ad objecta universalia et pure intelligibilia. Atqui falsum et absurdum omnino est adserere: 1.° intellectum non differre a sensu; 2.° omnem nostram cognitionem terminari exclusive ad sensibilia individua, ut ad objecta. Ergo sensatio non potest esse causa totalis omnis nostrae cognitionis — *Prob.* 1.ª *pars minoris:* Nam anima humana spiritualis est ex eo quod est intellectiva non autem ex eo quod est sensitiva (n. 341), quod non esset si intellectus nos differret a sensu; 2.ª vero *pars prob.:* quia non solum non intelligimus et cognoscimus sensibilia individua, sed etiam ipsa universalia et intelligibilia, ut patet ex metaphysica generali (Cf. I. n. 208 et seq.; et nostr. *Introd.* P. I. C. VII).

701. **Quid doceant recentiores sensistae.** — Quidam systema antiquorum restaurare conati sunt quoad substantiam, tamen imaginum defluxiones a corporibus in sensus seposuerunt; hoc enim ponere est evidenter ridiculum et absurdum. Inter hos philosophos recensetur Gassendus (1592-1655) in Gallia et Obbesius in Anglia (1588-1679); primus quoad respectum ideologicum, secundus quoad respectum moralem. Inter sectatores excelluerunt Loke in Anglia, Condillac (1715-1786) et Laromiguière (1756-1837) in Gallia. Breviter ergo exponam quid docuerint hi philosophi: Loke docuit in nobis non esse nisi *sensationem* et *reflexionem;* per sensationem objecta externa percipi adserebat, per reflexionem autem objecta interna, idest operationes animae, ut ipse Lokius explicat, quibus anima in objecta exteriora fertur. Quatenus autem anima in tales operationes

reflectit alias ideas sibi efformat diversas ab ideis rerum externarum, e. g. ideam perceptionis, cogitationis, dubitationis, volitionis. Sensationem vocat sensum, reflexionem autem, ait, quamvis *(externus)* sensus non sit, tamen posse vocari *sensum interiorem.* Omnis ergo cognitio est ab experientia juxta Loke. Condillac praeter reflexionem admittit in anima alios actus, videlicet: *attentionem, comparationem, judicium, imaginationem* et *ratiocinium :* quae tamen neque a Lokio negantur, sed omnia sub nomine reflexionis comprehenduntur. Ait tamen Condillac quod attentio est vividior *sensatio* et quod dicti actus sunt ipsa sensatio diversimode considerata vel trasformata. Laromiguière autem tres *actus,* vel tres facultates dumtaxat distinguit, idest *attentionem, judicium, ratiocinium.* Attentio tamen dicitur esse non vividior sensatio, sed *directio activitatis animae in ipsas sensationes.* Envery abstractionem tribuit etiam brutis (cf. n. 547).

702. **Refutatio.** — Sed hae omnes explicationes in hoc conveniunt: 1.° ut identificent sensum cum intellectu; 2.° ut omnem nostram cognitionem ad sensibilia individua et phaenomena sensibilia coarctent (1); proinde negant universalium realitatem, et

(1) « I positivisti non vedono nello spirito umano che sensazioni o rappresentazioni sensibili. Anzi discendendo ancora un gradino, vogliono racchiudere tutti i fatti spirituali e psichici nell' angusta cornice della teoria meccanica. *La forza è sempre una benchè si atteggi sotto forme diverse.* « La natura » scrive il Bovio « che si fa luce, odore, armonia, bellezza, si fa pensiero e coscienza, e se non arriva sino al pensiero la sua evoluzione sarebbe troncata a mezzo, a un terzo, non si sa a che punto, irrazionale sempre perchè sarebbe l' evoluzione finita dell' infinita natura ». Così secondo altri, la coscienza è movimento rallentatosi per effetto della novità e della complicazione e sparisce con l' adattamento, la facilità e l' abitudine (Spencer); le idee sono movimenti arrestati alle

substantialitatem rerum, quia sensus nonnisi qualitates sensibiles percipiunt et ideo sunt rejiciendae hae sententiae sicut supra refutata est sententia antiquorum 217.

CAPUT XXXIX.

Vera doctrina de origine idearum statuitur.

703. **Scholasticorum sententia.** — Scholastici docent ideas esse acquisitas per virtutem intellectus ab objectis sensibilibus, mediantibus facultatibus sensitivis. Haec sententia antiqua est, nam ipsam docuit Aristoteles, quem sequutus est S. Thomas mirifice ejus doctrinam explicando et confirmando, et eam amplexati sunt scholastici. Haec sententia est omnino amplectenda ut vera, proinde hanc conclusionem statuimus:

704. **Conclusio.** — *Ideae ab objectis sensibilibus, mediantibus sensibus, per virtutem abstractivam intellectus agentis originem ducunt.*

Prob.: 1.° Ideae nostrae non habent originem a solo intellectu (n. 557 et seq. et n. 671), non sunt

---

radici dei nervi (Bain) come le espressioni delle emozioni sono movimenti iniziali (Bell); il pensiero è esteso e composto (Mantegazza), esso, come assicura il Van Evrie, è una secrezione delle cellule grigie, o, come insegna l'Husckze, è una vibrazione elettrica dei filamenti nervosi, o, come l'Ardigò, si genera nel cervello a somiglianza del lampo nelle nubi e della fosforescenza in una maniera stropicciata.... Nessun divario sostanziale fra l'uomo e i bruti, talchè per citare uno fra mille dei più recenti positivisti il prof. Morselli per rispondere alla domanda del Brunetière: « Chi siamo noi? » francamente dichiara: « Noi siamo vertebrati, mammiferi, primati di un ordine poco dissimile a quello dei quadrumani ». !!! Luigi Chiesa. (*La base del Realismo e la Critica Neo-kanziana*, cap. I).

in anima naturaliter inditae (n. 696-697), neque esse possunt impressae ab objectis exterioribus immediate, secus intellectus cognosceret objecta exteriora independenter a sensu, quod est evidenter falsum (n. 549), insuper sequeretur quod objecta materialia et corporea extensione praedita propria virtute agerent in intellectum, qui spiritualis est omnino et simplex; sed neque esse possunt a solis sensibus, quia etiam sensus, utpote facultates organicae, nequeunt rem spiritualem attingere nihilque in ea causare propria virtute. Ergo relinquitur quod ideae esse non possint nisi per virtutem intellectus ex objectis sensibilibus, mediantibus sensibus.

2.° Certum est quod intellectus determinatur ad intelligendum ex praesentia objecti sensibilis, quatenus objectum sensibile agit in sensum. Ergo objectum aut ex propria virtute sufficienter determinat, aut ex virtute sensus, aut etiam requiritur virtus intellectus. Atqui non ex propria virtute ut principali agente, neque virtute sensus, nam tum objectum sensibile, quam sensus sunt quid materiale. Ergo objectum nonnisi in virtute intellectus determinat ipsum intellectum ad intelligendum, quatenus scilicet aliquam sui similitudinem imprimit in intellectum, vi cujus intellectus determinatur ad intelligendum.

3.° Intellectus nihil potest in praesenti statu intelligere nisi per conversionem ad phantasmata, ut patet ex facto, et ideo dependenter a phantasmatibus intelligit. Igitur haec dependentia aut est ex parte virtutis intellectivae, aut est ex parte idearum seu specierum intelligibilium. Sed non est ex parte virtutis intellectivae, quae utpote facultas inorganica et omnino spiritualis, non pendet a sensu. Ergo esse non potest nisi ex parte idearum, quae sunt in in-

tellectu, et quibus intellectus determinatur ad intelligendum. Haec autem dependentia ex parte idearum praecipue rerum pure intelligibilium et spiritualium a phantasmatibus esset omnino inexplicabilis imo nulla esset, si ideae non ponerentur esse aliquo modo a phantasmatibus. Atqui haec dependentia non potest esse a phantasmatibus, sicut a causa principali efficiente (n. 700), quae agat virtute propria. Ergo nonnisi ab eis sicut a causis instrumentalibus, quae agant in virtute intellectus agentis esse potest. Et ideo ideae seu species intelligibiles nonnisi virtute abstractiva intellectus agentis esse possunt ab objectis, mediantibus sensibus.

705. **Explicatur modus quo ideae seu species intelligibiles producuntur in intellectu.** — Communiter dicitur inter scholasticos ideas seu species intelligibiles abstrahi a phantasmatibus per virtutem intellectus agentis. Quomodo autem id contingat explicandum est. Imprimis non est putandum quod species intelligibiles actu et entitative sint in phantasmatibus: haec enim intellectio nimis materialis est; quippe ideae seu species intelligibiles utpote spirituales nonnisi in intellectu esse possunt, ipse enim per eas constituitur formaliter in actu primo proximo ad intelligendum, unde ideae sunt ultima dispositio intellectus ad intellectionem eliciendam; et ideo proprie sunt in intellectu possibili. Hoc modo ergo producuntur in intellectu possibili seu sic abstrahuntur a phantasmatibus: phantasma est praesens animae rationali, quae ex hoc ipso applicat suas vires ad illud; in anima autem humana praeter vim sensitivam est etiam vis spiritualis, a qua phantasma illuminatur et redditur habile ad determinandum intellectum possibilem, in quo proinde determinatio causatur, quae determinatio est idea seu species intelligibilis: et

sic intellectus possibilis fit in actu primo proximo ad intelligendum, et ita potest accipere ad libitum in consideratione naturas rerum, quia earum similitudine informatur. Phantasma ergo determinat intellectum possibilem non propria virtute, sed in virtute intellectus agentis a quo illuminatur et redditur virtuosior: unde intellectus agens est veluti agens principale, et phantasma est quasi et quodammodo agens instrumentale. Proinde idea seu species intelligibilis, quae remanet impressa in intellectu possibili, spiritualis est, 1.° quia est effectus intellectus agentis, qui est virtus spiritualis animae, 2.° quia est impressio recepta in intellectu possibili, qui spiritualis est, nam impressio seu determinatio seu dispositio, quae in aliqua natura causatur contemperatur tali naturae: etenim quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur et est repraesentativa naturae universalis seu naturae expressae per definitionem, non autem notarum individuantium (1).

706. **Species intelligibilis efformatur per cognitionem praecedentem.** — Per cognitionem quam imperfecte sub ratione entis habet anima sui ipsius ad alia cognoscenda procedit quia per unum intellectum alia intellecta fiunt ait S. Thomas (P. I, q. 79 a. 4 ad 3.^{m}). Unde intelligendo se licet indeterminate per simplicem intuitum (cf. n. 638, 641) progreditur ad intelligendam seu percipiendam suam sensationem causatam ab actione objecti exterioris in seipsa recepta et causativa phantasmatis objecti repraesentati. Quando ergo phantasma est in imaginatione actu procedens ex ipsa actione, passione actualiter recepta in sensibus externis, intellectus non indiget specie intelligibili ut ad objectum dirigatur perci-

(1) Cf. S. Th. P. I., qu. 85. a. I., ad 3.^{m} et 4.^{m}.

piendum quia sufficienter dirigitur per phantasma et actionem ejusdem objecti receptam in anima et in ea existentem, in ipsa enim anima existens est percettibilis per cognitionem qua anima intuetur se, propterea quod animae attentio revocatur circa ea quae in ipsa contingunt, eo ferme modo quo conclusiones per attentionem percipiuntur in principiis. Imo per hanc perceptionem determinatio quaedam habitualis causatur et manet in intellectu qua possit uti ad iterum objectum illud cognoscendum seu percipiendum. Et hinc origo specierum intelligibilium quae ex cognitione seu perceptione praecedente causantur in intellectu et manent in eo, eo ferme modo quo conclusiones causantur ex principiis in intellectu et habitualiter manent in ipso (Cf. n. 653). Facile enim est intellectui conjungere rationem entis, substantiae vel principii indeterminate ab ipsa anima perceptam licet modo quodam rudi (cf. 651, 152) cum ipsis actionibus provenientibus ab extrinseco in sensus et ita in anima receptis atque ab intellectu perceptis; ex qua conjunctione cognitio substantiae vel principii ordinati ad talem vel tales actiones originem habet et modo habituali manet in intellectu, et ita species intelligibiles repraesentantibus naturam ipsam procedunt, quae a nobis nonnisi ex suis operationibus cognoscitur (n. 550).

707. **Omnes ideae sunt acquisitae.** — Ex dictis patet omnes ideas esse acquisitas, nullas vero innatas. Nam intuitus quo anima seipsam semper intelligit indeterminate a specie intelligibili idest ab idea impressa non procedit neque ipsam supponit, sed solum procedit ab essentia animae seu intellectus (Cf. n. 637-639); insuper non importat ideam expressam seu verbum mentis (cf. n. 623), unde nullam ideam proprie loquendo supponit aut importat

neque impressam neque expressam. Omnis autem intellectiva cognitio qua anima cognoscit alia objecta a se distincta, et ideo omnes ideae sive impressae sive expressae mediante sensatione et phantasmate originem habent. Et ideo omnes ideae sunt acquisitae, nullae verò innatae.

Caput XL.

Diffusior explicatio formationis specierum intelligibilium.

708. **Species compositae et species simplices.** — Antequam respondeamus propositae quaestioni claritatis gratia distinguendae sunt species intelligibiles compositae et species intelligibiles simplices. Species intelligibiles simplices illae sunt quibus correspondet objectum simplex; species compositae illae sunt quibus correspondet objectum compositum saltem ex genere et differentia; hoc autem vel exprimitur per vocem complexam sicut cum intellectus componit et dividit judicium efformando, vel per vocem incomplexam sicut cum intellectus format quidditates rerum; quod contingere potest vel per conjunctionem generis et differentiae vel per deductionem unius quidditatis ex altera; et hoc tum de quidditate seu de natura in specie infima contenta verum est tum de natura in specie suprema, ad quam tamen efformandam non requiritur deductio, sed sufficit unio rationis genericae supremae et primae differentiae (cf. I, n. 15).

709. **Conclusio I.** — *Omnes species intelligibiles objectorum compositorum fiunt ab intellectu possibili licet in virtute intellectus agentis, per actum verae cognitionis ipsius objecti.*

Prob. 1° Intellectus possibilis informatus speciebus objectorum universalium puta generis et differentiae

sive infimae sive intermediae sive supremae potest hujusmodi objecta simul unire. Atqui haec unio est vera cognitio objecti specifici mediante verbo quod vi talis conjunctionis formatur interius expressivum objecti exterioris et antecedit speciem intelligibilem habitualem ejusdem objecti, quinimo haec cognitio manet modo habituali in intellectu possibili et habitualiter considerata est ipsa species intelligibilis. Ergo omnes species intelligibiles objectorum compositorum a specie infima usque ad supremam consideratorum possunt fieri et imo de facto fieri dicendae sunt ab intellectu possibili ; si enim fieri possunt ab eo per veram cognitionem quare excludendus est et alia causa ei subroganda ? — Nonnisi enim vane et arbitrarie et ideo absurde alia causa in medium adducitur. — Per hoc tamen neque phantasma neque intellectus agens excluditur, sed haec praesupponuntur; phantasma quidem quatenus actum intellectus semper comitatur ut materia, intellectus agens ut lumen praesuppositum et resplendens eo ferme modo quo prima principia in sua luce intuita praesupponuntur conclusionibus.

2.° Hujusmodi species intelligibiles fiunt per eamdem virtutem ac fit ipsa scientia in intellectu possibili. Atqui scientia in intellectu possibili fit ab ipso intellectu possibili per actum cognoscitivum licet in virtute intellectus agentis. Ergo etiam formae illae seu species intelligibiles per actum cognoscitivum intellectus possibilis licet in virtute intellectus agentis fiunt. « Ipsa anima, ait S. Thomas, in se similitudines rerum format, inquantum per lumen intellectus agentis efficiuntur formae a sensibilibus abstractae intelligibiles actu, ut in intellectu possibili recipi possint. Et sic etiam in lumine intellectus agentis nobis est quodammodo omnis scientia origi-

naliter indita, mediantibus universalibus conceptionibus quae statim lumine intellectus agentis cognoscuntur, per quas sicut per universalia principia judicamus de aliis et ea praecognoscimus in ipsis » (1). Et alibi idem Angelicus scribit (2). « Intellectus *possibilis* comparatur ad res quarum notitiam recipit, sicut patiens quod cooperatur agenti ; multo enim magis potest intellectus formare quidditatem rei quae non cecidit sub sensu quam imaginatio » quae potest efformare rerum similitudines quas nunquam sensus exterior percepit, ex his tamen quae sensu exteriori percipiuntur, componendo ea et dividendo (3). In Summa theologica etiam clarius se exprimit dicens: « Intellectus noster abstrahit species intelligibiles a phantasmatibus *inquantum considerat naturas rerum in universali* » (4). Loquens autem de comparatione seu de relatione intellectus agentis ad intellectum possibilem ait (5) quod ad ipsum « non se habet ut objectum, sed ut faciens objecta in actu ; ad quod requiritur praeter praesentiam intellectus

(1) Quaes. X., *De veritate*, a. VI., c.
(2) Quodlib. VIII., qu. II, a. 3., c.
(3) Cf., *S. Th.*, ib.
(4) P. I., qu. 85, a. I., ad 5.m
(5) P. I., qu. 79, a. IV., ad 3.m — S. Thomas describit etiam modum practicum quo efformantur species intelligibiles ab ipso intellectu possibili ; quaerens enim : *Utrum non habens caritatem eam cognoscat per speciem*, respondit affirmative et describit modum quo *species intelligibilis* caritatis efformetur. « Duplex est, ait, cognitio caritatis : una qua cognoscitur *quid est* caritas ; alia, qua caritas percipitur, ut cum aliquis cognoscit se habere caritatem *(cognitione scilicet experimentali)*, quod pertinet ad cognitionem *an est*. Prima quidem cognitio caritatis *(qua scilicet cognoscitur quid est caritas per speciem intelligibilem)* eodem modo competit habenti et non habenti caritatem. Nam intellectus humanus natus est rerum quidditatem comprehendere ; in quibus cognoscendis naturaliter procedit

agentis praesentia phantasmatum, et bona dispositio virium sensitivarum et exercitium in hujusmodi opere ; quia per unum intellectum fiunt etiam alia intellecta sicut per terminos propositiones et per prima principia conclusiones ».

710. **Conclusio II.** — *Primae et simplicissimae species intelligibiles efformantur per simplicem intuitum intellectus.*

Prob. 1.° : Species intelligibiles primae, et simplicissimae prout sunt in intellectu possibili receptae important notitiam habitualem. Atqui notitia habi-

---

sicut in cognoscendis conclusionibus complexis. Insunt enim nobis naturaliter quaedam principia complexa omnibus nota, ex quibus ratio procedit ad cognoscendum in actu conclusiones quae in praedictis principiis potentialiter continentur, sive per inventionem propriam, sive per doctrinam alienam, sive per revelationem divinam ; in quibus omnibus modis cognoscendis homo juvatur ex principiis naturaliter notis : vel ita quod ipsa principia cognita ad cognitionem acquirendam sufficiant, adminiculantibus sensu et imaginatione, sicut cum aliquam cognitionem acquirimus per inventionem vel doctrinam ; vel ita quod principia praedicta ad cognitionem acquirendam non sufficiant ; nihilo minus tamen in hujusmodi cognoscendis principia dirigunt, inquantum inveniuntur non repugnare principiis naturaliter cognitis : quod si esset, intellectus eis nullo modo assentiret, sicut non potest dissentire principiis. Et similiter in intellectu insunt nobis etiam naturaliter quaedam conceptiones omnibus notae, ut entis, unius, boni et hujusmodi, a *quibus eodem modo procedit intellectus ad cognoscendum quidditatem uniuscujusque rei*, per quem procedit a principiis ad conclusiones ; et hoc vel per ea quae quis sensu percepit, sicut cum per sensibiles proprietates alicujus rei concipio illius rei quidditatem ; vel per ea quae ab aliis quis audit, ut cum laicus qui nescit quid sit musica, cum eam audit, aliquam artem esse per quam discit canere vel psallere, concipit quidditatem musicae, cum ipse praesciat quid sit ars, et quid sit canere ; aut etiam per ea quae per revelationem habentur, ut est in his quae sunt fidei. Cum enim credimus aliquid in nobis divinitus datum, quo affectus noster Deo unitur, concipi-

tualis aut est innata, aut derivatur a notitia actuali quatenus ex actibus correspondentibus causatur habitus; quippe in omnibus facultatibus habitus acquisiti sunt ex actibus facultatis correspondentibus. Cum igitur species intelligibiles primae non sint innatae, et cum actus correspondentes notitiae habituali objecti simplicissimi sit cognitio seu apprehensio simplicissima excludens quancumque compositionem actualem et explicitam intellectus, et importet simplicem intuitionem, sequitur quod primae et simplicissimae species intelligibiles efformentur per simplicem intuitionem intellectus.

---

mus *caritatis quidditatem*, intelligentes caritatem esse donum Dei, quo affectus Deo unitur, praecognoscentes tamen quid sit donum et quid unio. De quibus etiam quid sint scire non possumus nisi resolvendo in aliqua prius nota, et sic perveniamus usque ad primas conceptiones humani intellectus, quae sunt omnibus naturaliter notae....

Ipsa autem conceptio caritatis quam intellectus format modo praedicto, non est solum similitudo caritatis sicut *species* rerum in sensu vel imaginatione; quia sensus et imaginatio nunquam pertingunt ad cognoscendam naturam rei, sed solummodo accidentia, quae circumstant rem.... sed intellectus cognoscit ipsam naturam et substantiam rei. Unde *species intelligibilis* est similitudo ipsius essentiae rei secundum esse naturale prout est in rebus; et ideo omnia quae non cadunt sub sensu et imaginatione, sed sub solo intellectu cognoscuntur per hoc quod essentiae vel quidditates eorum sunt aliquo modo in intellectu. — Et hic est modus quo caritas cognoscitur cognitione prima (hic supra adsignata) tam ab habente caritatem, quam a non habente ». (Quodl. VIII, qu II, a. IV). — Ex quibus patet quam falsa et absurda sit tam in se quam in doctrina S. Thomae, illa sententia qua creditur intellectum agentem per phantasma ad modum externi agentis imprimere *species* in intellectum possibilem non per modum intellectionis et considerationis procedendo quasi scilicet excludatur actio intellectus intuentis et comparantis, ita ut intellectus possibilis passive omnino se habeat.

2.° S. Thomas docet « quod intellectus noster abstrahit species intelligibiles a phantasmatibus *inquantum considerat naturas rerum in universali* ». Ergo consideratio actualis est ipsa ratio abstractionis specierum intelligibilium quae consequenter recipiuntur et manent modo habituali in intellectu ; ergo *consideratio* actualis objecti simplicis est ratio abstractionis speciei simplicissimae receptae et manentis in intellectu modo habituali. Atqui consideratio objecti simplicis importat simplicem intuitum. Ergo primae et simplicissimae species intelligibiles efficiuntur per simplicem intuitum intellectus.

711. **Corollaria.** — I. Intuitus intellectus, qui est ipsum lumen intellectus agentis qui emanat ab anima veluti quaedam lux et est vera lux spiritualis illius, fertur ad objecta diversa juxta diversitatem phantasmatum, quippe anima ad phantasmata per illud lumen se convertit et per ea veluti per instrumentum in suo intuitu ad objecta ipsa a quibus sunt phantasma dirigitur objectum proprium attingens idest objectum sub universali ratione ab ipsa individuatione praescindens.

II. Primis speciebus intellectus possibilis informatus atque roboratus, illo intuitu illuminante, eas componere incipit principia universalia efformando, in quibus proinde intuitus ille magnam partem habet, atque ad alia determinatiora progreditur conceptiones varias efformando (1), ex quibus species

(1) S. Thomas ita loquitur de lumine intellectus : « Lumen intellectuale potest dici ipse vigor intellectus ad intelligendum, vel etiam id quo aliquid fit nobis notum. Unde secundum duo potest aliquid illuminari ab alio ; scilicet secundum quod ejus intellectus confortatur ad alia cognoscenda, et secundum hoc quod intellectus ex aliquo manuducitur in aliquid cognoscendum ; et haec duo conjunguntur in intellectu, sicut patet cum aliquis per aliquod medium quod mente concipit, intel-

intelligibiles objectorum complexorum modo habituali et stabili in ipso intellectu possibili manent et ipsa scientia ex hujusmodi conceptionibus resultat, quae ex illis speciebus constat. « Verbum intellectus nostri, ait S. Thomas, (qu. IV, *De verit.*, a. II., c.) est id ad quod operatio intellectus terminatur, quod est ipsum intellectum quod dicitur conceptio intellectus ; sive sit conceptio significabilis per vocem incomplexam ut accidit quando intellectus

---

lectus ejus confortatur ad alia videnda quae prius videre non poterat. Secundum hoc ergo unus intellectus ab alio illuminari dicitur inquantum traditur ab eo aliquod medium cognoscendi quo intellectus confortatus potest in alia cognoscibilia in quae prius non poterat » (qu. IX, *de verit.*, a. I., c.). Quod fit per principia demonstrationis apud nos ; quae tamen ut pura instrumenta intellectus agentis reducunt intellectum possibilem in actum cognitionis conclusionum idest vi *intuitus* a quo intellectus possibilis dirigitur : « Intellectus in actu principiorum, ait S. Thomas (qu. un., *de anima*, a. IV ad 6.^{m}), non sufficit ad reducendum intellectum possibilem de potentia in actum sine intellectu agente ; sed in hac reductione intellectus agens se habet sicut artifex, et principia demonstrationis sicut instrumenta » et ratio est quia, ut ipse Angelicus ait (qu., *de verit.*, IX., a. I. ad 2.^{m}), « cum enim omne quod intelligitur ex vi intellectualis luminis cognoscatur, ipsum cognitum inquantum hujusmodi includit in se intellectuale lumen ut participatum ex cujus virtute habet intellectum confortare, sicut patet quando magister tradit discipulo aliquod medium alicujus demonstrationis in quo participatur lumen intellectus agentis ut instrumento, prima enim principia sunt quasi instrumenta intellectus agentis ». Ex qua doctrina infert idem Angelicus (ib. ad 2.^{m}) quod inferior Angelus illuminatur a superiori non per novum lumen « sed lumen quod prius inerat (ei) confortatur per lumen contentum in cognito percepto a superiori Angelo ». Haec autem confortatio dicitur fieri per continuationem *intuitus :* « inferiores angeli, ait ipse, confortantur ex eorum continuatione ad superiores, quae quidem continuatio est *per intuitum* intellectus ; et pro tanto dicuntur ab eis illuminari », l. c.

format quidditates rerum; sive per vocem complexam quod accidit quando intellectus componit et dividit. Omne autem intellectum in nobis est aliquid realiter progrediens ab altero, vel sicut progrediuntur a principiis conceptiones conclusionum, vel sicut conceptiones quidditatum posteriorum, vel saltem sicut conceptio actualis progreditur ab habituali cognitione : et hoc universaliter verum est de omni quod a nobis intelligitur sive per essentiam intelligatur, sive per similitudinem ; ipsa enim conceptio est effectus actus intelligendi ».

III. Haec tamen ultima verba S. Thomae de intellectione seu de intelligere perfecto prout scilicet importat ipsum discernere seu quidditatem rei distinctam in qua judicium saltem virtuale includitur, intelligenda sunt, non autem de intelligere prout importat simplicem intuitum (cf. supra n. 544). Ad conceptionem enim seu ad verbum etiam entis efformandum aliquid amplius requiritur quam simplex intuitus de quo supra, idest *intelligere* perfectius seu aliquatenus faecundatum : unde S. Thomas in opusculo de verbo intellectus dicit generationem verbi, (licet non sit cognitio reflexa) propinquissimam cognitioni reflexae : « Generatio verbi, ait ipse, videtur propinquissima cognitioni reflexae: unde multi putaverunt eam esse reflexam » (1). — (Cf., supra n. 682 seqq.).

712. **Objectio.** — S. Thomas dicit : « Species quam habet intellectus advenit sibi a re quam ipse non est intuitus, sed sensus » (2). Ergo species intelligibilis non est per intuitum intellectus.

Resp.: Nego consequentiam ; nam intellectus non habet cognitionem intuitivam rerum, sed abstracti-

(1) Opusc. *De natura verbi intellectus.*

(2) Ibidem.

vam. Unde non intuetur singularia seu res singulares a quibus species abstrahuntur, sed ea cognoscit cognitione indirecta ex cognitione universaliun post eorum abstractionem. Intuitus autem intellectus ad ipsa universalia fertur per se et directe imo ad universalissima, quia intellectus neque ipsas rerum essentias cognoscit directe et intuitive in se sed per earum rationem genericam et per ordinem ad operationem (cf. n. 549 et 553, I, n. 438). Itaque intuitus directe fertur ad rationem entis vel etiam substantiae et accidentis, ad rationem operationis inquantum operationes rerum primo animam attingunt, in ea recipiuntur atque diversimode ipsam determinant facultates sensitivas multipliciter afficiendo; unde fieri nequit quin anima eas non animadvertat atque non intueatur, praecipue cum saepissime in se ipsa ab agentibus exterioribus eas recipiat atque habitualis cognitio in ipso intellectu causetur; et inde habetur initium cognitionis essentiarum (1).

Caput XLI.

De natura et modo influxus luminis intellectus agentis in formatione specierum intelligibilium.

713. **Sententiae circa modum quo intellectus agens phantasma illuminat.** — Circa modum illuminationis intellectus agentis plures sententiae seu explicationes a philosophis proponuntur: 1.ª sententia docet in phantasma derivari aliquid luminis ab intellectu agente eique inhaerere sicut lux solis inhaeret diaphano et ita objectum intellectus in phan-

(1) Cf. III, *De anima*, lect. VIII.

tasmate eidem intellectui apparere, 2ª. vero ponit phantasma extrinsece ab intellectu agente illuminari non in se formaliter sed illuminatione objectiva ad objectum directa faciente apparere objectum intellectui, 3.ª vero admittit illuminationem radicalem tantum quatenus scilicet phantasmata ex hoc ipso quod a facultate radicata in anima intellectiva idest hominis procedunt et in ea subjectantur habent aptitudinem ut intellectus per ea species intelligibiles abstrahat seu sibi efformet; 4.ª tandem sententia docet intellectum agentem quemdam motum vel impressionem causare in phantasma ad modum quo principale agens puta artifex causat motum in instrumentum applicando ipsum ad agendum.

714. **Diffusa explicatio tradenda circa actionem intellectus agentis.** — Hujusmodi tamen sententiae quamvis aliquid veri continere possint vel contineant, tamen rem obscuram relinquunt vel novum mysterium inducunt, ut patere potest eas intime perpendenti et ideo nulla ipsarum plene satisfacit. Proinde diffusior explicatio est tradenda et hoc praecipue quia non pauci doctrinam scholasticam parvi facientes in absurdas explicationes ontologismi vel quod pejus est subjectivismi aut sensismi inclinant.

715. **Ratio instrumenti in formatione specierum phantasmati tribuenda.** — Imprimis advertimus non esse nimis insistendum et vim faciendam in similitudine quae accipitur ab artifice respectu intellectus agentis, et ab instrumento respectu phantasmatis (1). Insuper species intelligibiles compositae causantur ab intellectu possibili, certe vi luminis intellectus agentis (cf. n. 709), componente et dividente, et ideo respectu formationis harum specierum

(1) Cf. S. Thom. qu. unica de anima, a. 5. ad 8^m et Summa theol. ubi dicit phantasmata esse *quasi* instrumenta.

soluta est difficultas. Igitur tota difficultas respicit primas species et prima objecta (cf. n. 651). Sed circa objecta prima quaeri potest et debet an per species intelligibiles prima intellectione intelligantur, vel e contra species intelligibiles primae potius ex eorum cognitione oriantur in mente.

716. **Intellectus intuitus quo anima se indeterminate intuetur naturaliter fertur ad passionem actionem ab exteriori objecto in sensibus receptam.** — Cum intuitus intellectus naturaliter ad animam feratur fieri non potest quod anima patiatur ab actione objectorum externorum, reducatur in actum, perficiatur et ipsius animae non revocetur aliqualis attentio; atque proinde quod anima non applicet suas naturales facultates et praecipue non dirigat ipsum intuitum intellectus ad id quod agitur in ea (cf. n. 638) ipsumque aliquo modo percipiat. Ad hoc autem nulla species intelligibilis requiritur, sed solus intuitus sufficit addita animae attentione: sicut cum percipimus naturam aliquam per speciem intelligibilem jam perceptam plures in ipsa considerare possumus vi intentionis et attentionis respectus vel relationes et nexus in virtute intellectus agentis seu per ipsum intuitum. Unde etiam ex primis principiis per eumdem intuitum seu in virtute intellectus agentis deducimus conclusiones. Intuitus enim ille seu lumen praeexistit primis principiis veluti causa ipsorum et eis utitur veluti instrumentis: « Oportet praexistere, ait Angelicus, intellectum agentem habitui principiorum sicut causam ipsius; ipsa vero principia comparantur ad intellectum agentem ut instrumenta quaedam ejus, quia per ea facit intelligibilia actu » (1).

---

(1) Quaest. un. de Anima a V. C.

717. **Facultates animae non sunt considerandae veluti autonomae et quasi tot agentia principalia.** — Facultates animae non sunt considerandae quasi agentia principalia et ab invicem separata quasi ipsae sint quae simpliciter agunt; licet enim operationes ab eis dimanent atque in eis immediate subjectentur, tamen non sunt plura agentia, sed est unum agens tantum quod est homo vel anima ipsa quae illis facultatibus utitur veluti instrumentis. Unde anima vel homo est qui cognoscit ipsa singularia et ea distinguit per sensum apprehensa, quae proinde sunt animae aliquo modo, imo objective praesentia vi apprehensionis sensitivae. Unde nil mirum si anima possit applicare et de facto applicet suas facultates, non excluso ipso intellectu, ad illa. Imo hoc summopere naturale est; idipsum contingit respectu facultatum sensitivarum. Puta cum aliquis audit sonum excitatur statim desiderium videndi objectum unde sonus causatur, et anima ad ipsum dirigit visum adspiciendo.

718. **Objecta simplicissima omnino puta ratio entis, unius, boni** etc. **cognoscuntur ab intellectu sine specie intelligibili in ipsa anima habituali cognitione.** — Ratio est quia haec objecta continentur in quacumque cognitione etiam in illa cognitione qua anima habitualiter semper cognoscit se per simplicem intuitum, ad hanc enim cognitionem quae importat simplicem intuitum sufficit praesentia rei intelligibilis quocumque modo; unde cum anima semper cognoscat se indeterminate sine specie intelligibili per simplicem intuitum ex eo quod est sibi praesens, eadem cognitione oportet ut etiam apprehendat entia simplicissima idest ens, bonum etc. videlicet ut se apprehendet sub ratione entis, boni etc. sine specie intelligibili, cognitione tamen rudi,

imperfecta et indistincta; adde quod anima cognoscit actus suos in quibus se ipsam percipit idest cognoscit se intelligere et esse sine specie intelligibili (cf. n. 638). Unde anima imperfecte, indistincte et indeterminate haec objecta simplicissima vi essentiae suae habituali cognitione apprehendit in se ipsa independenter a specie intelligibili.

719. **Modus formationis primarum specierum intelligibilium.** — Haec perceptio vi intuitus habita modo indeterminato et imperfecto multiplicatur ex multiplicatione phantasmatum, et quia actus usu et exercitio perficitur, ideo illa perceptio progressu temporis fit magis determinata et perfectior objecta a quibus generantur phantasmata perfectiori modo attingens. Et cum ex actibus in potentiis generentur habitus, inde fit quod in intellectu generentur habituales determinationes ad iterum repraesentanda et percipienda talia objecta, idest actiones et qualitates sensibiles objectorum sensibilium ex quibus phantasmata oriuntur. Tales habituales determinationes sunt primae species intelligibiles quibus intellectus ad actiones et qualitates illas habitualiter cognoscendas determinatur. Unde faciliter eas iterato repraesentat et eas percipit quando vult, et fit potens ad eas intelligendas perfecte idest ea intellectione quae discretionem et cogitationem importat (cf. n. 652 segg.) per comparationem, ratiocinationem ecc., et ad alias species intelligibiles quae quidditates rerum sensibilium repraesentant gignendas (cf. n. 709) ex quibus scientia constituitur.

720. **Intellectus agens respectu specierum et principiorum.** — Unde intellectus agens est lumen idest intuitus ille habitualis quo anima semper seipsam intelligit indeterminate, et qui est semper in actu se extendens ad intuenda phantasmata etiam

indeterminate quae sunt in anima (seu in animato organismo quem anima ipsa formaliter per essentiam suam vivum constituit) et sic ea illuminat et vi nexus in eis existentis ad ipsas qualitates exteriores intuendas se protendit attingens in eis objectum suum proprium seu elementa universaliora ex quibus prima principia ab intellectu inde efformantur et ipsa intellectio perficitur. Unde intellectus agens est lumen habituale ipsum habitum principiorum antecedens et generans. Non enim ut importat aliquid distinctum ab intellectu possibili est potentia proprie loquendo, licet possit dici potentia lato quodam sensu (cf. supra n. 572).

721. **Ratio instrumenti in phantasmate.** — Modo praedicto phantasma recipiens illuminationem, (per hoc scilicet quod intuitus seu lumen intellectus agentis tendit et convertitur in ipsum), et vi nexus in eo existentis ducens materialiter intuitum ad objecta exteriora habet rationem instrumenti eo ferme modo quo principia dicuntur a S. Thoma instrumenta intellectus. Unde intellectus agens est primus habitus antecedens habitum principiorum ut causa ejus existens. « Oportet praexistere, ait Angelicus, intellectum agentem habitui principiorum sicut causam ipsius ; ipsa vero principia comparantur ad intellectum agentem ut instrumenta quaedam ejus quia per ea facit intelligibilia actu » (1) per hoc scilicet quod animam ducit ad quidditates rerum specificas vel genericas vi demonstrationis cognoscendas vel exprimendas et in intellectu possibili habitualiter hoc est per species intelligibiles conservandas (cf. supra n. 709).

722. **Species intelligibiles per veram cognitionem efficiuntur.** — Actio qua species intelligibiles efficiuntur est verus actus cognitionis per-

(1) Quaest. de Anima l. c. c.

fectae. Et quidem si fiat sermo de speciebus intelligibilibus complexis seu objectorum complexorum quae per ratiocinium cognoscuntur manifestum est (cf. n. 709); de aliis vero accipi potest ex ipsa natura intellectus agentis qui, ut dictum est, intuitum importat, intuitus autem cognitio quaedam est. S. Thomas ita describit necessitatem et munus intel lectus agentis in formatione specierum. « Oportet ponere praeter intellectum possibilem intellectum agentem, qui faciat intelligibilia in actu, quae moveant intellectum possibilem. Facit autem ea per abstractionem a materia, et a materialibus conditionibus quae sunt principia individuationis. Cum enim natura speciei quantum ad id quod per se ad speciem pertinet non habeat unde multiplicetur in diversis, sed individuantia principia sint praeter rationem ipsius poterit intellectus accipere eam praeter omnes conditiones individuantes, et sic accipiatur aliquid unum. Et eadem ratione intellectus accipit naturam generis abstrahendo a differentiis specificis ut unum in multis et de multis speciebus » (1). Et in hoc sensu idem Angelicus ait: « Actio intellectus agentis est abstrahere intelligibilia» (2). Ad hoc faciunt etiam ea quae habet in Summa Theol. ubi ait: « Cognoscere prima intelligibilia est actio consequens speciem humanam. Unde oportet quod omnes homines communicent in virtute quae est principium hujus actionis. Et haec est virtus intellectus agentis » (3) et « Intellectus noster abstrahit spe-

(1) Quaest.m De Anima a. IV. c.
(2) Ib. Ad 8.m
(3) P. I, qu. 79 a. V ad. 3.m

cies intelligibiles a phantasmatibus inquantum considerat naturam rerum in universali » (1).

723. **Distinctio et convenientia intellectus agentis et possibilis.** — Quamvis in nobis sit admittendus intellectus agens et intellectus possibilis, non tamen inter eos est admittenda distinctio realis quasi sint duae animae facultates seu potentiae realiter distinctae, unica enim est facultas intellectiva in nobis qua ordinamur ad intelligendum ; sed est admittenda distinctio quae est inter potentiam et ha-

(1) qu. 85 a. 1 ad 5.^{m}. — Sed digna est quae meditetur tota doctrina hujus primi art. qu. 85 in qua natura abstractionis intellectus exponitur, species abstractionis distinguuntur et nonnisi abstractio quae cognitionem importat assignatur. Unde in corpore articuli Angelicus ait : « Cognoscere id quod est in materia individuali non pront est in tàli materia est abstrahere formam a materia individuali quam repraesentat phantasma ». In argumento sed contra hunc modum abstrationis a materia applicat ipsis phantasmatibus dicens : « Oportet quod materialia intelligantur inquantum a materia abstrahuntur et a similitudinibus materialibus quae sunt phantasma ». In responsione autem ad 1.^{m} duplicem modum abstrationis distinguit utrumque veram cognitionem importantem : « Abstrahere, ait, contingit dupliciter. Uno modo per modum compositionis et divisionis.... alio modo per modum simplicitatis sicut cum intelligimus unum nihil considerando de alio ». Et deinde ita explicat hunc secundum modum abstractionis qui est ille qui fit per intellectum agentem : « Ea quae pertinent ad rationem speciei, ait, cujuslibet rei materialis puta lapidis aut hominis aut equi, possunt considerari sine principiis individuantibus quae non sunt de ratione speciei. Et hoc est abstrahere universale a particulàri, vel speciem intelligibilem a phantasmatibus considerare scilicet naturam speciei absque consideratione individualium principiorum quae per phantasmata repraesentantur ». Nullibi S. Thomas loquitur de abstratione quae fiat vi luminis intellectualis sine cognitione. Quid enim est lumen intellectuale quod cognitionem non importet? Concipi ne potest ? Absurditas est illuminatio intellectus sine cognitione.

bitum qui subjectatur in ea; non tamen habitum acquisitum aut accidentaliter, ut ita dicam, infusum, sed naturaliter ipsi animae seu intellectui debitum ad modum proprietatis ei convenientem. Unde eadem facultas intellectiva dicitur intellectus agens quatenus abstrahit intelligibilia, dicitur intellectus possibilis quatenus intelligibilia recipit sive modo actuali ea intelligendo sive modo habituali in se retinendo (1): ita tamen quod abstractio intellectus agentis et receptio intelligibilium intellectus possibilis ad unum intelligere perfectum ordinentur, unde « non sequitur quod sit duplex intelligere in homine quia ad unum intelligere oportet quod utraque istarum actionum concurrat » (2) Scilicet intelligere imperfectum intellectus agentis quod in abstractione consistit semper includitur in intelligere perfecto intellectus possibilis quod consequitur ad ipsam abstractionem specierum sicut imperfectum includitur in perfecto. Unde actio intellectus possibilis ea proprie dicitur quae procedit post acquisitionem et vi specierum acquisitarum sive solum ad intelligendum sive etiam ad novas species efformandas.

724. **In nobis nonnisi unum lumen intellectuale distingui potest et hoc est participatio luminis increati.** — Sicut autem in nobis est una facultas intellectiva, ita unum lumen intellectuale admittendum est quod est ipsum lumen intellectus

(1) « Species intelligibiles, ait S. Thomas, aliquando sunt in intellectu in potentia tantum; et tunc dicitur intellectus esse in potentia. Aliquando autem secundum ultimam completionem actus, et tunc intelligit actu. Aliquando medio modo se habent inter potentiam et actum et tunc dicitur esse intellectus in habitu. Et secundum hunc modum intellectus conservat species etiam quando actu non intelligit ». Ib. a. VI, ad 3.m.

(2) S, Th., l. c. ad 9.m

agentis et possibilis. De hoc lumine ait Angelicus: « Ipsum lumen intellectuale, quod est in nobis, nihil est aliud quam quaedam participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes aeternae. Unde in Psal. 4 dicitur: *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?* Cui quaestioni Psalmista respondit dicens: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine:* Quasi dicat: *Per ipsam sigillationem divini luminis in nobis omnia demonstrantur* » (1). Demonstrantur autem omnia per lumen intellectus agentis non quasi intellectus se habeat ad intellectum possibilem sicut objectum agens ad potentiam, sed ut faciens objecta in actu; unde praeter lumen intellectuale requiruntur species intelligibiles quae ab eo efficiantur (2). Ad faciendas autem species intelligibiles seu intelligibilia in actu non sufficit intellectus agens, sed etiam intellectus possibilis et alia requiruntur videlicet « requiruntur praeter praesentiam intellectus agentis praesentia phantasmatum, bona dispositio virium sensitivarum et exercitium in hujusmodi opere: quia per *unum intellectum fiunt etiam alia intellecta,* sicut per terminos propositiones, et per prima principia conclusiones » (3).

725. **Brevis resumptus originis, progressus et naturae cognitionis intellectus humani.** — Anima ab initio cognoscit se simplici intuitu non per speciem sibi superadditam sed vi essentiae suae (cf. n. 650) indeterminate sub ratione entis, deest enim attentio et intentio (4); per hoc autem quod anima patitur ab objectis sensibilibus suscipiens eorum actionem in semetipsa revocatur ejus attentio atque

(1) P. I., qu. 84. a. 5. c.
(2) Cf. S. Th. P. I. qu. 84. a. V. c.
(3) Ib. qu. 79. a. IV. ad. 3.m.
(4) Cf. supra n. 650 nota (1).

vi prioris intuitus percipit aliqua ratione quod in ipsa agitur, idest actionem-passionem ab extrinseco provenientem eo ferme modo quo quis per attentionem videt in principiis aliquam conclusionem quam prius non percipiebat; et ita in intellectu generatur quaedam determinatio ad actionem passionem receptam ab extrinseco, ad ipsum phantasma et ad objectum; hujusmodi autem determinationes multiplicantur ex actionibus objectorum in ipsam animam mediantibus sensibus, intuitus enim intellectus ex revocata attentione fertur ad id quod in anima agitur (cf. n. 638, 641), ad hoc enim habitus non requiritur. Hujusmodi autem determinationes in intellectu receptae ex perceptione intuitus intellectus ejus quod fit in anima ab objectis sensibilibus externis sunt quaedam notiones habituales intellectum determinantes et dirigentes quibus veluti primis habitibus intellectus roboratur atque ad alia cognoscenda extenditur. Inde species intelligibiles magis determinatae efficiuntur. Anima enim per reflexionem supra suos actus praecipue intellectivos perfectius se ipsam percipit animadvertens se illorum actuum esse principium vel etiam subjectum, licet quadam rudi perceptione. Hinc percipit se sub ratione substantiae indeterminate et in communi; et similiter percipit alia a se, quae distinguit per hoc quod ad diversas operationes ordinantur. Ratio enim entis, operatio, ratio substantiae sunt prima objecta quae cadunt sub cognitione intellectus; imo ad haec objecta omnes vel fere omnes nostrae resolvuntur cognitiones (cf. I, n. 438, 763; et supra n. 550, 556); non enim dantur species intelligibiles ipsam intimam naturam substantiae specifice in se et directe repraesentates, essentiae enim rerum in se sunt nobis ignotae. Unde cognitio quae habetur de ipsis, non excepta anima humana, est

ontologica, cognoscuntur enim non in earum natura atoma, sed cognoscuntur et explicantur per ipsam rationem communem entis vel substantiae cum ordine ad proprias operationes. Cognitio tamen quae habetur de anima dici potest *Ontologico psychologica* non quasi attingatur ipsa substantia animae in suo constitutivo et distintivo essentiali directe et per se, sed quatenus ipsa attingitur per suas operationes vitales quae scientiam psychologicam vere constituunt.

Caput XLII.

De origine hominis.

726. **Ratio capitis.** — Considerato homine in se, in suis partibus essentialibus, quae sunt anima rationalis et corpus cujus anima est vera forma substantialis, nec non in suis operationibus, considerandus remanet ipsemet homo quoad principium originis. Imprimis quidem quoad corpus est consideranda ejus origo, inde quoad animam.

727. **Evolutionistae et materialistae.** — Evolutionistae originem hominis ex transformatione seu ex evolutione materiae repetunt; at falsitas hujus doctrinae jam patere potest ex dictis dum de absurditate materialistarum fuit sermo (cf. n. 19 seqq.). Nam evolutionismus universalis a materialismo quoad substantiam non differt in adsignanda origine hominis, cum uterque monismum profiteatur in quo omnia ponuntur originem duxisse ex monera vel ex materia primitiva, quam indistictam quidam materialistae vocant, per vires mechanicas aut physico-chimicas modificationibus sive finitis, ut Ardigò, sive infinitis ut fere omnes materialistae putant. Unde in hac doctrina vita a materia bruta aeterna repetitur, qua-

tenus ex ea per vires physico-chimicas dicitur orta quaedam *protocellula* et ex ea omne vivens; ita scilicet ut animal a vegetali, species superior ab inferiori, et hominis origo immediate a simio vel ab aliqua forma simio et homini communi esse dicatur.

728. **Transformistae.** — Ii qui admittunt a materia bruta vitam non repeti sed eam aliunde esse supponunt, profitentes tamen transformationem specierum ita scilicet ut ex imperfectis et inferioribus habeantur species perfectae et superiores transformistae dicuntur; sunt utique et ipsi evolutionistae cum materiam evolvi doceant, non tamen universales sed partiales, proinde ut ab aliis distinguantur, transformistae vocantur. Horum tamen quidam omnes formas seu species ab una tantum primaeva forma vitali repetunt, alii vero a pluribus fundamentalibus seu praecipuis formis primitivis organicis a Deo productis.

729. **Creatianistae.** — Alii admittunt immutabilitatem specierum quas dicunt omnes a Deo per creationem originem duxisse non quidem per creationem stricte acceptam quasi Deus eas ex nihilo omnino creaverit, sed per productionem seu per specialem interventum actionis divinae in ipsa materia a nihilo jam virtute divina creata.

730. **Conclusio I.** — *Ponere species derivari a materia improducta et aeterna est omnino absurdum.* — Haec conclusio est contra evolutionismum absolutum a materialistis propugnatum; et post ea quae supra late contra ipsos materialistas exposuimus probatione non indiget. Absurdum est enim ponere mundum esse a se, materiam improductam, pulcherrimum mundi ordinem esse a casu idest ex coeca evolutione materiae etc. (cf. n. 17-22), sicut absurdum est velle explicare vitae originem vel ipsam

vitam per vires pure mechanicas, aut physico-chimicas (cf. n. 256 seqq.); nihilominus:

Prob. conclusio: 1.° variae species seu determinationes materiae quoad existentiam consideratae sunt aliquid adventitium et accidentale non essentiale ipsi materiae, secus essent ponendae improductae et aeternae sicut ipsa materia a materialistis ponitur, et quidem simul ab aeterno necessario, inseparabiliter et semper eidem materiae convenirent omnes simultanee et quidem in quacumque parte materiae; quod puam sit absurdum nemo est qui non videt. Ex hoc ergo quod sunt aliquid adventitium et accidentale ipsi materiae non conveniunt ei per se idest vi suae naturae et essentiae et oportet adsignare aliquod principium a materia omnino *distinctum* imo diversum vi cujus eidem materiae insint; quod quidem principium non debet agere ex necessitate naturae secus omnes praedictae determinationes semper eidem materiae et quidem simultanee convenirent.

2.° Si determinationes seu species illae variae et successivae a materia improducta et aeterna, ut ab Ardigò, dicantur esse numero finitae aliud (praeter praefatas absurditates) absurdum sequitur quod scilicet materia ante illas determinationes steterit per durationem infinitam, idest per aeternitatem praecedentem sine illis idest aliquid chaoticum, indeterminatum, pure potentiale, imperfectum cum negatione cujuslibet distinctionis (quippe ipsemet Ardigò indistinctum vocat) et actualitatis. At si materia per totam aeternitatem in illo statu indeterminationis, potentialitatis, indistinctionis stetit, absurdissime ponitur inde determinationes plurimas et diversas successive per determinatum tempus suscepisse, etenim si per totam aeternitatem praecedentem in ea non fuit causa sufficiens, neque in tempore ex ipsa

materia esse potuit; insuper absurdissime etiam ponitur illum statum immobilitatis aeternae transiisse atque tempus idest statum successionis illi surrogatum fuisse.

3.° Si autem illae species seu determinationes variae et successivae ipsius materiae dicantur esse infinitae tunc praeter notatas absurditates primo numero recensitas sequitur 1.° motum vel tempus esse aeternum, quod esse absurdum supra ostendimus, (n.11-62) 2.° rem omnino potentialem, indeterminatam et imperfectissimam qualis est materia, esse rationem et causam infinitarum perfectionum.

731. **Conclusio II.** — *Per influxum divinum et quidem naturalis ordinis fieri potuit quod species superiores omnes, homine excepto, derivarentur ex inferioribus.*

Prob.: 1.° Quia Deus potest supplere per suum influxum quod causalitati rerum materialium inferiorum deest ad effectus speciei superioris obtinendos. 2.° Quia in materia omnes formae potentialiter continentur, unde videmus ex materia pertinente ad unam speciem suscepta a specie superiori produci, mediante virtute speciei superioris, individuum ejusdem speciei superioris. Ita e. g. cibus in carnem vertitur, materia non vivens in materiam viventem mediante nutritione, augmentatione et generatione transit ad constitutionem novi viventis. Atqui Deus potest ex se solo facere quidquid fit per virtutem rei creatae, et potest uti aliis rebus veluti mediis et instrumentis ad suos effectus producendos et inducendos. Ergo.... 3.° Potuit Deus ponere in materia seminales rationes specierum superiorum ut evolverentur et reducerentur ad actum, ipso dirigente et movente, quid enim id vetare potuit? — Merito autem dixi in conclusione homine excepto quia homo in sua natura specifica includit animam

rationalem quae, ut patebit ex dicendis, non continetur in potentia materia, cum sit ab ea omnino in suo esse independens. — Potuit tamen Deus per species inferiores materiam praeparare ad animam rationalem suscipiendam.

732. **Conclusio III.** — *De facto tamen omnes species superiores esse ex inferioribus repetendas admitti nequit.* — Dixi omnes species, quia non est improbabile, licet non sit adhuc probatum, species secundarias ex principalioribus originem habere.

Prob.: 1.° Si omnes species superiores ex inferioribus originem ducerent evolutio rerum de una specie ad aliam esset veluti quaedam lex universalis, cujus proinde signa manifesta extarent; vel enim species superiores ex inferioribus oriri apparerent ut facta quaedam vel saltem species intermediae veluti annuli conjungentes inter superiores et inferiores in speciebus extinctis reperiri deberent. Atqui in natura hujusmodi facta non apparent, imo constanter apparet lex opposita vi cujus una species propagatur intra limites suae naturae, nunquam enim fit transitus repentinus de una ad aliam speciem, neque invenitur status quidam intermedius quasi annulus speciem inferiorem cum superiore conjungens, ut patet ex ipsa geologia (1). Ergo lex evolutionis universalis non existit quasi ex speciebus inferioribus superiores habeantur.

(1) Ad rem Contejean : « L'on peut mettre au défi les transformistes de citer un sol exemple, une série quelconque de types fossiles, où l'on puisse suivre pas à pas, d'âge en âge, les métamorphoses conduisant d'une espèce à un autre ». Et Blanchard : « Aujourd'hui plus que jamais, je renouvelle mon appelle ; c'est de toutes les forces de mon âme qu'en tête de ce livre je jette cette parole à tous les amis des sciences naturelles. Montrez-moi une fois l'exemple de la transformation d'une espèce ». Cf. Hugon, *Philol. naturalis* I. Pars. *Cosmol.* pag. 308 unde has citationes desumpsi.

2.° Si lex universalis evolutionis existeret ab eodem creatore statuta, admittenda esset generatio spontanea, idest ex materia bruta habetur vita seu materia organica. Atqui generatio spontanea nullo modo probatur cum compertum sit omne vivum ex vivo derivari. Ergo lex universalis evolutionis non existit ne a Deo quidem statuta (1).

733. **Conclusio IV.** — *Deus corpus primi hominis immediate per seipsum non vero, mediantibus speciebus inferioribus efformavit* (2).

---

(1) Quocirca E. Wasmann ait: « Ai due vecchi assiomi fondamentali della biologia di Haruvey e di Virchow si deve aggiungere il principio posto nel 1897 dal celebre botanico Strasburger: Omnis nucleus ex nucleo. Con i tre assiomi *omne vivum ex vivo, omnis cellula ex cellula, omnis nucleus ex nucleo*, la teoria della generazione spontanea è stata definitivamente abbandonata dai moderni naturalisti; essa può soltanto prolungare la propria esistenza fuori il campo delle scienze naturali ». *La Biologia Moderna*. Traduzione di A. Gemelli, Firenze, 1906, pag. 250.

(2) Verba Sacrae scripturae, quibus corpus hominis formatum a Deo describitur, litteraliter de productione Dei immediata videntur omnino esse accipienda, videlicet: « Formavit Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit » etc. Quod quidem confirmatur ex descriptione formationis Evae quae dicitur formata ex Adam; unde ipsemet Adam ex somno excitatus eam videns exclamavit: « Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea: haec vocabitur virago quia de viro sumpta est ». Genes. II, 23. — Unde S. Augustinus supponens hoc factum litteraliter verum in eo figuram formationis Ecclesiae ex Christo perspicit; ait enim: « Dormit Adam, ut fiat Eva; moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormienti Adae fit Eva de latere; mortuo Christo lancea percutitur latus, ut profluant sacramenta quibus formaretur Ecclesia ». In Joann. tract. IX, n. 10. Unde in Conc. Vaticano et ante in Viennense dicitur: « *Solus* verus Deus... ab initio temporis utramque condidit creaturam spiritualem et corporalem Angelicam videlicet et mundanam, ac deinde *humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam* ». Const. *Dei Filius* c. I.

Prob.: 1.° Si Deus, ut ostensum est, non produxit omnes species superiores ex speciebus inferioribus sed quasdam imo multas immediate per seipsum id a fortiori verificari debet de specie nobilissima cujus forma a solo Deo produci potest. Atqui homo inter species sensibiles est nobilissima species, eius forma quae est anima rationalis a solo Deo produci potest, ut magis patebit ex dicendis. Ergo Deus corpus hominis immediate produxit, non vero ex speciebus inferioribus.

2.° Si Deus produxit corpus hominis ex speciebus inferioribus vi evolutionis primus homo natus fuit ex bestia non quidem in statu adulto, sed in statu infantili juxta modum naturalem qui attenditur secundum evolutionis processus. Atqui omnino incongruum, non consentaneum sapientiae divinae, et legi moralitatis quasi repugnans est quod primus homo ex bestia in statu infantili originem duxerit. Ergo dicendum est Deum immediate per seipsum hoc est non ex speciebus inferioribus hominem produxisse.

3.° Dedecus est homini et multo magis primo homini originem habere ex bestia; primus enim homo debuit esse magister totius generis humani nisi supponatur non omnes homines ex primo, sed plures homines ex bestiis prodiisse ab initio quasi ex quadam lege naturali; deinde *miraculose* ablata a natura ab ipso Deo, secus etiam nunc homines ex bestiis prodirent. Si autem homo debuit esse magister filiorum suorum et generis humani praecipue in his quae ad vitam moralem pertinent, necesse fuit ut Deus miraculose interveniret. At si interventus miraculosus debet admitti quanto melius et sapientius dicitur Deum primum hominem in statu adulto produxisse immediate per seipsum? Adde quod juxta fidem nostram Deus elevavit hominem ad finem supernaturalem, multis donis super-

naturalibus eum cumulavit; fuit ergo ne congruum et decorum ut mediante generatione et alimentatione bestiali hominem ad statum adultum perduceret?

4.° Ex ipsa Morphologia comparata et ex Paleontologia habetur confirmatio nostrae thesis: nam ex prima habetur quod homo, considerata simplici structura corporis, ex simio esse non potest utpote ab ea nimis differens atque divergens; unde ipsimet materialistae coacti sunt ad admittendum animal antecedens hominem et simium utriqui commune ratione originis, quod quidem animal omnino hypotheticum est, imo etiam existendi incapax (1); e secunda vero idest ex Paleontologia idipsum habetur, quippe licet habeatur arbor specierum ditissima simiorum genealogica usque ad primam epocam periodi tertiarii, nullus annulus conjunctionis inter eos et homines adinventus est (2).

(1) Ad rem Wasmann: « La forma primitiva ed ipotetica, comune all'uomo e alla scimmia ammessa da Klaatsch la quale avrebbe dovuto vivere nel periodo terziario o nel proterziario è per ora un ente puramente ideale. I caratteri che lo scopritore attribuisce a questa forma primitiva che egli chiama « tipo generale scimmiesco », sono così indeterminati e vaghi e in parte anche contraddittori tra di loro, che noi possiamo ritenere che questo progenitore dell'uomo e della scimmia è puramente un *universale a parte rei* il quale non è capace di una reale esistenza. Quindi anche Giovanni Ranke nel congresso di Antropologia di Lindau nel 1890 ha osservato con ragione a proposito delle conclusioni di Klaatsch: *Questa è fantasia, ma non è scienza* ». *La Biologia moderna*, l. c. pag. 438.

(2) La Paleontologia, ait citatus auctor, « non ci dice solo che l'anello di congiunzione tra l'uomo e la scimmia non è ancora stato trovato; e infatti secondo la teoria di Klaatsch non si può parlare di un membro di congiunzione diretta tra questi due esseri, ma essa ci dice molto di più. Essa sul fondamento dei resultati delle recentissime indagini ci dimostra che noi conosciamo l'albero genealogico delle diverse scimmie, albero molto ricco di specie, il quale dal presente rimonta fino

5.° Dato etiam quod annulus conjunctionis quoad corpus adinveniretur non tamen posset concludi de facto hominis corpus esse ex specie inferiori; ete-

---

alla *ipotetica* forma primitiva del periodo più antico terziario; e infatti nell' opera di Zittel « Principii di Paleontologia » sono enumerati non meno di trenta generi di proscimmie fossili, le quali sono sepolte in quelli strati della terra che vanno dall' eocene sino alla fine del periodo diluviale, ma tra queste ipotetiche forme primitive e l' uomo attuale noi non troviamo nessun anello di congiunzione. L' *intero albero genealogico dell' uomo non presenta neanche un solo genere e nemmeno una sola specie fossile!* » l. c. pag. 438-439. Et Virchouv in Conventu Viennensi a. 1890 ait: « Fummo costretti a rinunziare a molte speranze. Il *proantropo* rimane ipotetico più che mai e per gli studi fatti è manifesto che gli uomini preistorici non si assomigliano alle scimmie più che non si assomiglino i presenti ». Idem Wasmann varias reliquias praeistoricas examinat praecipue adinventas Krapinae in Liburnia et concludit: « Se si stabilisce che il cranio preistorico di Spy, la mascella inferiore di La Naulette e i resti di dieci scheletri preistorici trovati ad Aram in Croazia presentano realmente un complesso di caratteri che si avvicinano a quelli del Cranio del Neandertal, allora noi possiamo ritenere che quest' ultimo e i suoi contemporanei non sono da ritenersi « un protouomo simile agli animali » ma invece sono veri uomini che appartengono ad un' antica razza preistorica ». Post haec verba clarissimus Gemelli in nota subjungit: « Questo è appunto quanto è stato dimostrato affatto recentemente. Anche astraendo da ogni ipotetico rapporto filogenetico con gli antropoidi, noi possiamo dire che i resti fossili numerosi trovati a Krapina in Croazia ci danno modo di raggruppare tutti i resti citati dal chiarissimo autore in quanto che tutti presentano spiccatissime somiglianze tra loro; alcuni di questi caratteri sono propri dell' adattamento dell' uomo a quelle condizioni cui più sotto accenna il chiarissimo autore, altri invece sono comuni con l'uomo attuale; di guisa che noi dobbiamo attribuire questi resti fossili all' uomo preistorico e non già ad un antenato anello di congiunzione con gli antropoidi, perchè non si può assolutamente dire che tra il *Pithecanthropus* e questi resti fossili vi sia un nesso filogenico », l. c. pag. 445 — cf. etiam in pag. 448 454 in notis.

nim homo non ex solo corpore constat, sed ex anima et quidem rationali, quae est forma substantialis corporis, et nonnisi a Deo per creationem esse potest, ut infra ostendetur. Unde eo ipso quod forma substantialis hominis a Deo solo esse potest, non licet inferre Deum ex speciebus inferioribus hominis corpus efformasse ob qualemcumque corpoream similitudinem in eo ad corpora inferiorum specierum existentem. Unde illi ipsi qui corpus hominis ex specie inferiori originem habere dicunt, seposita consideratione naturae et originis animae humanae, solummodo perpendunt similitudinem corpoream hominis ad inferiora animantia et ea innituntur. Proinde hominem ut purum animal considerant officio puri zoologi fungentes. Quod quam sit absurdum ex ipsa discrepantia patet quae inter animal rationale et irrationale interest, inter hominem et brutum (1).

---

(1) « La zoologia, scite animadvertit pluries citatus Wasmann, insieme con le scienze a lei ausiliarie non può dire veramente di quale natura è la vita spirituale dell' uomo e quale origine abbia avuta, perchè questo argomento esce dal campo della conoscenza della zoologia. Ne segue che la zoologia non può essere nemmeno competente a giudicare dell' evoluzione filogenetica *dell' uomo come tale*. La sua competenza si limita alla parte di questa quistione che riguarda il corpo ed anche di questa non può dare nessun giudizio definitivo, perchè l'anima e il corpo dell' uomo sono collegati a formare un tutto sostanziale », l. c. cap. X, § I pag. 420. — In confirmationem hujus doctrinae affert varia exempla adlata ab eximio naturalista Carolo Ernesto V. Baer ad ostendendam absurditatem materialistarum animam negantium, inter quae hoc seligimus ad rem nostram plane opportunum: « Supponiamo che nell' interno dell' Affrica un viaggiatore abbia perduto un libriccino dopo avervi scritte delle note musicali ; se lo trova un uomo selvaggio lo giudica semplicemente un fascio di foglie secche. Se invece lo trova un Ottentotto che ha già avuto dei rapporti cogli europei, riconosce che è fatto di carta. Un uomo appartenente alle regioni europee riconosce che è un libro. Se

CAPUT XLIII.

De origine animae humanae.

(Cf. nostram Theol. spec., p. I, c. LVIII; S. THOM., p. I, qu. XC, et c, g., l. II; c. LXXXV, et seq. ZIGLIARA, *Psych.*, l. I, c. IV; ROSSELLI, *Summa Philos.*, Pars. II, quaest. XVIII; LIBERATORE, *Psych.*, Cap. II, ar- V et VI; SCHIFFINI, *Metaph. special.*, Vol. I, Pars. Alt. Disp. I, Sect. VII HUGON l. c.).

734. **Materialistarum sententia circa originem animae humanae.** — Materialistae putant animam humanam nihil aliud esse quam aut ipsum corpus, aut ejus quoddam temperamentum, et originem habere ex transformatione seu ex evolutione materiae. Haec sententia de origine animae ex evolutione et transformatione materiae praecipue nostris diebus invaluit,

---

infine lo trova un provetto musicista vi legge perfino « Ouverture zur Zauberflöte » di Mozart, oppure una sinfonia di Beethoven. « La medesima cosa, osserva Baer, avviene nello studio dell' anima. Chi non ha intelligenza sufficiente per conoscere che cosa è l'anima, tralasci di curarsi di essa e si accontenti della conoscenza del suo io impersonale. Il naturalista ha un certo dovere di starsene fuori dei confini della spiritualità, perchè le sue osservazioni non possono condurre ad alcun resultato e i suoi fedeli mezzi di indagini, ossia la bilancia e l' uso dei sensi esterni in questa ricerca non gli possono servire: esso però non ha diritto di dire: perchè qui io non vedo proprio nulla e non posso misurare alcuna cosa non vi è veramente nulla e neppure può dire che esistano realmente soltanto le cose corporee che colpiscono i sensi e che si possono misurare, e che la cosidetta anima proviene dal corpo ed è una proprietà ed un attributo di esso. Egli in questo caso giudicherebbe precisamente come quell' Ottentotto di cui parlammo più sopra, il quale vide bensì i punti e le linee segnate sul libriccino, ma non comprese che era musica; oppure giudicherebbe in modo simil a quel ragno il quale ha percepito le vibrazioni del corno (*ove si trovava*) ma non ha udito la melodia », l. c. pag. 409.

putant enim materialistae seu positivistae species superiores viventium ex inferioribus vi evolutionis seu transformationis originem duxisse et vitam ex materia bruta esse. — Hanc sententiam esse falsam patet ex dictis (n. 19-23 et 731-733).

735. **Aliae sententiae recensentur.** — Quidam posuerunt animam esse de substantia Dei quasi quamdam partem et emanationem illius: hujus erroris duplex fundamentum adsignat S. Thomas (1): *primo* adsignat antiquorum sententiam qui ponebant Deum esse quoddam corpus, et animam esse de natura illius corporis; *secundo* eorum sententiam qui ponebant Deum esse quandam lucem corpoream et animam esse partem talis lucis corpori alligatam.

Alii docent animam humanam per generationem et vi generationis habere originem, eo modo quo habet originem anima brutorum. Haec sententia dicitur *traducianismus* et defensores *traducianistae:* anima autem juxta hanc sententiam dicitur esse *ex traduce.* Sed tripliciter exponitur haec sententia:

1.ª *expositio:* Quidam docuerunt animam humanam ex corpulentis seminibus originem ducere et ideo esse materialem eo modo, quo est anima brutorum. Hunc *traducianismum, qui corporeus* dicitur, docuerunt Tertullianus et haeretici Apollinaristae.

2.ª *expositio:* Alii docent animam humanam traduci per semen corporeum, non tanquam per causam, sed tanquam per instrumentum, produci autem a virtute animae, sed hoc exponitur dupliciter; vel per hoc quod quaedam materia spiritualis transfunditur ab animae virtute, ex qua materia habetur nova anima, vel ipsa anima sine materia ulla ab eadem virtute producitur.

---

(1) P. I., qu. XD, a. I. c.

3.ª *expositio :* Rosminius autem docet animam humanam per generationem produci, sicut producitur anima brutorum, et vi generationis esse pure sensitivam ; fieri autem intellectivam per hoc quod Deus actui sensationis exhibet ens ideale, quod est lumen creaturarum intelligentium. Haec sententia nova non est, nam illa ipsa est, quam refert Angelicus (1) dicens : « Alii dicunt quod illa eadem anima, quae primo fuit vegetativa tantum postmodum per actionem virtutis, quae est in semine, perducitur ad hoc ut ipsa eadem fiat sensitiva, et tandem ad hoc ut ipsa eadem fiat intellectiva, non quidem per virtutem activam seminis, sed per virtutem superioris agentis scilicet Dei deforis illustrantis ».

736. **Conclusio I.** — *Anima humana non est ex evolutione materiae brutae.*

Prob.: 1.° Vita non potest esse ex evolutione materiae brutae (n. 256 et seqq.). Ergo multo minus nobilissima vita et principium nobilissimae vitae quod est ipsa anima rationalis.

2.° Quod est omnino independens a materia in suo esse et subjective in suo agere non potest esse ex transformatione materiae brutae. Atqui anima rationalis seu humana est omnino independens in suo esse et in suo agere specifico a materia (n. 335-346). Ergo anima humana non est ex evolutione materiae.

3.° Si anima humana esset ex evolutione materiae. sequeretur quod homo posset habere esse ex viribus naturae per aliam viam quam per generationem, quae est per virum et uxorem. Atqui omnino absurdum est et contra sensum communem, et ridiculum adserere hominem posse habere esse ex viribus naturae per aliam viam, quam per generationem, quae est per

(1) P. I., qu. CXVIII, a. II. ad 2.m

virum et uxorem : unde S. Thomas (1) ait : « Materia ex qua naturaliter generatur homo est semen humanum viri vel foeminae. Unde ex alia quacumque materia individuum humanae speciei generari non potest naturaliter ». Ergo anima humana ex evolutione materiae esse non potest.

737. **Conclusio II.** — *Anima humana non potest esse per emanationem divinae substantiae.*

Prob.: 1.° ex falsitate fundamenti cui innititur sententia nostrae conclusioni opposita in qua supponitur substantiam divinam, et ideo animam humanam esse corpus, aut lucem corpoream. Hoc enim supponere absurdissimum est (n. 336 et seq.).

2.° Substantia divina est omnino simplex et impartibilis, et quidquid est in ipsa est ad ipsam essentialiter pertinens et est ipsa substantia divina, quae est actus purus sine ulla potentialitate. Atqui anima humana non est actus purus. Ergo anima humana non est aliquid de substantia divina, neque est ex emanatione divinae substantiae. — *Prob. minor:* anima humana quandoque est intelligens in potentia, et scientiam quodammodo a rebus acquirit et habet diversas potentias : ergo ipsa non est actus purus, et aliena omnino est a Dei natura.

738. **Conclusio III.** — *Anima humana non potest esse ex traduce corporeo, seu non potest esse causata ex virtute seminis corporei* (2).

Prob.: 1.° Substantia, quae sua nobilitate materiam transcendit et non dependet in suo esse, neque in suo agere specifico a materia, non potest esse causata ex virtute materiae seu ex virtute seminis. Atqui anima

---

(1) P. I, qu. XCII, a. IV.

(2) Cf. S. Th., p. I, qu. CXVIII ; a. II, et Pot. qu., III, a. XI.

humana est substantia quae in suo esse a materia non dependet, sicut neque in suo agere specifico, idest in intelligendo (n. 342). Ergo anima humana non potest originem habere ex virtute materiae, idest ex virtute seminis corporei.

2.° Virtus quae est in semine agit in virtute animae generantis secundum quod anima generantis est forma et actus corporis utens ipso corpore in sua operatione. Atqui in operatione intellectus et voluntatis anima humana non utitur organo corporeo, cum intellectus sit facultas omnino inorganica (n. 342). Ergo anima humana non potest in generatione hominis per virtutem seminis aliam animam producere.

Confirmatur: 1.° Si anima intellectiva produceretur ex semine, sequeretur quod esse spirituale et intellectivum produceretur ex virtute seminis, idest spiritus et intellectus esset ex materia, et ideo spiritus et intellectus esset independens (n. 342) a materia et simul dependens, quod contradictorium est.

Confirmatur 2.° Quod ex materia dependet, sine materia operari et existere non potest; ergo per se neque subsistens neque spirituale est.

739. Conclusio IV. — *Anima humana non potest esse ex materia spirituali.*

Prob.: Materia spiritualis est figmentum et absurditas quaedam. Ergo anima humana non est ex materia spirituali. — *Conseq. patet. Antec. prob.:* Materia et spiritus omnino opposita sunt: nam nomine spiritus intelligitur ens omnino a *materia independens.* Insuper res spiritualis, sive sit substantia sive accidens, est omnino simplex et impartibilis; materia autem est pars substantiae, consequenter materia spiritualis, si daretur, esset pars substantiae spiritualis, idest pars rei omnino simplicis; quod contradictiorium est. — Tandem materia spiritualis a nullo philoso-

phorum explicatur in quo consistat; ergo omnino figmentum rationis est.

740. **Conclusio V.** — *Anima sensitiva non potest fieri intellectiva per virtutem Dei illustrantis seu, ut ait Rosminius, per exhibitionem entis idealis actui sensationis.*

Prob.: 1.° Virtus Dei illustrans aut causat, vel ponit in anima sensitiva aliquid substantiale, aut aliquid accidentale. Si ponit vel addit aliquid substantiale vel subsistens, sequitur error ponentium plures animas in corpore; si autem non est aliquid substantiale, sed quaedam perfectio accidentalis adveniens animae sensitivae, sequitur 1.° quod homo nonnisi accidentali perfectione differat a bestiis, 2.° quod anima intellectiva corrumpatur, corrupto corpore (1).

2.° Addendum est etiam quod in sententia Rosminiana ponitur actum sensationis terminari ad *esse ideale* et intelligibile, quod est omnino absurdum. Praeterea, quia, juxta Rosminium, actus sensationis primo et per se terminatur ad corpus cui anima unitur, et mediante corpore cui unitur, terminatur ad objecta exteriora (n. 435-435), sequitur etiam quod anima separata a corpore nullum actum sensationis habeat, et proinde non poterit ei exhiberi *ens ideale*. Tandem quia hujusmodi ens ideale actui sensationis exhibitum juxta Rosminium constituit ipsam mentem, et est unum pro omnibus, et quid divinum in se, sequitur ulterius quod sit una mens omnium hominum, quae est aliquid divinum et increatum, ipse Deus.

741. **Animae humanae origo determinatur.** — Rejectis falsis sententiis circa originem animae humanae vera sententia statuenda est. Proinde sit:

---

(1) Cf. S. Th., p. I, l. c., a. II, c.

742. **Conclusio.** - *Quaelibet anima humana a solo Deo habet originem per creationem* (1).

Prob.: 1.° Quaelibet anima humana nonnisi per creationem produci potest. Atqui quod per creationem producitur a solo Deo originem habet (n. 42 et seq.). Ergo anima humana a solo Deo habet originem per creationem. — *Prob. maj.:* Anima humana non habet esse per emanationem a divina substantia, neque per evolutionem materiae, neque per generationem quocumque modo explicetur (n. 737 et seq.). Ergo nonnisi per creationem esse potest anima humana: non enim alius modus productionis adsignari potest praeter recensitos.

2.° Productio *totius* entis per se subsistentis est ipsa creatio. Atqui anima humana est per se subsistens et tota producitur cum ipsa sit simplex et non constet ex materia. Ergo anima humana habet esse per creationem et quidem a solo Deo (737). *Prob. maj.:* Si homo, vel lapis, vel arbor etc. totaliter scilicet tum quoad materiam tum quoad formam produceretur, talis productio esset creatio; idipsum dicendum est de quolibet subsistente praecipue spirituali, quod in suo esse est a materia independens.

3.° Anima humana producitur tota; sed non producitur per generationem, aut per evolutionem materiae. Ergo nonnisi per creationem a solo Deo producitur. *Prob. maj.:* Anima humana est aliquid productum, non enim est improducta, et est simplex; quod autem simplex est totum producitur.

743. **Doctrina Ecclesiae.** — Haec doctrina est retinenda ut certissima non solum ob rationes, quae eam esse veram demonstrant, sed vel maxime pro viris catholicis ex eo quod est doctrina quam tuetur

(1) Cf. S. Th., p. I, l. c., a. II.

catholica ecclesia, a qua generatianismus reprobatur omnino (1).

744. **Solvuntur difficultates.** — *Obi.* 1.ª Anima sensitiva generatur ex virtute seminis. Sed anima humana est sensitiva. Ergo anima humana generatur ex virtute seminis.

Resp.: dist. maj.: Anima, quae est formaliter secundum suam ultimam perfectionem *sensitiva, conc.;* anima quae est virtualiter sensitiva, tamen est formaliter secundum suam ultimam perfectionem *intellectiva, nego.* Et, *contrad. min., nego conseq.*

Subsumes: Atqui anima quae est formaliter intellectiva est ex virtute seminis. Ergo. — *Prob. min. subsumptam:* Corpus humanum formatur ex virtute seminis. Atqui corpus humanum constituitur formaliter humanum ab anima intellectiva. Ergo anima intellectiva ex virtute seminis est in corpore humano.

Resp.: neg. min. subsumptam. Ad *prob. dist. maj.:* Corpus humanum ex virtute seminis formatur, per hoc quod materia disponitur ad animam rationalem suscipiendam ut formam, *conc.;* per hoc quod ipsa anima intellectiva ex virtute seminis producatur, *nego.* Et *dist.* etiam *consequens:* anima.... est ex virtute seminis disponente et praeparante materiam, *conc.;* causante animam, *nego.* — Solutio patet ex dictis.

Instabis: Animal producit sibi simile secundum speciem ex hoc quod propria virtute causat formam animalis ab ipso geniti. Atqui homo producit sibi simile secundum speciem generando hominem. Ergo homo per generationem producit formam hominis, idest animam intellectivam.

Resp. : dist. maj.: Animal producit.... ex hoc quod propria virtute causat formam, idest vel eam, quae est

(1) Cf. Nostram theol. vol. I, cap. 72 n. 791; Zigliara, *Summa Philos. Psychologia,* lib. I, c. IV, a. 3, V.

ultima, vel quae se habet ut dispositio ad ultimam formam, *conc.;* ex hoc quod propria virtute semper causat ipsam formam ultimam, *nego.* Et, *concessa minori, nego conseq.* — Ad hoc ut animal producat sibi simile secundum speciem non est necesse quod causet ipsam formam per generationem, sed sufficit quod disponat materiam ad ultimam formam suscipiendam causando in materia dispositiones praevias, praecipue ultimam dispositionem, nam producens ultimam dispositionem ad formam in materia est vera causa unionis materiae cum forma, quae fortasse ab alio agente ibi producitur, et ideo est causa compositi ; sicut artifex est vera causa domus per hoc quod conjungit partes modo artificioso, licet non sit causa partium, ita homo producit hominem per hoc quod conjungit materiam cum anima intellectiva in unitate naturae humanae, licet neque materiam neque animam producat : et sic causat sibi simile secundum speciem. « Homo, ait S. Thomas, generat sibi simile, inquantum per virtutem seminis ejus disponitur materia ad susceptionem talis formae » (1).

Dices : Vis generativa hominis est efficacior quam vis generativa bruti animantis, et ideo producit majorem effectum. Sed anima sensitiva, quae producitur a vi generativa bruti animantis, est major effectus quam simplex dispositio quae producitur a vi generativa hominis in materia ad susceptionem animae intellectivae. Ergo dicendum est quod non solum dispositio ad animam intellectivam suscipiendam, sed etiam ipsa anima producatur a vi generativa hominis.

Resp.: conc. maj. et *nego minorem :* nam dispositio, quae causatur in materia a vi generativa hominis est quaedam forma intermedia, quae est veluti via

(1) S. Th. P. I, qu. CXVIII, a. II, ad 4.m

ad animam rationalem, et est ipsa anima sensitiva ad perfectiorem formam, tanquam medium et via ordinata, ut docet S. Thomas (2).

Obj. 2.ª Si anima humana creatur a Deo, Deus cooperatur peccatoribus, quando homo concipitur ex adulterio. Atqui hoc adserere absurdum est. Ergo anima non habet esse a Deo per creationem.

Resp.: dist. maj.: In eo quod peccatum est *nego;* in eo quod naturae et bonum est *conc.* Et, *contrad. minori, nego conseq.* « In actione adulterorum, ait S. Thomas (3), illud, quod est naturae, bonum est et huic cooperatur Deus: quod vero est inordinatae voluntatis, malum est; et huic Deus non cooperatur (4).

745. **Quaestio.** — At nunc movetur quaestio de tempore, quo animae humanae a Deo esse habeant per creationem.

746. **Sententiae variae.** — 1.ª Sententia fuit Platonis qui posuit quod animae humanae ab aeterno fuerint creatae et quod in decursu temporis uniantur corporibus sive ex ordinatione divina, sive propria sponte.

2.ª Sententia fuit Origenis, qui posuit animas omnes humanas ante corpus fuisse simul cum angelis creatas ejusdem naturae et conditionis; progressu vero temporis, ob demerita in statu separationis a corpore commissa, corporibus esse adligatas in poenam.

3.ª Sententia, quae Pithagorae tribuitur, et quam amplexati sunt non pauci ex antiquis, et amplectuntur quidam ex recentioribus praecipue spiritistae, docet animas omnes ab initio extitisse in quodam

(2) l. c. ad 2.m

(3) l. c. ad 5.m

(4) Pro aliis diff. cf., S. Th. c. g., l. II, c. LXXXVIII-LXXXIX.

numero determinato, et unamquamque proprio corpori esse unitam, ita sciliscet ut quando a corpore, cui unitur, separatur, ad aliud corpus transmigret informandum. Haec sententia vocatur *metempsychosis*, hoc est transmigratio animarum.

4.ª Sententia Leibnizio tribuitur, qui docuit animas ab initio mundi omnes esse creatas, et in corpusculis quibusdam organicis inclusas, vi autem cujusdam evolutionis pervenisse ad statum et perfectionem, quam nunc habent et qua fiunt et constituuntur humanae.

5.ª Et ultima sententia docet animas humanas creari et simul corporibus infundi; tunc ergo animae creantur in hac sententia quando corporibus infunduntur.

747. **Sententiae falsae refelluntur et propositae quaestioni respondetur.** — Verum quatuor priores sententiae admitti non possunt; quinta vero sententia vera est; proinde statuuntur et probantur plures conclusiones, ut veritas manifesta fiat.

748. **Conclusio I.** — *Animae humanae neque ab aeterno creatae sunt, neque antequam corpori infundantur* (1).

Prob. 1.ª *pars:* Quod est ab aeterno successionem non compatitur (n. 62). Atqui animae humanae successionem compatiuntur. Ergo animae humanae non sunt ab aeterno. Insuper haec sententia de aeternitate animae humanae est omnino arbitraria, nulli fundamento nititur. Ergo non est admittenda.

Prob. utraque pars simul. Si anima humana ponatur fuisse antequam corpori uniretur, oportet ut ponatur fuisse cum propria sua specifica operatione quae est intelligere: unde ipsemet Plato, Origenes et eorum sequaces posuerunt animam humanam in illo statu

(1) Cf. S. Th., c. g., l. II, c. LXXXIII-LXXXIV.

separationis fuisse plenam speciebus intelligilibus. Atqui absurdum est ponere quod anima humana propriam operationem specificam perfectam habuerit antequam corpori uniretur. Ergo anima humana non est ponenda fuisse creata antequam corpori uniretur. — *Prob. minor:* 1.° quia per unionem ad corpus anima humana incredibile est quod tantam oblivionem capiat ut nihil recordetur circa ea, quae in statu separationis intelligebat, praecipue si supponatur, sicut vere supponendum est (n. 363 et 373), quod unio animae ad corpus sit naturalis et non contra naturam animae; 2.° quia si anima ex sua natura perfectam habet cognitionem et etiam perfectiorem, quam possit habere dum corpori unitur, ad quid unitur corpori? Non potest fieri nisi triplex hypothesis, idest: aut anima humana unitur corpori propter perfectionem suam propriam et specificam acquirendam, quae est intelligere, aut propter ipsum corpus, aut propter peccata commissa in statu separationis, ut Origenes posuit. Atqui non propter primum, nam, posita sententia Platonica, anima per unionem ad corpus, obliviscitur ea, quae in statu separationis novit, et ideo per unionem ad corpus non perficitur, sed inficitur; non propter corpus unitur corpori, nam forma non est propter materiam, sed materia propter formam, et ignobilius semper est propter nobilius, unde in ontologia ostendimus quod causa finalis est praestantior inter alia genera causarum (I, n. 801); non propter peccata in statu separationis commissa unitur corpori, nam poena, quae propter peccata infligitur, oportet ut sit contra voluntatem, cum peccata per voluntatem commissa sint, uniri autem corpori non est contra voluntatem animae, sed e converso est contra voluntatem a corpore separari, cum mors sit naturaliter horribilis. Ergo si anima ponatur creata a Deo in statu sepa-

rationis, sicut Platonici posuerunt, omnino irrationabiliter corpori uniri dicitur.

749. **Conclusio II.** — *Omnino absurdum est adserere quod anima, cum ab uno corpore separatur, ad aliud informandum transmigret.*

Prob. 1.° Anima, ut ostensum est (n. 364), est forma substantialis corporis ita scilicet ut ex ea corpus constituatur intrinsece et essentialiter. Atqui una forma substantialis non potest constituere nisi unum corpus. Ergo anima non potest ex uno corpore ad aliud corpus transmigrare. — *Prob. minor* ex eo quod unitas corporis nonnisi ex unitate formae substantialis consideratur; unde quantumcumque materia corporis augeatur vi nutritionis, aut renovetur, semper idem corpus perseverat sub eadem forma, et inde est quod remanente unitate formae remanet identitas corporis (1).

Confirmatur: Docent physici quod in corpore vivente tota materia renovatur per certum lapsum temporis. Atqui omnes ex sensu naturae ducti retinent corpus vivens praecipue animalis semper idem perseverare. Ergo unitas corporis ex unitate formae substantialis et ideo animae habetur. Ergo una anima nonnisi forma unius ejusdemque corporis esse potest.

2.° Si animae humanae transmigrarent de uno corpore ad aliud, sequeretur quod eaedem personae humanae quoad substantiam semper haberentur in mundo, et homines, qui nunc sunt, non essent alii quoad substantiam ab iis qui elapsis temporibus fuerunt; non enim diversitas materiae est sufficiens ad causandam diversitatem inter homines, sed requiritur diversitas animae. Atqui contra conscientiam et consensum communem est adserere quod eaedem sem-

(1) Cf. S. Th., c. g., l. II, c. LXXXIII, 11.

per personae quoad substantiam sint in mundo, et quod homines et conscientiae quae nunc sunt, sint illi ipsi homines et illaemet ipsae conscientiae, quae elapsis temporibus fuerunt. Ergo animae humanae ex uno ad aliud corpus non transmigrant (1).

750. **Conclusio III.** — *Omnino absurdum est ponere animas esse omnes creatas ab initio, inclusas in corpusculis organicis, evolvi et fieri humanas.*

Prob.: Si anima humana fieret talis, idest humana seu intellectiva, vi transformationis et evolutionis, dependeret ex materia, seu ex corpore. Atqui anima humana non dependet quoad esse ex materia seu ex corpore (n. 342). Ergo anima humana non potest fieri talis vi evolutionis et transformationis animae creatae a Deo ab initio et corporibus organicis inclusae. — *Prob. maj.:* Si anima humana fit humana, distincta scilicet ab anima vegetativa et sensitiva, vi evolutionis et transformationis, hoc esse non potest nisi per acquisitionem seu per additionem alicujus novae et distinctae perfectionis ei advenientis; quae perfectio si est aliquid accidentale, sequitur quod anima humana accidentaliter differat ab anima belluina, et ideo non poterit esse essentialiter independens a materia; si autem talis perfectio sit quid substantiale, tunc anima humana erit composita in sua essentia, vel duae animae erunt in uno homine (cf. n. 387).

751. **Conclusio IV.** — *Quaelibet anima humana tunc creatur cum corpori infunditur.* — Haec conclusio tanquam corollarium eorum, quae in praecedentibus conclusionibus ostensa sunt, sequitur. Sed directe etiam:

Prob.: Anima humana ad suas operationes eliciendas etiam specificas, licet objective, corpore naturali-

(1) S. Irenaeus (cont. haer., l. II, c. XXXIII, 1) plura habet argumenta. — Cf. S. Th., P. I, q. CXVII, a. 4.

ter indiget, et haec indigentia a nullo medio naturali suppleri potest. Atqui absurdum est adserere quod Deus, a quo solo anima humana producitur, producat res sine eo, quo naturaliter indigent ad propriam operationem specificam eliciendam. Ergo dicendum est Deum non creare animas humanas nisi in corpore, idest tunc, cum corpori a Deo infunduntur, creantur.

752. **Quaestio altera.** — Quaestio altera valde secundaria in philosophia movetur, an scilicet anima humana statim in ipso momento conceptionis foetus creetur et infundatur, vel non creetur et infundatur nisi post aliquod tempus, idest postquam foetus fuerit dispositus ad animam suscipiendam per varias formas inferiores, quae sunt anima vegetativa et sensitiva. *Prima* sententia nunc videtur esse communior; *secunda* vero retinetur a S. Thoma, quem sequuntur plures etiam recentiores. Quamvis primam sententiam aspernendam non judico, tamen sententia S. Thomae magis mihi arridet. Proinde haec statuitur:

753 **Conclusio.** — *Anima humana non statim, cum foetus concipitur, a Deo creatur et corpori infunditur, sed postquam foetus per formas priores et imperfectiores dispositus est ad animam humanam suscipiendam.*

Prob. 1.° Constanter sive in naturalibus, sive in artificialibus, haec lex servatur: quod forma et ultima perfectio non statim inducitur, sed prius materia disponitur per formas priores, imperfectiores et veluti praeparatorias; hoc patet inducendo per singula, e. g. prius praeparatur semen, postea inducitur vita; et in artificialibus pictor e. g. per colores intermedios disponit materiam et postea inducit ultimam formam coloris, etc. Atqui formae imperfectiores et priores ordine generationis, quae considerantur respectu animae humanae, sunt 1.° forma quae est in semine ante con-

ceptionem ; 2.° forma vitalis secundum infimum gradum, idest vegetativa ; 3.° forma sensitiva. Ergo de anima rationali dicendum est quod non infundatur in corpore nisi postquam per praecedentes formas imperfectiores corpus dispositum sit in generatione animalis, nam, ut ait Angelicus, « apparent diversae formae substantiales cum primo appareat sperma et postea sanguis et sic deinceps quousque sit forma animalis » (1).

2.° Naturale est prius vivificari vita vegetativa quam sensitiva et vita sensitiva quam intellectiva : patet hoc ex operationibus. Ergo naturale et rationabile est quod prius anima vegetativa, postea anima sensitiva producatur, et tertio anima intellectiva infundatur, sicut ultima perfectio substantialis. « Et sic oportet, prosequitur Angelicus post citata verba, quod hujusmodi generatio non sit simplex, sed continens in se plures generationes et corruptiones. Non enim potest esse quod una et eadem forma substantialis gradatim educatur in actum, ut ostensum est. Sic ergo per virtutem formativam quae a principio est in semine, abjecta forma spermatis, inducitur alia forma, qua abjecta, iterum inducatur alia, et sic primo inducatur anima vegetabilis ; deinde, ea abjecta, inducatur anima sensibilis et vegetabilis simul (*idest quae est sensibilis et vegetabilis simul*) qua abjecta, inducatur non per virtutem praedictam, sed a creante, anima quae simul est rationalis, sensibilis et vegetabilis » (2).

Confirmatur ex ipsa natura et evolutione progressiva organismi qui a simplici et unica cellula incipit in quo statu imperfecto perfectissimae formae ut est

(1) *De pot.*, qu. III, a. IX, ad. IX.
(2) Ibid.

anima praecipue rationalis capax non est, bene tamen potest esse ad ipsam praeparatio. Unde sicut organismus evolvitur progressive ad varios status perfectionis, ita est susceptivus variarum formarum successive in diverso gradu et perfectione ita ut ultima sit perfectissima idest rationalis anima.

3.° In productione rerum Deus nonnisi miraculose operando impedit efficaciam et causalitatem causae secundae. Atqui efficacia et causalitas hominis generantis se extendit ad disponendam materiam per animam vegetativam et sensitivam. Ergo dicendum est quod revera homo generans hominem disponat materiam causando animam vegetativam et animam sensitivam. *Prob. minor* ex eo quod cum homo sit nobilissimum inter omnia animantia, non potest esse minoris efficaciae ejus virtus dispositiva materiae in generatione, quam virtus bruti animantis.

Confirmatur: In generatione hominis et aliorum animalium eadem phaenomena apparent: ergo sine ratione adseritur non produci eumdem effectum; ergo in generatione hominis producitur anima sensitiva, sicut in generatione bruti animantis: hoc tamen discrimine, quod anima sensitiva a bruto animante causata est ultima forma, neque proinde ad altiorem effectum ordinatur, e contra anima *sensitiva,* quae producitur ab homine, est veluti via ad ulteriorem effectum, idest ad disponendam materiam ut sit susceptiva animae rationalis: unde prima est mera dispositio respectu secundae.

754. **Solvuntur difficultates.** — *Obj.* 1.ª Quidam testantur se vidisse foetum vita esse praeditum fere statim ac conceptus est. Ergo anima humana statim infunditur a Deo corpori.

Resp. nego conseq. Ut haberetur jus concludendi sicut concluditur, oporteret quod probaretur foetum

esse non solum praeditum vita, sed praeditum vita intellectiva. Hoc autem a nullo probatum est.

Obj. 2.ª Si in foetu produceretur prius anima vegetativa, postea anima sensitiva, tertio anima intellectiva, sequeretur quod tres animae essent in homine. Sed hoc absurdum est. Ergo nonnisi anima intellectiva in corpore producitur.

Resp. nego maj. nam cum forma inferior, e. g. anima vegetativa respectu sensitivae, et anima sensitiva respectu intellectivae, sit simplex dispositio et via, et non sit consequenter per se intenta a generante, sed propter perfectiorem formam inducendam, per formam seu per animam perfectiorem supervenientem excluditur, a qua postea praestatur quidquid praestabatur ab anima inferiori (cf. n. 389).

Instabis: In hac sententia S. Thomae sequitur quod homo habetur per diversas generationes et corruptiones. Atqui absurdum est ponere plures generationes et corruptiones in productione unius entis. Ergo sententia haec non est admittenda.

Resp. dist. maj. plures generationes quarum terminus sit per se intentus, *nego;* quarum terminus non sit per se intentus, sed sit intentus veluti via et dispositio ad terminum ultimae generationis *conc.* Et, *contrad. minori, nego conseq.* « Cum generatio unius, ait S. Thomas, semper sit corruptio alterius, necesse est dicere quod tam in homine quam in animalibus aliis, quando perfectior forma advenit, fit corruptio prioris; ita tamen quod sequens forma habet quidquid habebat prima et adhuc amplius. Et sic per multas generationes et corruptiones pervenitur ad ultimam formam substantialem, tam in homine quam in aliis animalibus.... Sic igitur dicendum est quod anima intellectiva creatur a Deo in fine generatio-

nis humanae, quae simul est sensitiva et nutritiva, corruptis formis praeexistentibus » (1).

Urgebis: Si anima intellectiva continet quidquid perfectionis est in aliis, sequitur quod ipsa sola potest praestare quidquid aliae formae inferiores praestant, et ideo potest informare foetum ab initio per seipsam.

Resp. 1.° quod non solum ex animae humanae indigentia deducitur in foetu praecedere existentiam formarum inferiorum, sed etiam ex natura actionis generativae et ex ejus efficacia.

Resp. 2.° quod propter animae perfectionem contingit quod non possit naturaliter anima statim infundi corpori ut ipsum informet: natura enim in productione rerum procedit ex imperfecto ad perfectum, ex dispositione ad formam, sicut forma ignis non potest statim induci in lignum nisi lignum prius disponatur per calorem, quamvis forma ignis, postquam inducta est, praestet calorem secundum eum gradum, imo et secundum gradum superiorem in subjecto in quo inducta est, et calx non potest convenienter connectere duos lapides simul nisi sit humida et lapides aqua prius perfundantur et sic disponantur; quamvis lapides arefactos calx per propriam virtutem sine aqua simul nexos teneat.

Dices: Haec doctrina videtur favere transformismo in quo adseritur ex specie inferiori haberi superiorem.

Resp.: Nego *adsertum*, nam ex hoc ipso quod dicitur formas inferiores praerequiri ut simplices dispositiones ad formam superiorem habendam, et, adveniente superiori, excludi inferiorem, potius excluditur transformismus, in quo ponitur illam ipsam animam

(1) P. I, qu. CXXVIII, a. II.

vegetativam fieri sensitivam, imo ipsam sensitivam fieri intellectivam; quod nullo modo dicitur in nostra sententia.

755. **Epilogus eorum quae in Anthropologia explanata sunt.** — Anthropologiae objectum est homo qui ex anima rationali et corpore organico constat, et definitur animal rationale. Anima vero rationalis simplicitate, substantialitate, spiritualitate et immortalitate praedita est, ut ex ejus operationibus demonstratur, quippe in suo operari atque proinde in suo esse est a corpore subjective independens. Est tamen forma et quidem substantialis unica corporis humani quod est essentialiter humanum ab ipsa anima humana ei communicante esse proprium licet non sub ratione intellectualitatis formaliter; unde unio animae et corporis in homine est essentialis et personalis; ex qua unione unice animae et corporis humani influxus explicari debet. Multiplicatur autem anima rationalis juxta corporum humanorum seu hominum multiplicationem; unde singulis corporibus humanis propria anima rationalis competit quae est essentialiter seu formaliter intellectiva, et virtualiter vegetativa et sensitiva, non enim tria principia vitalia sunt in homine, secus tria individua essent in eo distinguenda et tres formae substantiales ponendae. Unde anima rationalis totum corpus et quamlibet partem ipsius informat per semetipsam atque proinde cum sit simplex ipsa est essentia sua tota in toto corpore et tota in qualibet ejus parte, licet non in qualibet parte sit per omnes suas potentias; nam a suis potentiis ipsa distinguitur omnino sicut substantia quaelibet a suis proprietatibus operativis. Unde licet anima sit una tamen ejus potentiae multiplicantur; ideo in ea distinguitur potentia vegetativa, sensitiva, intellectiva,

in quibus singulis aliae distinctiones etiam considerantur. Anima omnium suarum potentiarum est principium, sed solum intellectivarum est subjectum, aliae enim potentiae in organismo animato resident atque subjectantur. Facultates sensitivae sunt ipsi sensus externi idest *visus, auditus, gustus, olfactus*, et *tactus*; et sensus interni idest *sensus communis, phantasia, aestimativa,* et *memorativa.* Omnes autem alii sensus qui quasi nova inventa a recentioribus inducuntur ad hos revocari possunt et debent. Actus facultatis sensitivae cognoscitivae sensatio dicitur in qua non solum adspectus subjectivus sed vel maxime objectivus spectandus est; ipsa enim ad objecta exteriora refert subjectum sentiens. Unde in eo praeter cognitionem habetur etiam inclinatio ad hujusmodi objecta idest ad sensibilia, quae inclinatio dicitur appetitus sensitivus, qui proinde in quolibet animali existit. Ad appetitum autem sequuntur passiones quae attenduntur ratione boni vel mali, omnes tamen passiones ex una originem habent quae est amor. Praeter facultates sensitivas et appetitivas etiam facultas motiva secundum locum omnino ab eis distincta admittenda est, quia sensus et appetitus ad motum animalis non sufficiunt. Hujusmodi autem omnes facultates quoad earum radicem in cerebro localizari compertum est nisi fortasse appetitus sensitivus localizetur in corde ut quidam putant. — At exercitium harum facultatum praecipue sensitivarum non semper habetur in statu normali, imo neque ipsum exercitium rationis, cum ratio ab exercitio sensationis dependeat. Exercitium enim normale et rectum sensationis statum vigiliae exigit; nam in statu somni ligatur sensus, qui ideo non potest sicut oportet in actum suum prodire, hinc allucinationes et deceptiones in judicando de objectis

contingunt. Sed somnus duplex distinguitur naturalis et artificialis vel, uti ajunt, provocatus. Somnus artificialis hypnotismus dicitur in quo varia et mira phaenomena contingunt. Hypnotismus definitur: Somnus vel status somno similis ut plurimum arte inductus in quo patiens impellitur et dirigitur ad agendum per suggestionem oralem. Tres status autem in eo distinguuntur idest status *lethargicus*, *cataleptticus, somnambolicus;* in quorum primo statu *insensibilitas* praecipuum locum tenet, secundus status membrorum levitatem et flexibilitatem veluti propriam notam characteristicam habet; tertius status vero magnis suggestionibus subjicitur. Phaenomena autem hypnotismi generaliter in causis naturalibus explicationes sufficientes inveniunt; at praxis hypnotismi generaliter dissuadenda est ob pericula non levia quae occurrunt. — Praeter facultates sensitivas in homine considerandae sunt facultates intellectivae quae conveniunt homini inquantum a brutis distinguitur, unde designant id quod est in eo nobilissimum. Sunt autem duae, intellectus et voluntas. Et licet facultas cognoscitiva intellectiva hominis multis nominibus designetur, tamen nonnisi una facultas intellectiva cognoscitiva est in homine ponenda quae est *intellectus ipse*, varie denominatus ob plura munera quae exercet. Unde dicitur *mens, intelligentia, memoria, ratio, intellectus speculativus, practicus* etc. Haec facultas omnino a sensu distinguitur, quippe spiritualis est et objecta ordinis superioris respicit. Unde objectum proprium intellectus est universale abstractum ad quod pertingere sensus nullo modo valet; imo objectum adaequatum intellectus est ens seu verum transcendentaliter sumptum, licet objectum ejus directum et proportionatum ultra essentias rerum sensibilium non se porrigat. — Ipse objectum suum

supponit non quidem abstractum, sed in ipsis objectis sensibilibus existens, licet ipsum attingat per abstractionem, unde attingit objectum abstractum, abstrahendo ipsum sua virtute non realiter secernendo ipsum a singularibus, sed ipsum abstracte considerando; intellectus enim potest in una et eadem re considerare unam notam, vel proprietatem, vel rationem, alteram non considerando. Ad hoc autem requiritur in anima virtus specialis quae dicitur virtus abstractiva, vel intellectus agens. Ad intellectum sequitur voluntas hoc est appetitus intellectivus, sicut ad sensum sequitur appetitus sensitivus. Sicut autem objectum intellectus est verum, ita objectum voluntatis est bonum ab intellectu apprehensum, consequenter omne bonum seu bonum transcendentale. Sunt autem quaedam bona in quae voluntas ex necessitate fertur, puta in finem, et sunt quaedam in quae non fertur ex necessitate, idest in media quae non sunt necessaria ad finem. Unde habetur voluntas ut natura et voluntas ut voluntas. Hinc voluntas habet dominium sui actus, idest volendi aut respuendi vel nolendi aliquod objectum fini consequendo non necessarium. Ex hoc autem infertur existentia liberi arbitrii in homine. Voluntas vero ab intellectu dependet in sua specificatione, nisi enim intellectum in actu supponat a quo moveatur nihil voluntas velle potest; licet tamen in ejus potestate sit applicare intellectum ad hoc vel illud objectum considerandum, qui proinde in suo exercitio a voluntate aliquo modo pendet. Voluntas et intellectus seu ratio etiam appetitui sensitivo aliquo modo dominantur. — Actio intellectus quae est cognitio considerari potest et de facto consideratur tripliciter idest in se, quoad objectum et quoad medium seu quoad ideas quae sunt medium cogni-

tionis. In cognitione tres actus considerantur idest simplex intuitus, cogitatio et discretio. In ipsa autem cognitione est consideranda relatio praesentialitatis inter subjectum cognoscens et objectum cognitum, quae relatio ipsi cognitioni essentialis est. Haec tamen praesentialitas non est identitas neque est praesentialitas communis quae ordinarie consideratur in rebus, sed est praesentialitas sui generis et dici potest praesentialitas objectiva. — Circa objectum cognitionis intellectivae niprimis ipsa anima consideranda est, quippe anima semper actu aliqualiter cognoscitur et ideo veluti basis et fundamentum nostrae cognitionis intellectualis esse videtur objective considerata. Primum tamen objectum quod a mente nostra apprehenditur est ens et quidem actu existens, imo est ipsa anima sub ratione entis considerata. Idest prima nostra cognitio intellectualis imperfectissima ad animam terminatur quatenus apprehenditur indeterminate sub ratione entis. Inde pedetentim ad alia cognoscenda anima seu intellectus procedit et primo quidem ad aliqualiter percipiendas actiones et passiones quas recipit mediantibus sensibus ab objectis externis et simul aliquas ipsas qualitates objectorum exteriorum materialium ; inde ipsas affectiones seu actiones suas et quidem ut suas ; proinde percipit se licet rude, obscure ut est actionum illarum principium, et tandem ejus cognitio progressive explicatur et extenditur ad alia ; habita enim cognitione entis, substantiae, operationum etc. facilis est gressus ad componendas ideas et notiones usque ad rationem genericam et specificam rerum repraesentandam. Res enim per proprias operationes cognoscuntur. — Quoad objecta supersensibilia praecipue consideratur Deus qui falso ab ontologistis ponitur primum objectum nostrae cogni-

tionis, sicut falso asseritur a traditionalistis non posse cognosci per naturalem rationem. — De existentia specierum intelligibilium dubitari non licet utpote media necessaria nostrae cognitioni. Sunt autem quaedam determinationes intellectus ad intelligendum Ex ipsis habetur verbum ad quod efformandum tamen non requiritur cognitio reflexa licet requiratur cognitio perfecta quae saltem judicium implicitum includat, non enim sufficit simplex intuitus respiciens objectum indeterminate. Verbum a specie intelligibili et ab intelligere distinguitur. Quoad originem idearum excludendus est sensismus, ontologismus, subjectivismus etc.; unde ideae nonnisi vi abstractionis intellectus agentis haberi possunt. Habitis tamen primis speciebus aliae de facili efformantur per compositionem ab ipso intellectu possibili in virtute intellectus agentis.

Quoad hominis originem omnino absurdum est eam repetere a materia improducta et etiam aeterna, ut evolutionistae et materialistae putant; materia enim improducta intrinsece repugnat; sicut etiam absurdum est alias species ex materia improducta derivare; et licet species (homine excepto) ex viribus materiae sub influxu virtutis divinae specialiter agentibus esse possint absolute loquendo, tamen de facto species ex materia vel omnes species superiores ex inferioribus esse repetendas, admitti nequit. Unde saltem quasdam species puta principaliores per interventum specialem divinae virtutis esse efformatas adserendum est. Quod quidem vel maxime de homine recte concluditur, cum homo nobilissima species sit. Anima enim ipsius spiritualis est omnino a materia independens et nonnisi per creationem, hoc est per virtutem Dei creatricem produci

potest. Creatur autem a Deo in tempore non quidem a corpore separata sed in ipso corpore seu in materia per virtutem generativam parentum praeparata et rite disposita ad ipsam animam suscipiendam.

INDEX

Cosmologia

Caput I.

Natura atque divisio Metaphysicae specialis et Cosmologiae traditur.

1. Ratio capitis — 2. Notanda generalis et essentialis differentia inter Metaphysicam et experimentales scientias — 3. Metaphysica generalis et Metaphysica specialis — 4. Multiplex objectum Metaphysicae specialis — 5. Metaphysicae specialis divisio — 6. Cosmologiae etymologia et significatio — 7. Cosmologiae objectum et divisio . . . . . Pag. 1

Caput II.

De essentialibus characteribus substantiae corporeae seu mundi.

8. Ratio capitis — 9. Existentia mundi corporei — 10. Recensentur characteres essentiales substantiae corporeae — 11. *Conclusio I.* Quodlibet corpus sive quaelibet massa materiae corporeae est quid finitum tum 1.° quoad essentiam, tum 2.° quoad extensionem — 12. *Conclusio II.* Corpori seu materiae corporeae convenit essentialis dependentia et subjectio — 13. *Conclusio III.* Substantiae corporeae essentialiter convenit contingentia . . . . . Pag. 6

Caput III.

De ratione existentiae mundi.

14. Ratio capitis — 15. Quaestio — 16. Sententiae — 17. *Conclusio I.* Mundus non est a seipso — 18. *Conclusio II.* Materia non potest esse improducta — 19. *Conclusio III.* Mundus non est a seipso quoad vires materiae, hoc est vires materiae nequeunt esse improductae — 20. Objectio de aequivalentia solvitur — 21. Argumenta confirmativa trium praecedentium conclusionum — 22. *Conclusio IV.* Ponere materiam uti unicam substantiam ; insuper ponere ipsam non divisam vel saltem non divisibilem in plures substantias est omnino contra rationem . . Pag. 11

Caput IV.

De distinctione mundi a Deo.

23. Pantheismus — 24. Pantheismus spinozisticus — 25. Pantheismus idealisticus — 26. Pantheismus psychologicus — 27. *Conclusio I.* Pantheismus sub quacumque forma consideretur est omnino absurdus — 28. Objectio — 29. Animadversiones circa singulas pantheismi formas — 30. *Conclusio II.* Mundus est a Deo omnino distinctus imo et diversus — 31. Solvuntur difficultates . . . . . Pag. 22

Caput V.

De mundi origine.

32. Ratio capitis — 33. Quaestio — 34. *Conclusio I.* Omnino absurdum est adserere mundum habuisse originem ex fortuito atomorum concursu —

35. *Conclusio II.* Absurdum omnino est adserere mundum ortum esse per emanationem a divina substantia — 36. Objectio . . . . . Pag. 37

CAPUT VI.

Mundi origo determinatur.

37. Notio, possibilitas et factum creationis — 38. Quaestiones — 39. *Conclusio I.* Creatio non repugnat, sed est possibilis — 40. *Conclusio II.* Mundus habuit esse per creationem — 41. Solvuntur difficultates — 42. Quaestiones quae a philosophis moventur circa subjectum potentiae creativae — 43. Sententiae — 44. *Conclusio I.* Solus Deus potest creare ut causa principalis — 45. *Conclusio II.* Nulla creatura potest esse instrumentum in opere creationis — 46. Ultimus finis creationis — 47. *Conclusio.* Ultimus finis creationis est ipse Deus — 48. Corollaria. . Pag. 43

CAPUT VII.

De divina libertate in opere creationis mundi.

49. Quaestio praeambula — 50. Multiplex consideratio creationis — 51. Punctum quaestionis — 52. *Conclusio I.* Actio creativa Dei est essentialiter libera — 53. *Conclusio II.* Deus ita libere hunc mundum condidit ut perfectiorem potuisset etiam condere — 54. Mundus praesens perfectus est — 55. Difficultates contra I^{a} concl. . . . . Pag. 49

CAPUT VIII.

De temporanea mundi creatione.

56. Quaestio prima — 57. *Conclusio I.* Mundum semper fuisse, seu esse creatum ab aeterno, demonstrari non potest — 58. *Conclusio II.* Mundus non

semper fuit, et ideo non fuit creatus ab aeterno — 59. Quaestio altera — 60. Major determinatio quaestionis — 61. *Conclusio I.* Si mundus consideretur prout importat entia, quae sibi invicem succedunt per generationem praecipue quoad hominem, repugnat ipsum esse ab aeterno, vel semper fuisse — 62. *Conclusio II.* Si mundus consideretur prout importat successionem, motum et tempus, non potuit esse ab aeterno — 63. *Conclusio III.* Non videtur repugnare aliquam creaturam posse esse ab aeterno — 64. Solvuntur difficultates contra concl. 2.am 1.ae quaest. Pag. 59

Caput IX.

De mundi formatione et aetate.

65. Ratio capitis — 66. Modus formationis mundi exponitur — 67. Terrae nostrae formatio seu Geogonia — 68. Terrae origo, cortex, continentes — 69. Diversae aetates in formatione corticis terrae — 70. Aetas primaria sive palaeozoica — 71. Aetas secundaria sive mesozoica — 72. Aetas tertiaria — 73. Aetas quaternaria — 74. Anni requisiti juxta geologos ad corticis terrae formationem — 75. *Conclusio.* Supputationes adlatae sunt omnes valde incertae et problematicae . . . . . Pag. 71

Caput X.

De hominis antiquitate.

76. Hominis seu generis humani aetas juxta ejus vestigia — 77. Historiae originis hominis existentia — 78. Antiquitas seu aetas generis humani ex biblia . . . . . Pag. 78

CAPUT XI.

De mundi duratione.

79. Mundus in esse semper perseverabit — 80. Mundi mutatio — 81. Modus quo immutatio mundi adveniet — 82. Mundi innovatio . . Pag. 83

CAPUT XII.

De corpore in ordine ad locum.

83. Ratio capitis — 84. Naturae corporeae naturaliter esse in loco convenit — 85. Quaestiones circa rem extensam in ordine ad locum — 86. *Conclusio I.* Non repugnat substantiam corpoream in nullo loco esse — 87. *Conclusio II.* Absolute loquendo non repugnat duo corpora esse simul in eodem loco — 88. *Conclusio III.* 1.° Non repugnat absolute idem corpus esse simul in pluribus locis per praesentiam propriae substantiae, 2.° repugnare tamen videtur posse esse in pluribus locis simul, ita ut per commensurationem quantitatis occupet plura loca, seu, ut dicunt, circumscriptive . . . . . Pag. 86

CAPUT XIII.

De motu corporum.

89. Multiplex acceptio motus — 90. Conditiones requisitae ad motum localem — 91. Corollaria — 92. *Conclusio.* Motus secundum suam rationem totalem, idest, ut est progressio successiva mobilis ab uno ad

alium locum, non est aliquid reale in mobili a mobili realiter distinctum — 93. Corollarium — 94. Quaestiones — 95. *Conclusio I.* Motus resolvitur in aliquid physice indivisibile extensum — 96. *Conclusio II.* Vis motrix substantiae corporeae non est essentialis ipsi substantiae corporeae quatenus corporeae, sed a principio a substantia corporea distincto derivatur. Pag. 91

Caput XIV.

De viribus seu energiis materiae corporeae.

97. Quaestio prima — 98. *Conclusio.* Praeter motum localem est admittenda vis quaedam in quolibet corpore a motu distincta — 99. Forma substantialis et facultates seu vires ipsam consequentes — 100. Vires, facultates et potentiae in ordine ad actum — 101. Vires vitales mechanicae, physicae et chymicae — 102. Effectus proprii virium mechanicarum, physicarum, chymicarum — 103. Attractio — 104. Attractio respectu diversorum corporum considerata — 105. Observationes. . . . . Pag. 95

Caput XV.

De relatione existente inter vires et motum, atque de inertia corporum.

106. *Conclusio.* 1.° Vires mechanicae nonnisi motum causant; 2.° vires physicae specie differunt — 107. Ratio quare motus exercitium energiarum seu virium corporearum comitatur — 108. Quaestio — 109. *Conclusio I.* Motus non potest habere rationem principii a quo phaenomena mundi originem ducant — 110. *Conclusio II.* 1.° Adserere motum transire

de mobili in mobile seu de corpore in corpus est omnino absurdum ; 2.° et similiter absurdum est adserere motum in motum ad explicandas varias energias ; 3.° aut modos ejusdem motus in alios modos commutari — 111. Quaestio altera — 112. *Conclusio.* Inertia consistit in absoluta indifferentia corporis ad actionem agentis recipiendam sine potentia vel effectum receptum modificandi vel modificandi motum receptum ad hunc vel alium locum, ad hanc vel illam partem spatii — 113. Corollaria . . Pag. 101

Caput XVI.

De corporum distinctione et finalitate.

114. Ratio capitis — 115. Proprietates fundamentales corporum recensentur — 116. Recensentur aliae proprietates corporum quae ad tres praedictas revocari possunt — 117. Impenetrabilitas — 118. Definitio et divisio corporis — 119. Corporum convenientia et distinctio — 120. Sententiae variae circa rerum seu corporum finalitatem — 121. Triplex finalitas juxta finalistas distinguitur — 122. Corporum finalitas est omnino admittenda — 123. Corporum finalitas est a principio intrinseco — 124. Corporum finalitas seu finis a principio extrinseco — 125. Finalitas extrinseca transcendens in rebus corporeis — 126. Haec triplex finalitas compendiose et sapientissime expressa et probata a S. Thoma — 127. Finis corpori extrinsecus et finis intrinsecus — 128. Finis intrinsecus seu immanens in corporibus inorganicis aliquomodo et vere salvatur — 129. Triplex finalitatis ordo . . . . . Pag. 107

Caput XVII.

Sequitur de finalitate corporum in confirmationem eorum quae statuta sunt.

130. Haec corporum seu rerum finalitas ex ipsis scientiis naturalibus confirmatur — 131. *Conclusio I.* Finalitas sive ordo praemeditatus habetur ex astronomia — 132. *Conclusio II.* Ex geologia idem ordo praemeditatus atque finalitas resultat — 133. *Conclusio III.* Finalitas non solum intrinseca sed etiam extrinseca in mineralibus evidenter apparet — 134. *Conclusio IV.* Ex mutua coordinatione plantarum et animalium scientia experimentalis biologica finalitatem invicte testatur — 135. *Conclusio V.* Ex ipsa proportione erbivorum et carnivorum apparet finalitas manifeste — 136. *Conclusio VI.* Finalitas resultat evidentissime ex ipso animalium organismo et instinctu — 137. Solvuntur difficultates . . . . . Pag. 116

Caput XVIII.

De mundi legibus.

138. Finis proprius et finis communis rerum — 139. Dispositio rerum inter se se — 140. Triplex ordo — 141. Quid est lex — 142. Corollarium — 143. Lex ab intrinseco et lex ab extrinseco — 144. Aliud est lex, aliud est explicatio legis — 145. Quaestiones — 146. *Conclusio I.* In natura leges existunt — 147. *Conclusio II.* Lex quae est ab extrinseco est omnino contingens — 148. *Conclusio III.* Omnes leges naturae simpliciter loquendo sive ab intrinseco sive ab extrinseco sunt contingentes — 149. *Conclu-*

sio IV. Leges naturales ab intrinseco provenientes in re aliqua sunt necessariae ex suppositione, si considerentur in se — 150. *Conclusio V.* Si lex consideretur in actuali sua explicatione, est omnino contingens . . . . . Pag. 131

Caput XIX.

De miraculis.

151. Quaestio — 152. Punctum quaestionis determinatur — 153. *Conclusio.* Deus potest agere praeter, contra, et supra leges alicujus et etiam totius naturae creatae aut etiam creabilis — 154. Corollaria — 155. Divisio miraculorum — 156. Quaestiones circa miracula — 157. Quid sentiant rationalistae de miraculis — 158. *Conclusio I.* Miracula a solo Deo sicut a causa principali fieri possunt — 159. *Conclusio II.* Certissime constare potest aliquod miraculum esse patratum — 160. *Conclusio III.* 1.° Criterium quo discernuntur miracula primi ordinis est ipsum opus quod fit quoad substantiam facti ; 2.° criterium quo discernuntur miracula secundi ordinis, est ipsum subjectum, in quo fit opus miraculosum. 3.° Criterium, quo discernuntur miracula tertii ordinis, est ipse modus quo fit opus miraculosum — 161. Corollarium — 162. *Conclusio IV.* Miraculum est testimonium certissimum et irrefragabile veritatis in cujus confirmationem fit — 163. Solvuntur difficultates contra possibilitatem miraculi . . . . . Pag. 135

Caput. XX.

De corporum natura.

164. Ratio capitis — 165. Corpus et materia — 166. Duplex corporis acceptio atque definitio — 167. Massa et volumen — 168. *Conclusio.* Natura seu es-

sentia corporea non est substantialiter una et eadem in omnibus corporibus, sed specie diversa in diversis — 169. Criterium distinctionis specificae corporum sunt proprietates — 170. Resolutio chymica corporum in atomos et moleculas . . . Pag. 143

Caput XXI.

De primis principiis corporum in generali.

171. Quid in praesenti intelligitur nomine principii — 172. Quaestio — 173. Punctum quaestionis — 174. Corollaria — 175. Varia systemata ad principia corporum stabilienda . . . . Pag. 150

Caput XXII.

De Atomismo.

176. Quid docuerint primi philosophi circa principia constitutiva corporum — 177. Atomismus apud antiquos — 178. Inter Atomismi renovatores praecipuus Cartesius — 179. Atomismus apud recentiores — 180. Atomismus mechanicus et Atomismus dinamicus — 181. *Conclusio I.* Atomismus sive mechanicus sive dynamicus non explicat, sed quaestionem propositam praetermittit 182. *Conclusio II.* Atomismus sive mechanicus sive dynamicus absurditatibus multis scatet — 183. Corollarium — 184. Radices erroris Atomistici systematici indigitantur et Atomismus ad ultimas ruinosas prorsus illationes deducitur — 185. Solvuntur difficultates. . . . Pag. 152

Caput XXIII.

De Dynamismo.

186. Dynamismus seu systema entium simplicium — 187. *Conclusio I.* Systema entium simplicium sive sub primo aspectu, sicut a Boschovichio exponitur, sive sub secundo aspectu, prout Teleologismus nuncupatur, consideretur, naturam corporis non explicat, sed destruit — 188. *Conclusio II.* In systemate entium simplicium neque unitas sive specifica sive numerica corporum, neque distinctio specifica ab aliis corporibus explicatur — 189. Atomismus dynamicus . . . . . Pag. 161

Caput XXIV.

De Hylemorphismo seu de systemate scholastico.

190. Hylemorphismus seu systema scholasticum — 191. Ex corporis definitione constitutivum ejus est stabiliendum — 192. Distinctio specifica in corporibus non desumitur ab extensione neque a potentia patiendi — 193. Differentia specifica et diversitas corporum non potest desumi nisi a potentia agendi, idest ab activitate — 194. Distinctio specifica corporum non solum secundum accidentia, sed primo et per se secundum substantiam desumitur — 195. Ontologice loquendo duo principia constitutiva corporum ponenda sunt, quorum unum sit quid potentiale, commune et indeterminatum, aliud vero actuale et determinatum seu determinativum — 196. *Conclusio I.* Non solum ontologice, sed etiam physice tamquam realiter di

stincta ponenda sunt in quolibet corpore secundum suam speciem considerato duo principia, quorum unum sit commune, indeterminatum et ideo determinabile et potentiale, aliud vero sit proprium, determinativum et actuale — 197. *Conclusio II.* Materia prima et forma substantialis sunt prima principia constitutiva corporum — 198. Corollaria — 199. Definitio materiae primae et formae substantialis traditur — 200. Materia prima habet esse a forma substantiali — 201. Corollaria — 202. Eductio formarum de potentia materiae — 203. Principium essendi et operandi est forma substantialis . . . Pag. 166

Caput XXV.

De composito ex materia et forma.

204. Corporis definitio — 205. Distinctio corporis a materia et forma — 206. *Conclusio I.* Quamvis et materia et forma sint ambae essentiales composito idest corpori, tamen forma est magis essentialis quam materia — 207. *Conclusio II.* In composito seu in corpore eaedem proprietates accidentales manent remanente forma licet materia mutetur; non remanente forma in composito, omnia accidentia destruuntur et nova subintrant ad subintrationem novae formae — 208. Corollarium . . . . . Pag. 177

Caput XXVI.

De principio individuationis.

209. Eadem materia potest esse successive in corporibus diversis secundum speciem, non tamen eadem forma — 210. Quaestio — 211. Sententiae — 212. *Conclusio.* Materia quatenus per formam determina-

tur et constituitur ratio et radix quantitatis determinatae hujus individui est principium individuationis — 213. Requisita ad principium individuationis — 214. Objectio — 215. Individuatio substantiarum spiritualium in quibus non est materia, neque quantitas — 216. Objectio . . . . . Pag. 180

Caput XXVII.

De substantia corporea omnis vitalitatis experte.

217. Ratio capitis — 218. Esse inorganicum, esse vegetale, esse sensitivum — 219. Divisio corporis inorganici — 220. Quid est generatio — 221. Substantia corporea simplex seu elementaris, et composita seu mixta — 222. Numerus elementorum et conditiones requisitae ad rationem elementi proprie dicti — 223. Recensentur conditiones requisitae ad corpus mixtum habendum — 224. Leges servandae in unione elementorum ad mixtum habendum — 225. Quaestiones — 226. *Conclusio.* 1.° In corpore mixto nova forma substantialis omnino distincta, imo et diversa a formis substantialibus corporum elementarium habetur; 2.° formae substantiales corporum elementarium actu non sunt; 3.° neque sunt in pura potentia 4.° sed remanent virtute — 227. Corollarium — 228. Requisita ad generationem — 229. Multiplex terminus generationis . . . . . Pag. 185

Caput XXVIII.

De differentia viventium a non viventibus.

230. Ratio capitis — 231. Differentia prima et essentialis corporum viventium a non viventibus adsignatur — 232. Triplex activitas propria viventis — 233. Organismus in vivente — 234. Duplex organi-

smus in animali — 235. Partes ex quibus constat organismus animalis — 236. Praecipua pars seu praecipuum elementum organismi viventis — 337. Cellulae partes — 238. Phaenomena vitalia cellulae — 239. Efformatio telarum, organorum, apparatum organicorum — 240. Functiones vitae vegetativae — 241. Nutritio in cellula et in organismo — 242. Causa conservationis organismi et reproductionis individui in eadem specie — 243. Corollarium — 244. Variae differentiae inter corpora organica et inorganica ab ipsis antivitalistis assignatae — 245. Convenientia corporum viventium et non viventium. . . . Pag. 193

Caput XXIX.

De ipsa vita.

246. Notio vitae — 247. Corollaria — 248. Vita in actu primo et vita in actu secundo — 249. *Conclusio.* Immanentia actionis est de ratione vitae in actu secundo — 250. Triplex gradus vitae distinguitur — 251. Primus gradus vitae — 252. Secundus gradus vitae — 253. Tertius gradus vitae est vita intellectualis — 254. *Conclusio.* Infimus gradus vitae est vita vegetativa, medius est vita sensitiva, nobilissimus et perfectissimus est vita intellectiva seu spiritualis — 255. Corollarium. . . . Pag. 204

Caput XXX.

De mechanicismo et vitalismo.

256. Quaestio — 257. Mechanicismus et vitalismus — 258. *Conclusio I.* Vis vitalis est quid substantiale — 259. *Conclusio II.* Vis vitalis est forma substantialis corporis viventis — 260. *Conclusio III.* Vis

vitalis in vegetalibus puris non est in se et per se subsistens — 261. *Conclusio IV.* Vis vitalis non potest esse a materia sicut a principio activo — 262. *Conclusio V.* Vis vitalis non potest esse a viribus mechanicis, aut chymicis, neque potest esse vis alicujus machinae quamtumvis elaboratae ab ingenio humano — 263. Origo et finalitas viventis — 264. Obj. Pag. 209

CAPUT XXXI.

De simplicitate vis vitalis.

265. Simplicitas vis vitalis et divisibilitas — 266. *Conclusio I.* Nulla anima brutorum aut plantarum est divisibilis per se — 267. *Conclusio II.* Animae brutorum quorumdam aut plantarum per accidens dividi possunt, et ideo per accidens sunt divisibiles — 268. *Conclusio III.* Anima multorum animalium neque per se, neque per accidens dividi potest — 269. *Conclusio IV.* Vis vitalis cujuscumque viventis sive unicellarii, sive provenientis ex cellulis duabus tantum, maris scilicet et foeminae, si consideretur in se quoad suam rationem substantialitatis praecisa ab extensione cui ex hoc ipso quod est in toto conjungitur, est indivisibilis omnino . . . . . Pag. 222

CAPUT XXXII.

De animalibus.

270. Ratio capitis — 271. Distinctio vitae animalis et vitae vegetalis generice considerata — 272. Numerus animalium — 273. Diversae classificationes animalium — 274. Classificatio animalium ab Aristo-

tele tradita — 275. Classificatio animalium tradita a Linnaeo — 276. Classificatio animalium tradita a Lamarkio — 377. Classificatio a Cuvier tradita — 278. Classificatio filogenica tradita a C. Claus . Pag. 226

Caput XXXIII.

De primo principio vitae seu de anima animalium.

279. Quid senserint philosophi circa vitam animalium — 280. *Conclusio.* Bruta animantia vere sentiunt, et ideo vera anima sensitiva praedita sunt — 281. Quaestio altera — 282. *Conclusio.* Temperata harmonia organica corporis non potest considerari ut primum principium vitae sensitivae — 283. Corollaria — 284. Quaestio tertia — 285. *Conclusio.* Anima brutorum non est spiritualis — 286. Objectio. Pag. 231

Caput XXXIV.

De sensibus animalium.

287. Sensus externi animalium recensentur — 288. Sensus interni recensentur — 289. Aestimativa est in brutis animantibus — 290. Vis memorativa — 291. Sensus communis in animantibus — 292. Media organica quibus vita animalis exercetur — 293. Quid est systema nerveum — 294. Systematis nervei divisio — 295. Systematis cerebri spinalis partes praecipuae — 296. Natura, origo et divisio praecipua nervorum — 297. Organa sensuum — 298. Diversitas in organis sensuum — 299. Agens seu excitans et movens organum sensitivum — 300. Conditiones requisitae ad nervorum activitatem — 301. Fibrarum et nervorum proprietates — 302. Observatio — 303. Organa sensuum externorum in sua structura in or-

dine ad perceptionem considerata — 304. Corollarium 305. Radix sensuum externorum — 306. Doctrinae hujus, quae est S. Thomae, convenientia cum recentioribus adinventis . . . . . Pag. 237

Caput XXXV.

De principio proximo et subjecto sensationis.

307. Diversitas sensationis — 308. Sensatio passiva et sensatio activa — 309. Quaestio prima — 310. *Conclusio.* Sensatio non a sola anima procedit sed a composito, idest a natura ipsa animali: unde ipse organismus animatus est verum subjectum sensationis — 311. Quaestio secunda — 312. *Conclusio I.* Ad sensationem eliciendam in facultate sensitiva requiritur species sensibilis intentionalis — 313. *Conclusio II.* Species intentionalis sensibilis in facultate existens non potest esse nisi ab objecto, quod sentitur in facultate agente — 314. *Conclusio III.* Species sensibilis intentionalis immaterialis est et spiritualis — 315. Quaestio tertia — 316. Sententiae — 317. *Conclusio.* Sensatio vere perficitur in sensibus periphericis tum externis tum muscularibus — 318. Objectio — 319. Quaestio quarta — 320. *Conclusio.* Anima pure seu formaliter sensitiva non est per se subsistens, neque immortalis — 321. Corollaria — — 322. Sententia quorumdam recentiorum circa animae brutorum substantialitatem — 323. Critica et refutatio — 324. Epilogus eorum quae in Cosmologia explanata sunt . . . . . Pag. 248

Anthropologia seu tractatus de homine

Caput I.

Anthropologiae objectum et divisio.

325. Ratio hujus tractatus — 326. Anthropologiae objectum — 327. Anthropologiae divisio . Pag. 267

Caput II.

De hominis natura.

328. Ratio capitis — 329. Ea quae in homine apparent — 330. Hominis definitio — 331. Aliae hominis definitiones expenduntur — 332. Corollarium — 333. Natura et persona in homine. . Pag. 269

Caput III.

De animae humanae simplicitate et substantialitate.

334. Ratio capitis — 335. Quid doceant materialistae circa essentiam seu naturam animae rationalis — 336. *Conclusio I.* Anima rationalis non est corpus — 337. Corollaria — 338. *Conclusio II.* Anima rationalis est quid simplex et substantiale — 339. Corollarium . . . . . Pag. 272

Caput IV.

De spiritualitate animae humanae.

340. Quaestio prima — 341. Determinatio quaestionis — 342. *Conclusio.* Anima rationalis est spiritualis seu per se subsistens — 343. Solvuntur difficultates 344. Quaestio secunda — 345. Errores — 346. *Conclusio.* Intelligere seu cogitatio omnino materiae repugnat . . . . . Pag. 277

Caput V.

De immortalitate seu de incorruptibilitate animae humanae.

347. Immortale et incorruptibile — 348. Corruptibile per se, corruptibile per accidens et corruptibile per causam extrinsecam — 349. Immortale ab intrinseco et immortale ab extrinseco — 350. Quaestio definienda — 351. *Conclusio I.* Anima humana immortalis est — 352. *Conclusio II.* Anima intellectiva sive humana est immortalis ab intrinseco — 353. Solvuntur difficultates . . . . . Pag. 289

Caput VI.

De unione animae humanae ad corpus.

354. Ratio capitis — 355. Variae species unionis censentur — 356. Unio substantialis et accidentalis — 357. Unio in persona, unio personalis, unio essentialis — 358. Unio personalis et hypostatica — 359. *Cor-*

clusio. Unio animae humanae et corporis est personalis et essentialis — 360. Quaestio prima — 361. Sententiae philosophorum — 362. *Conclusio I.* Anima humana seu intellectiva non est homo — 363. *Conclusio II.* Anima humana est forma substantialis hominis — 364. *Conclusio III.* Anima humana est forma substantialis corporis humani — 365. Solvuntur difficultates — 366. Corollaria praecedentis doctrinae — 367. *Conclusio IV.* Anima humana est unica forma substantialis corporis humani — 368. Absurditas recentioris interpretationis doctrinae rosminianae — 369. Objectio — 370. *Conclusio V.* Quamvis anima humana sit forma substantialis corporis humani, tamen non communicat corpori formaliter proprium esse secundum gradum intellectivum — 371. Solvuntur difficultates — 372. Ratio quare anima corpori uniatur — 373. Corollaria — 374. Mutuus influxus inter animam et corpus . . . . . Pag. 299

Caput VII.

Quaedam absurdae explicationes influxus inter animam et corpus exponuntur et refutantur.

375. Recensentur varia systemata — 376. Occasionalismus — 377. Systema harmoniae praestabilitae — 378. Systema influxus physici — 379. Systema mediatoris plastici — 380. Systema perceptionis animae 381. Systema commixtionis virium animae . Pag. 317

Caput VIII.

De multiplicatione animarum intellectualium in hominibus et de unitate animae in quolibet individuo.

382. Quaestio prima — 383. *Conclusio.* Anima intellectiva non est una in cunctis hominibus — 384. Corollarium — 385. Quaestio secunda — 386. Sententiae — 387. *Conclusio.* In homine nonnisi unica anima esse potest — 388. Corollaria — 389. Explicatur modus quo anima dat esse multiplex corpori — 390. Objectio — 391. Comparantur animae rationales inter se ratione perfectionis — 392. *Conclusio.* Non omnes animae rationales perfectione individuali substantiali sunt aequales — 393. Corollarium — 394. Objectio . . . . . Pag. 322

Caput IX.

De sede animae rationalis.

395. Quaestio prima — 396. Sententiae — 397. Quid in sententia Platonica — 398. *Conclusio.* Anima est in toto corpore et in qualibet parte ipsius per essentiam suam — 399. Quaestio secunda — 400. Advertenda — 401. Punctum quaestionis — 402. *Conclusio I.* Anima humana est tota in qualibet parte corporis totalitate essentiae et perfectionis — 403. *Conclusio II.* Anima humana non est tota secundum totalitatem virtutis in qualibet parte corporis — 404. Diversimode anima se habet ad corpus et ad partes diversas ejus . . . . . Pag. 330

CAPUT X.

De facultatibus animae humanae in genere.

405. Ratio capitis — 406. Quaestio prima — 407. Sententiae — 408. *Conclusio.* Facultates animae realiter distinguuntur ab animae essentia — 409. Objectio — 410. Advertenda pro solutione aliarum difficultatum — 411. Quaestio secunda — 412. *Conclusio I.* Facultates seu potentiae operativae specificantur et distinguuntur per ordinem ad proprias operationes — 413. Corollaria — 414. Genera potentiarum animae — 415. Potentiae vegetativae — 416. Alia divisio potentiarum animae — 417. Quaestio prima — 418. *Conclusio I.* Anima est principium omnium potentiarum 419. *Conclusio II.* Anima humana 1.° est subjectum potentiarum intellectivarum ; 2.° non est subjectum potentiarum vegetativarum ; 3.° neque est subjectum potentiarum sensitivarum — 420. *Conclusio III.* Subjectum potentiae sensitivae est ipsum compositum seu organismus animatus . . . . . Pag. 335

CAPUT XI.

De facultatibus sensitivis cognoscitivis.

421. Ratio capitis — 422. Numerus facultatum sensitivarum cognoscitivarum in homine — 423. Distinctio sensuum internorum et externorum — 424. Unde sumitur ratio numeri sensuum externorum — 425. Unde sumitur ratio numeri quaternarii in sensibus internis 426. Corollarium — 427. Alii sensus juxta recentiores 428. Attentio facultatis requisita ad sensibilium perceptionem — 429. Intentio facultatis . . Pag. 344

Caput XII.

De sensu communi.

430. Quaestio prima — 431. *Conclusio.* Sensus communis est facultas specialis distincta tum a sensu musculari, tum ab aliis sensibus quae habent objectum proprium determinatum — 432. Objectio — 433. Natura sensus communis seu intimi determinatur — 434. Quaestio secunda circa sensus internos — 435. *Conclusio.* Sensus fundamentalis prout a recentioribus cum Rosminio exponitur est omnino rejiciendus ut aburdus — 436. Quaestio tertia — 437. *Conclusio.* Sensus internus, qui conscentia dicitur, simul cum affectionibus aliorum sensuum percipit concomitanter ipsum subjectum sentiens — 438. Corollaria . . Pag. 350

Caput XIII.

De imaginatione seu phantasia.

439. Natura, proprietates et officia imaginationis — 440. Quid est imago seu phantasma et quotuplex — 441. Effectus phantasmatis seu imaginis existentis in phantasia — 442. Associatio phantasmatum seu imaginum — 443. Ratio associationis imaginum seu phantasmatum — 444. Imaginationis compositio seu combinatio — 445. Associatio imaginum ad locutionem Pag. 358

CAPUT XIV.

De vi aestimativa.

446. Aestimativae natura et objectum — 447. Aestimativa in brutis et in homine — 448. Ordo quo objecta aestimativae aliis sensibus exhibentur — 449. Aestimativa utitur aliis sensibus — 450. Cognitio aestimativae vis intra determinatos limites progressive perficitur — 451. Sententiae absurdae quibus aestimativae cognitio a quibusdam explicatur, excluduntur . . . . . Pag. 362

CAPUT XV.

De memoria.

452. Memoriae sensitivae explicatio seu determinatio — 453. Convenientia memoriae sensitivae cum phantasia et differentia — 454. Constitutivum et objectum memoriae — 455. Memoriae diminutio et augmentum — 456. Memoriae facilitatio — 457. Reminiscentia . . . . . Pag. 365

CAPUT XVI.

De ipsa sensatione.

458. Ratio capitis — 459. Aspectus subjectivus sensationis — 460. Quaestiones — 461. *Conclusio I.* Impressio quae in sensatione importatur tanquam affectio sensuum praesupponit aliquid objectivum a quo sit

veluti a causa sensui extrinseca — 462. *Conclusio II.* Sensatio ut est perceptio vel cognitio ad aliquid objectivum terminatur — 463. Objectio — 464. Mensura sensationum — 465. Sensationes inconsciae Pag. 368

Caput XVII.

De appetitu sensitivo.

466. Appetitus in genere ejusque divisio — 467. Quid intelligatur nomine appetitus sensitivi — 468. *Conclusio.* In animali et signanter in homine existit facultas appetitiva — 469. Facultatis cognoscitivae et appetitivae differentia — 470. Appetitus respicit bonum vel malum — 471. Appetitus concupiscibilis et irascibilis — 472. Corollarium — 473. Omnes actus appetitus ab amore procedunt — 474. Passionis notio — 475. Passiones sunt in appetitu sensitivo — 476. Contrarietas passionum — 477. Corollaria — 478. Numerus passionum — 479. Passiones juxta philosophos recentiores — 480. Principaliores passiones recensentur . . . . . Pag. 374

Caput XVIII.

De passionibus in specie.

481. Ratio capitis — 482. Amor — 483. Amor, dilectio, charitas, amor amicitiae, amor concupiscentiae — 484. Recensentur causae amoris — 485. Effectus amoris — 486. Odium — 487. Objectum odii — 488. Odium amorem supponit et ex amore causatur — 489. Desiderium et fuga — 490. Gaudium seu delectatio — 491. Causae et effectus gaudii seu delectationis — 492. Tristitia — 493. Tristitia et dolor

non sunt omnino idem — 494. Spes — 495. Desperatio — 496. Timor — 497. Objectum timoris — 498. Audacia — 499. Audacia sequitur ad spem, desperatio ad timorem — 500. Ira — 501. Objectum irae — 502. Corollarium. . . . . Pag. 382

Caput XIX.

De facultate motiva secundum locum.

503. Ratio capitis — 504. Triplex motus in animali 505. Organa motus — 506. Contractilitas in fibris muscularibus — 507. Quaestiones — 508. Sententiae — 509. *Conclusio I.* In homine motus spontanei existunt — 510. *Conclusio II.* In homine sicut et in quolibet animali vis appetitiva distinguitur a vi motiva. — 511. Variae causae in motum influunt . Pag. 389

Caput XX.

De localizatione facultatum animae.

512. Localizatio facultatum animae generatim — 513. Munera praecipua tributa praecipuis partibus corticis cerebralis — 514. Centrum vocis articulatae — 515. Localizatio facultatis appetitivae et passionum . . . . . Pag. 394

Caput XXI.

De anormalitate sensationum.

516. Ratio capitis — 517. Somnus et ejus causae — 518. Somnia et eorum causae — 519. Effectus somniorum — 520. Somnambulismus — 521. Usus rationis tempore somni seu dormitionis — 522. Activitas sensuum exteriorum tempore somni ex animi praeoccupatione — 523. Voluntatis et rationis imperium circa organismi activitatem et effectus Pag. 399

Caput XXII.

De Hypnotismo.

524. Hypnotismi definitio — 525. Modus quo status hypnoticus inducitur — 526. Hypnotismi phases seu status triplex — 527. Status Lethargici characteres praecipui — 528. Status catalectici praecipui characteres — 529. Status somnambolici characteres — 530. Hypnotismi phaenomena — 531. Explicatio praedictorum phaenomenorum — 532. Explicatur modus quo quaedam relative mira in ordine cognitionis in illo statu contingunt — 533. Interventus doemonum in hypnotismo — 534. Pericula hypnotismi . Pag. 405

Caput XXIII.

De potentiis intellectivis.

535. Ratio capitis — 536. Unica potentia intellectiva cognoscitiva in anima existit — 537. Intellectus — 538. Intelligentia — 539. Memoria — 540. Ratio — 541. Intellectus speculativus, intellectus practicus

— 542. Conscientia — 543. Distinctio intellectus a sensu — 544. Triplex actus intellectus distinguendus — 545. Quaestio — 546. *Conclusio I.* Objectum proprium intellectus humani est universale abstractum — 547. Solvuntur difficultates — 548. *Conclusio II.* Objectum adaequatum seu extensivum intellectus humani est absolute loquendo, omne ens — 549. *Conclusio III.* Quamvis objectum extensivum intellectus humani sit omne ens, tamen objectum proportionatum ejus in praesenti statu conjunctionis ad corpus sunt essentiae rerum sensibilium — 550. *Conclusio IV.* Quamvis objectum proportionatum intellectus humani in praesenti statu sint essentiae rerum sensibilium, tamen essentiae rerum sensibilium non directe in earum specifica differentia vel etiam generica cognoscuntur, sed indirecte per earum proprietates accidentales et operationes — 551. *Conclusio V.* Objectum directum, immediatum, proportionatum intellectus animae a corpore separatae est objectum non sensibile sed spirituale et intelligibile — 552. *Conclusio VI.* Non tamen quodlibet objectum intelligibile est objectum intellectus animae separatae proportionatum — 553. Ipsa anima humana separata est objectum proportionatum intellectus in illo statu separationis — 554. *Conclusio VII.* Operationes et proprietates rerum sensibilium a nobis cognoscuntur mediantibus sensibus respectivis — 555. *Conclusio VIII.* Sensus ipsi a nobis cognoscuntur et distinguuntur per ordinem ad actiones et proprietates correspondentes illorum objectorum sensibilium — 556. Corollarium . . . . Pag. 413

Caput XXIV.

De passivitate intellectus.

557. Quaestio — 558. Doctrina Kantiana — 559. Formae Kantianae — 560. Divisio formarum — 561. Ideae Kantianae — 562. Conclusio doctrinae Kantia-

nae — 563. Consectaria hujus doctrinae — 564. *Conclusio.* Intellectus humanus est potentia essentialiter passiva — 565. Corollarium . . . . Pag. 430

CAPUT XXV.

De intellectu possibili et agente.

566. Intellectus possibilis, et intellectus agentis notio — 567. Quaestio — 568. Quomodo intellectus se habeat circa sensibilia cognoscenda — 569. *Conclusio I.* Intellectus cognoscit primo et directe universalia, idest essentias sensibilium universales, et nonnisi ratione universalium cognoscit objecta singularia et individua 570. *Conclusio II.* In anima intellectiva est admittenda aliqua vis, qua objecta sensibilia redduntur intelligibilia, et haec vis vocatur intellectus agens — 571. *Conclusio III.* Intellectus agens nihil est aliud quam intuitus quidam ad modum habitus ipsam animae essentiam comitans — 572. Differentia intellectus possibilis et intellectus agentis . . . Pag. 437

CAPUT XXVI.

De voluntate.

573. Ratio capitis — 574. Quid intelligitur nomine voluntatis — 575. Existentia voluntatis et distinctio ejus ab appetito sensitivo — 576. *Conclusio.* In homine 1.° existit appetitus intellectivus, qui 2.° omnino ab appetitu sensitivo distinguitur — 577. Objectum voluntatis — 578. Quaestio prima — 579. Necessitatis notio et origo — 580. Necessarium ex principio intrinseco duplex — 581. Necessarium ex principio extrinseco duplex — 582. *Conclusio 1.* Necessitas co-

actionis seu violentia omnino repugnat voluntati — 583. *Conclusio II.* Voluntas necessitate naturali vult ultimum finem, idest beatitudinem in communi — 584. *Conclusio III.* Voluntas potest velle aliquid necessario necessitate finis — 585. Voluntas ut natura et voluntas ut voluntas — 586. Quaestio — 587. Duplex consideratio actus quo voluntas vult media — 588. Punctum quaestionis — 589. *Conclusio.* Actus quo voluntas tendit in media idest in ea quae sunt ad finem, praecise sumptus a determinatione quam habet per judicium practicum intellectus, non distinguitur realiter ab actu quo tendit in finem — 590. Objectio — 591. Corollarium. . . . . Pag. 445

CAPUT XXVII.

De libertate arbitrii.

592. Quaestio prima — 593. Osores libertatis — 594. Notio libertatis — 595. Libertas in actu primo et in actu secundo — 596. *Conclusio.* Homo vere libertate arbitrii praeditus est — 597. Solvuntur difficultates — 598. Diversimode se habet voluntas ad diversa libertatis objecta . . . . Pag. 454

CAPUT XXVIII.

De indifferentia et necessitate in ordine ad libertatem.

599. Quid est indifferentia et ejus species — 600. Quaestio — 601. *Conclusio.* Ad rationem libertatis requiritur 1.° indifferentia seu immunitas a necessitate coactionis et libentiae, 2.° indifferentia activa, 3.° indifferentia objectiva, 4.° indifferentia subjectiva,

5.° sufficit tamen indifferentia contradictionis seu exercitii, 6° non requiritur indifferentia moralis, hoc est ad agendum bene vel male — 602. Quaestio tertia — 603. *Conclusio.* Necessitas suppositionis quae est ex parte voluntatis divinae efficaciter volentis actum voluntatis humanae non destruit libertatem humanam . . . . . Pag. 464

CAPUT XXIX.

De relatione et ordine inter voluntatem et intellectum et de subjecto et radice libertatis humanae.

604. Mutua dependentia existit inter voluntatem et intellectum — 605. Tamen dependentia voluntatis ab intellectu est major simpliciter loquendo quam intellectus a voluntate — 606. Motio quoad specificationem et motio quoad exercitium — 607. Quaestio prima — 608. *Conclusio.* 1.° Simpliciter loquendo intellectus est facultas nobilior ipsa voluntate ; 2.° at secundum quid voluntas est nobilior intellectu — 609. Quaestio altera — 610. *Conclusio I.* Actus libertatis principaliter ad voluntatem pertinet — 611. *Conclusio II.* Actus libertatis quamvis principaliter ad voluntatem pertineat, tamen aliquo modo pertinet etiam ad intellectum — 612. Analysis libertatis in actu secundo consideratae — 613. *Conclusio III.* Intellectus est proxima radix libertatis — 614. *Conclusio IV.* Fundamentum remotum libertatis est natura seu substantia spiritualis — 615. *Conclusio V.* Prima radix libertatis humanae est libertas divina ; et quidem libertas divina, ut est facultas, est radix et fundamentum libertatis humanae ut est facultas ; libertas divina, ut est actus liber voluntatis divinae, est fundamentum et radix libertatis humanae ut est actus liber — 616. Corollaria . . . . . Pag. 470

Caput XXX.

De appetitu sensitivo in ordine ad voluntatem.

617. Dependentia appetitus sensitivi a ratione et voluntate — 618. *Conclusio I.* Appetitus sensitivus dependet aliquo modo a ratione — 619. *Conclusio II.* Appetitus sensitivus dependet a voluntate et ei obedit aliquo modo — 620. Observatio . . . Pag. 479

Caput XXXI.

De cognitione intellectiva.

621. Ratio capitis — 622. Multiplex actus intellectus — 623. *Conclusio.* Ad intelligere prout importat simplicem intuitum intellectus in id quod est sibi praesens intelligibile non requiritur neque intentio intelligentis neque praesentia intelligibilis in ratione objecti, sed sufficit praesentia rei quocumque modo — 624. Objectio — 625. Praesentia objecti ad cognitionem requisita — 626. Natura relationis praesentialitatis inter subjectum cognoscens et objectum cognitum — 627. Praesentialitas rei intellectae ipsi intellectui non non est explicanda per identitatem — 628. Ratio praesentialitatis objecti, seu hujus relationis quae est specialis praesentialitas, est ab ipsa natura intellectus repetenda — 629. Haec ratio praesentialitatis rei respectu intellectus non potest esse tamen a solo intellectu — 630. Intellectus vel cognoscens per quamdam metaphoram et per similitudinem dici potest esse idem ac objectum cognitum — 631. Relatio praesentialitatis praedictae duplici modo concipi potest — 632. Id quod clarum et per se evidens est in cognitione et quid

obscurum et mediante ratiocinio deductum — 633. Absurdum est negare subjecti cognoscentis et objecti cogniti realem existentiam eorumque distinctionem realem ob aliquam vel etiam nimiam (relative loquor) obscuritatem quae forte invenitur in explicatione praedictae relationis . . . . . Pag. 481

Caput XXXII.

De cognitione animae.

634. Ratio capitis — 635. Multiplex cognitio — 636. *Conclusio I.* Anima cognitione habituali cognoscit se quoad existentiam prius quocumque alio objecto — 637. *Conclusio II.* Anima humana cognitione actuali indeterminata et imperfecta semper intelligit se — 638. *Conclusio III.* Anima humana antecedenter a quocumque habitu vi essentiae suae cognoscit et percipit se esse et quid in seipsa agatur — 639. Corollarium — 640. *Conclusio IV.* Cognitio seu notitia actualis qua anima seu intellectus percipit se esse praecedit notitiam seu cognitionem actualem quamcumque procedentem ex speciebus intelligibilibus receptis in intellectu possibili — 641. *Conclusio V.* Anima seu intellectus cognitione actuali distincta non ab habituali proveniente antequam intelligat se esse distincte, sentit et intelligit aliquod objectum a se distinctum — 642. *Conclusio VI.* Anima ante intellectionem actualem ex speciebus intelligibilibus in intellectu possibili per modum habitus receptis et conservatis provenientem intelligit aliquod objectum a se distinctum cognitione actuali — 643. Corollaria — 644. Objectio — 645. *Conclusio VII.* Loquendo de naturae animae cognitione philosophica quae per definitionem habetur, anima cognoscitur per suos actus et per comparationem ad objecta quae a sensibus abstrahimus, considerata ut abstracta . . . . . Pag. 490

CAPUT XXXIII.

De primis objectis quae intellectus humanus attingit.

646. Ratio capitis — 647. *Conclusio I.* Primum objectum quod intellectus noster attingit est ens — 648. *Conclusio II.* Primum objectum intellectus tamen non est ens possibile ut tale — 649. *Conclusio III.* Prima cognitio intellectus humani terminatur ad aliquid singulare attingens illud sub ratione entis indeterminate — 650. *Conclusio IV.* Prima cognitio intellectus terminatur ad ipsam animam attingens ipsam indeterminate et indistincte sub ratione entis — 651. Quaestio — 652. *Conclusio.* 1.° Anima seu intellectus primo et directe attingit actiones et qualitates sensibiles rerum materialium mediantibus phantasmatibus, 2.° attingit se indeterminate in ipsis qualitatibus abstractis, 3.° anima percipit se in quocumque actu quo aliquid intelligit, 4.° per reflexionem attingit seu percipit ipsas affectiones seu actiones suas et suam substantiam in semetipsa ; 5.° ipsam substantiam rerum materialium — 653. Origo cognitionis substantiae — 654. Objectio — 655. Modus cognoscendi singularia determinatur — 656. De qua reflexione est intelligenda doctrina S. Thomae exposita — 657. Corollarium . . . . . Pag. 499

CAPUT XXXIV.

De cognitione rerum supersensibilium.

658. Ratio capitis — 659. Quid doceant ontologistae circa Dei cognitionem — 660. *Conclusio.* Deus non potest esse primum objectum quod a mente nostra

cognoscitur — 661. Pro solutione difficultatum — 662. Traditionalistarum sententia circa cognitionem rerum supersensibilium — 663. *Conclusio.* Tam traditionalismus rigidus, quam mitior est omnino rejiciendus Pag. 510

CAPUT XXXV.

De existentia et natura specierum intelligibilium.

664. Ratio capitis — 665. Ideae notio et divisio — 666. Aliae divisiones idearum — 667. Idea ut exemplar — 668. Quaestio prima — 669. Sententiae antiquorum philosophorum — 670. Idealistarum sententia — 671. *Conclusio I.* Anima humana seu intellectus humanus non potest omnia cognoscere per essentiam suam — 672. *Conclusio II.* In intellectu sunt ponendae formae ab intellectu distinctae, quae sunt similitudines objectorum, et dicuntur species intelligibiles seu ideae — 673. Quaestio secunda — 674. Sententiae diversae — 675. *Conclusio.* Doctrina platonica, 1.° sive admittat ideas, quibus intellectus humanus intelligit esse similitudines derivatas a formis separatis, 2.° sive admittat esse ideas in mente divina existentes, falsa est omnino — 676. Corollaria . . Pag. 515

CAPUT XXXVI.

De verbo mentis et de verbo vocis.

677. Verbum exterius — 678. Verbum interius — 679. Verbum imaginatum — 680. Corollarium — 681. Ad verbum efformandum non requiritur cognitio reflexa — 682. Ad verbum tamen requiritur perfecta cognitio — 683. *Conclusio I.* In quacumque cognitione etiam in simplici apprehensione, quae non est simplex intuitus, procedente ex specie seu ex notitia habituali

verbum formatur — 684. Ad verbum mentis requiritur cognitio discretiva — 685. Cognitio quae habetur per verbum semper judicium saltem virtuale importat — 686. Intuitus seu intuitio objecti per se non importat verbum — 687. *Conclusio II.* Verbum mentis a specie intelligibili realiter differt — 688. *Conclusio III.* Verbum mentis realiter distinguitur ab actione, quae est intelligere — 689. Varia nomina Verbum designantia — 690. Verbum mentis, verbum oris — 691. Quaestio — 692. *Conclusio.* Verbum mentis praecedit verbum orale simpliciter loquendo Pag. 523

Caput XXXVII.

De origine idearum juxta ontologos.

693. Sententia Platonis et ontologistarum quoad originem nostrarum idearum — 694. Aliorum philosophorum sententiae — 695. *Conclusio I.* Sententia quae docet animam humanam habere omnes vel fere omnes species seu ideas naturaliter inditas, admitti non potest — 696. *Conclusio II.* Cartesianorum sententia est omnino rejicienda — 697. Sententia Rosminiana — 698. *Conclusio.* Sententia Rosminiana 1.° nititur falso supposito, 2.° est impossibilis in suo processu, 3.° est absurda et contradictoria in suo exitu . Pag. 532

Caput XXXVIII.

De origine idearum juxta sensistas.

699. Sententia antiquorum philosophorum — 700. *Conclusio.* Sensatio non potest esse causa totalis nostrae cognitionis — 701. Quid doceant recentiores sensistae — 702. Refutatio . . . . Pag. 538

CAPUT XXXIX.

Vera doctrina de origine idearum statuitur.

703. Scholasticorum sententia — 704. *Conclusio.* Ideae ab objectis sensibilibus, mediantibus sensibus, per virtutem abstractivam intellectus agentis originem ducunt — 705. Explicatur modus quo ideae seu species intelligibiles producuntur in intellectu — 706. Species intelligibilis efformatur per cognitionem praecedentem — 707. Omnes ideae sunt acquisitae. Pag. 541

CAPUT XL.

Diffusior explicatio formationis specierum intelligibilium.

708. Species compositae et species simplices — 709. *Conclusio I.* Omnes species intelligibiles objectorum compositorum fiunt ab intellectu possibili licet in virtute intellectus agentis, per actum verae cognitionis ipsius objecti — 710. *Conclusio II.* Primae et simplicissimae species intelligibiles efformantur per simplicem intuitum intellectus — 711. Corollaria — 712. Objectio Pag. 546

CAPUT XLI.

De natura et modo influxus luminis intellectus agentis in formatione specierum intelligibilium.

713. Sententiae circa modum quo intellectus agens phantasma illuminat — 714. Diffusa explicatio tradenda circa actionem intellectus agentis — 715. Ratio

instrumenti in formatione specierum phantasmati tribuenda — 716. Intellectus intuitus quo anima se indeterminate intuetur naturaliter fertur ad passionem actionem ab exteriori objecto in sensibus receptam — 717. Facultates animae non sunt considerandae veluti autonomae et quasi tot agentia principalia — 718. Objecta simplicissima omnino puta ratio entis, unius, boni etc. cognoscuntur ab intellectu sine specie intelligibili in ipsa anima habituali cognitione — 719. Modus formationis primarium specierum intelligibilium — 720. Intellectus agens respectu specierum et principiorum — 721. Ratio instrumenti in phantasmate — 722. Species intelligibiles per veram cognitionem efficiuntur — 723. Distinctio et convenientia intellectus agentis et possibilis — 724. In nobis nonnisi unum lumen intellectuale distingui potest et hoc est participatio luminis increati — 725. Brevis resumptus originis, progressus et naturae cognitionis intellectus humani . . . . . Pag. 554

Caput XLII.

De origine hominis.

726. Ratio capitis — 727. Evolutionistae et materialistae — 728. Transformistae — 729. Creatianistae — 730. *Conclusio 1.* Ponere species derivari a materia improducta et aeterna est omnino absurdum — 731. *Conclusio II.* Per influxum divinum et quidem naturalis ordinis fieri potuit quod species superiores omnes, homine excepto, derivarentur ex inferioribus — 732. *Conclusio III.* De facto tamen omnes species superiores esse ex inferioribus repetendas admitti nequit — 733. *Conclusio IV.* Deus corpus primi hominis immediate per seipsum non vero mediantibus speciebus inferioribus efformavit . . . . . Pag. 565

CAPUT XLIII.

De origine animae humanae.

734. Materialistarum sententia circa originem animae humanae — 735. Aliae sententiae recensentur — 736. *Conclusio I.* Anima humana non est ex evolutione materiae brutae — 737. *Conclusio II.* Anima humana non potest esse per emanationem divinae substantiae — 738. *Conclusio III.* Anima humana non potest esse ex traduce corporeo, seu non potest esse causata ex virtute seminis corporei — 739. *Conclusio IV.* Anima humana non potest esse ex materia spirituali — 740. *Conclusio V.* Anima sensitiva non potest fieri intellectiva per virtutem Dei illustrantis seu, ut ait Rosminius, per exhibitionem entis idealis actui sensationis — 741. Animae humanae origo determinatur — 742. *Conclusio.* Quaelibet anima humana a solo Deo habet originem per creationem — 743. Doctrina Ecclesiae — 744. Solvuntur difficultates — 745. Quaestio — 746. Sententiae variae — 747. Sententiae falsae refelluntur et propositae quaestioni respondetur — 748. *Conclusio I.* Animae humanae neque ab aeterno creatae sunt, neque antequam corpori infundantur — 749. *Conclusio II.* Omnino absurdum est adserere quod anima, cum ab uno corpore separatur, ad aliud informandum transmigret — 750. *Conclusio III.* Omnino absurdum est ponere animas esse omnes creatas ab initio, inclusas in corpusculis organicis, evolvi et fieri humanas — 751. *Conclusio IV.* Quaelibet anima humana tunc creatur cum corpori infunditur — 752. Quaestio altera — 753. *Conclusio.* Anima humana non statim, cum foetus concipitur, a Deo creatur et corpori infunditur, sed postquam foetus per formas priores et imperfectiores dispositus est ad animam humanam suscipiendam — 754. Solvuntur difficultates — 755. Epilogus eorum quae in Anthropologia explanata sunt . . . . . Pag. 575

ERRATA - CORRIGE

			Errata	*Corrige*
Pag.	4	verso 26	altiorem	altiorum
»	»	» 32	negare ; fuit	, negare fuit
»	215	» 7, 8, 9	in	ex
»	236	» 7	nidum	nidus
»	245	» 18	tactus	olfactus
»	258	» 24	cessaturas	cessaturae
»	259	» 15	actus	actum
»	265	» 31	sensati	sensatio
»	349	» 27	ergo	erga
»	353	» 4	sensum externum	sensus externus
»	»	» 5	sensum intimum	sensus intimus
»	363	» 9	aliis	et aliis
»	396	» ultimo	pondere	pendere
»	421	» 6	solvuntur difficultates	solvitur difficultas
»	541	» 4	217	700
»	444	» 5	due	duae
»	»	» 11	extrahendi	abstrahendi
»	445	» 4	intellectus ;	; intellectus
»	445	» 2	abstrhait	abstrahit
»	544	» 33	actione, passione	actione-passione

102
L57
v.2

12030

Compendium
philosophiae
scholasticae /
Lottini

102
L57
v.2

12030

Compendium
philosophiae
scholasticae /
Lottini

Graduate Theological Union Library
2400 Ridge Road
Berkley, CA 94709